# M. TULLII CICERONIS OPERA ADDITIS COMMENTARIIS EX...

Digitized by Google

1.3.32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1.3.32

# M. T. CICERONIS
# OPERA OMNIA
## TOM. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. TVLLII

# CICERONIS

## OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHÜTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS XIV.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# OPERA PHILOSOPHICA

*Tom. III.*

Digitized by Google

Digitized by Google

1.3.32



# DE LEGIBVS

LIBRI TRES

EX

## FR. CREVZERI PRAEFATIONE

Quandoquidem Moserus, cui potissimum haec editio debetur, hoc tamen praefandi munus ad me reiecit: facere non possum, quin lectoribus exponam, quid sequuti simus in his libris edendis, et quibus copiis instructi quomodo negotii partes inter nosmet distribuerimus.

Spectavimus autem, ut hinc ordiar, non minus iuris civilis studiosos, qui quidem a Savignyi, Thibautii aliorumque, qui hodieque in eo genere clarent, disciplina profecti horum librorum vim praestantiamque usu cognoverint, quam prodesse voluimus iis, qui, bonis literis operantes, et ipsi aliquo legum romanarum odore retinerentur, et ad integri sermonis sanaeque eloquentiae exempla orationem suam componere cuperent. Ac, quod utrosque attinet, saepenumero me audire memini orationem eorum, qui, quidquid ad hos gravissimi argumenti libros a summis criticis quum in textu emendando, tum in aperienda sententia varias per editiones aliaque scri-

pta dispersum sit, uno in volumine, haud ita magno parabili, collectum apteque dispositum in promptu habere vellent. Quibus, quoad eius fieri maxime potuit, hac nostra editione facere studuimus satis. Neque enim ea solum repeti iussimus, quae Davisiana habet, sed adiecimus etiam alia, in his Adriani Turnebi Commentarium eiusque Apologiam, quae, ut multa bona offert, ita hodie rarescere coepit. (1)

Ab huius autem critici aetate ad nostram usque succrevit deinceps locuples materia emendationum et notationum varii generis, de sexcentis libris iureconsultorum aliisque conquirenda. Qua in re tam multiplici et plena laboris taediique quidquid studii diligentiaeque collocatum est nobis, id boni, credo, consulent lectores aequi et faciles: si quid omissum est, quod haud exiguum esse suspicor, propterea non gravabuntur, neque enim aliter in eiusmodi opera fieri potest, verum, quo doctiores erunt, eo lubentius et uberius pro se quisque explebunt.

Quod ex Scholis Wyttenbachianis paullo plura annotationi suae interposuit Moserus, quae, utpote tironum in usum dictata, eruditioribus protrita videri possent: demisit se hic vir clementer ad commoda iuvenum, qui mature impertiri cuperent subtilitate cogitandi scribendique elegantia. Etenim nec in his schedulis desunt vestigia rationis viaeque, quam praeire Wyttenbachius solebat alumnis suis; nec desunt Veneres, quarum pulchritudine vel subitaria eiusdem opuscula nitent. Itaque fastidiant has

(1) Haec omnia servare nos non potuimus, quippe quae voluminis huiusce molem ultra omnem modum auxissent. Ed. P. — Nos vero etiam pauciora quam Editor Paris. ex Turnebo in usum nostrum excerpsimus; sunt enim multa huiusmodi, quibus Lector vel mediocriter in latinitate et historia Romana versatus facile carere queat. Typ.

Digitized by Google

scholas licet novitii quidam philologi, qui sibi soli sapere videntur, ubi sermonem suum faece hauriunt, nimirum rebus, ut aiunt, non verbis intenti, qui sibi ipsi placent, quum in literatorum circulis balbutiunt, et criticam factitant horridam cassamque leporibus. Equidem malle me fateor philologiam mutam, quam balbutientem : unice tamen probare disertam, facundam; neque vere philologorum numero habendos esse, nisi eos, qui, quum graeca calleant, iure etiam Latii utantur.

Ne vero a critico etiam munere indotata prodiret haec nostra editio, circumspicere coeperam bibliotecarum pluteos, si forte quid novi praesidii inde ad hos libros emendandos conferri posset. Qua in re et fortuna consiliorum meorum fautrix fuit, et vero doctorum hominum haud mediocris benivolentia. De codice manuscripto Vffenbachiano, qui dudum est in libris meis, alibi diximus; nuper autem Wyttenbachii vidua, praeclaris ingenii dotibus ornatissima matrona, insigni in me officio effectum reddidit, ut alter codex membranaceus e mariti sui bibliotheca in meam transiret. Hasii porro, viri doctissimi et humanissimi, procuratione mecum communicatae sunt Parisinae lectiones, Muenteri, viri reverendi, Havnienses, Krabingeri et Spengelii VV. DD. Monacenses, et insuper copiae Victorianae; Heidelberga denique nostra Graevianam nobis annotationem exhibuit. Atque quum veteres editiones, quae multae sunt, non usquequaque, prouti fieri debebat, cum vulgata comparatas vidissemus, harum quoque lectiones accuratius consignandas duxit Moserus. Itaque factum est, ut idem *novam recensionem* condere posset.

Scribebam Heidelbergae idibus iuliis 1823.

# MOSERI INTRODVCTIO

## IN CICERONIS DE LEGIBVS LIBROS.

Qui ante nos hos Ciceronis libros singulari ediderunt opera, disputandi de iis labore non facile supersedere se posse existimarunt. Est enim horum librorum ea facies, quae a reliquorum eiusdem librorum facie haud parum sit diversa; est ea eorumdem difficultas, quae multorum studia requirat, antequam ad liquidum perduci possint pleraque omnia; est ea vel temporum iniuria, vel interpretum nonnullorum inepta argutia corruptio, quam optimorum etiam medicorum ingenia manusque nondum persanaverint; est denique eorum tam mutila conditio, ut multis quaestionibus ansam praebeant, faciliusque alios errasse demonstres, quam ipse aliquid proferas, quod in dubium vocari nequeat.

Disputatum est autem primum de *auctore* horum librorum, deinde de *tempore* quo fuerint *scripti*, deque eo, quo *sermones* hi *habiti* fingantur; tum de *numero* librorum de Legibus, de *inscriptione*, de eo, utrum *ab ipso Cicerone* sint *editi* habeantque iustum *prooemium*, denique quam in iis conscribendis sequutus fuerit *philosophandi rationem* quod ad *rem* et quod ad dialogi *formam*, quodque fuerit universe horum librorum componendorum *consilium*.

Ac de *auctore* quidem quaerere si quis velit, id

Digitized by Google

eo tantum excusare poterit, quod ipse Cicero nusquam eorum diserte meminit. Qui vero ex eorumdem conditione mutila vellet efficere, quod Hülsemannus, scripsisse quidem Ciceronem libros de Legibus, eos autem, qui exstant, esse epitomen, et exilem saepe ieiunamque, operis maioris, quam confecerit fortasse unus ex serioribus Ecclesiae Patribus: nae ille nihil aliud proderet, quam se, quid Ciceronianum sit, quid exile et ieiunum, tam parum callere, quam huius commenti auctorem. Quamquam ipse tam parum sibi constat, ut alio loco hanc, quam somniat, epitomen ab ipso Cicerone profectam esse posse concedat, alio etiam hos, qui exstent, libros esse partem operis Ciceroniani inchoati et imperfecti, libros recensionis postea amplificatae, vel denique eos esse fragmenta tertii, quarti et quinti de Republica libri. Priora refutare si quis vellet, nimium tribueret commentis omni ratione destitutis. Vbique enim, ait Goerenzius, agnoscitur Ciceronis manus, nulla commissura, quae resecantis coniungentisque manum prodat. Quae ultimo loco posuit, satis explosa sunt illorum de Republica librorum parte reperta. Accedit, quod (ut recte monuit Goerenzius), neque alibi apud Veteres utrumque argumentum, de Legibus videlicet et de Republica, coniunctum et commixtum reperias. Quod vero noster hos libros nusquam commemorat, neque eo adeo loco, quo reliquos de rebus ad philosophiam pertinentibus libros recenset (de Div. II, 1), id inde factum puta, quia ab ipso Cicerone pars tantum horum librorum ad unguem perfecta est, pars affecta modo et adumbrata. Aliquando enim in libro aliquo componendo rebus aut negotiis quibuscumque inter-

ruptus, non facile ad absolvendum commovebatur. « Ego, ipse ait de Legg. I, 3, animi pendere soleo, quum, semel quid orsus, traducor alio; neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta ». Quare etiamsi, quum de Divinatione scriberet, nostros iam instituisset et inchoasset libros, ut nunc sunt, eorum non fecisse mentionem existimari potest, quia dubitaret, an umquam esset eos absoluturus. Non absolutos fuisse hos libros inde quoque colligit Corradus in Quaestura, pag. 265, quia, si absolvisset eos Cic. non dixisset Quintilianus, Inst. Orat. XII, 3: « M. Tullius... componere aliqua de iure coeperat ». Ergo, ait Rathius, *coepit* scribere de Legibus, neque vero librum ad exitum perduxit, quia fortasse ipsi rei tractatio displicuerat, ceperatque consilium retractandi (ut libros de Republica et Academica), a quo laboribus forensibus fuerit impeditus (ad Fam. VII, 2), aut iter in Ciliciam intervenit. Quamquam nuper etiam Censor editionis Schützianae Gottingensis (G. A. 1822, 20, qui est C. O. M.) rationes, quibus hos libros non esse absolutos a Cicerone demonstrare voluerit Goerenzius, nondum ab omni parte esse firmas certasque contendit.

De *tempore*, quo scripti fuerint hi libri, quove sermones hi habiti fingantur, minus etiam convenit inter viros doctos. De eo quidem nemo facile dubitaverit scripsisse eos Ciceronem absolutis de Republica libris et eo quidem tempore, quo aliqua certe ei esset reipublicae restituendae spes, quoque his libris conscribendis ipsi reipublicae se prodesse posse speraret. Turnebi sententiam vides in argumento Commentariis praemisso. Corradus in Quaestura, pag.

Digitized by Google

265: Quo tempore, ait, libros de Legibus scripserit Cicero, potest dubitari, quum de libris illis ipse nusquam, quod ego viderim, meminerit. Nisi forte credimus, eum, quum in Cilicia proconsul esset, et hos et libros Augurales scripsisse: alteros, ut cum libris de Republica coniungeret: alteros ut Appium, qui libros septem Augurales ad eum scripserat, remuneraretur. Chapmannus (in Dissert. Chronolog. de aetate lib. coll. Fabric. B. L. ed. Ern. tom. I, pag. 188) ex silentio de his libris in Epp. ad Att. aliisque rationibus colligit, scriptos fuisse a. V. 709, sub autumnum, paullo ante Tullii mortem, absolutis iam de Divinatione et de Fato libris. Patefieri existimat inde, cur auctor ipse de nostris libris nusquam loquatur: quod autem dicat de Divin. II, 35, 75, de dissensione inter Marcellum et Appium Claudium augures, addens: « sed de hoc plura in aliis: » id factum esse in libro de Legg. II, 13, 32, ubi dissensionis illius ratio exponitur. Ceterum meminisse ait de his libris Ciceronem Rathius de Orat. I, 42, ubi sub Crassi persona haec dicit: « si aut mihi facere licuerit, quod iam diu cogito, aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt (conf. de Legg. I, 5), deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propriam cuiusque vim definitione declaret: perfectam artem iuris civilis habebitis: » de eodemque libro Gellium quoque loqui contendit (I, 22,) « M. Cicero, dicentem, in libro qui inscriptus est de iure civili in artem redigendo verba haec posuit, etc. » Engelbronnero autem Quintilianus et Gellius ll. cc. de aliis, quam de nostris libris, loqui videntur; is-

que nihil addit de tempore, nisi libros de Legibus scriptos fuisse post Clodii mortem, Clodio videlicet paullo ante occiso (II, 17). Quo nihil est verius. Sed plura etiam exstant in libris Ciceronis vestigia temporis. Videlicet intelligitur ex lib. III, 13, eos scriptos esse post obitum Luculli, qui obiit Cicerone exsulante, i. e. paullo ante bellum civile inter Caesarem et Pompeium, septem fere annis ante Ciceronis obitum. Scriptos inde existimat Wyttenbachius libros de Legibus circa a. Vrb. 703 (47 a. C.) post Ciceronis e Cilicia reditum. Sed omnibus probe ponderatis non possumus, quin statuamus, annum fuisse V. c. 701, a. C. 48, aetatis LVI, quo Cicero hos libros scripserit, (1) idque factum esse paullo post Clodii mortem et causam Milonianam, Cicerone recens augure facto (lib. II, 13, III, 19), antequam in Ciliciam provinciam profectus esset. Patet enim ex lib. II, 17 antecessisse Clodii necem; ex III, 18, Catonem Vticensem adhuc in vivis fuisse; ex I, 20, libros de Finibus tum temporis a nostro nondum fuisse scriptos, quos in a. Vrb. 708 incidere constat (vid. Goerenz. Introd. in libb. de Finibus, pag. 12 sq.); ex II, 13, Marcellum et Appium augures vixisse quum nostros libros scriberet, qui de Divin. II, 35, mortui dicuntur; libros autem de Divinatione anno aetatis LXIII cum amicis communicavit. In his etiam loquitur, II, 9, de Pompeio trucidato; in nostris de Pompeio vivo et florente, I, 3, III, 9, III, 11. Plures etiam annos inter libros de Legibus et de Divinatione scriptos intercessisse inde patet, quod in illis de occupata

(1) Cf. F. Schoell., *Histoire abrégée de la littérature romaine*, Paris. 1815, tom. II, pag. 162, sqq.

Digitized by Goog

opera loquitur, I, 3, I, 4; in his, II, 2, quod omnibus muneribus orbatus sit queritur; in illis, II, 13, plane aliter de Divinatione sentit, quam in his, II, 33, II, 38, II, 72, et alibi passim: sententiam enim suam mutaverat, neque vero in libris de Legibus ad publicam utilitatem, in libris de Divinatione ad philosophicam veritatem loquutus est. Accedit (id quod animadvertit Goerenzius), quod nonnulla loca valde commoto animo sunt scripta, v. c. II, 16, 41—43; III, 3, 9, 21, 22, quibus petitur Clodius cum iis, qui huic in consilio, Ciceronem e patria eiiciendi, adiutores fuerunt; quod vulnus refricuit Miloniana causa, in qua Milonem de caede Clodii reum Cicero, sed parum constanter, defendendum susceperat. Inde etiam in Pompeium occultata quidem, sed non obscura admodum, indignatio (v. ll. cc.). Denique, quod primarium est, non potest scripsisse hos libros ante annum 701, quia a. Vrb. 699 scripsit libros de Republica, de quibus ut iam absolutis loquitur (I, 9, II, 10, III, 2), neque ante annum 701 augur factus est, quum Crassus, cui successit, mense iunio anni 700 ceciderit, causa autem Miloniana mense aprili anni 701 acta fuerit, eodemque Noster anno occupatum se dicere poterat in causis agendis, quod in annum 702 non cadit. Eo enim anno in provinciam ire coactus est; et, quum rediisset ex provincia a. Vrb. 703, bellum civile exarsit, in quo (neque magis a. Vrb. 704), ei otioso esse non licuit. Pompeium enim sequutus post pugnam Pharsalicam, a. Vrb. 705, Brundusium venit, inde a. Vrb. 706 Tusculum et Romam rediit. Quamquam autem inde ab a. Vrb. 707 haud pauca scripsit et rhetorici et philosophici generis; fieri tamen non potuit, ut hos quo-

que nunc demum libros conscriberet, de quibus scribendis, quum de republica plane desperavisset, ne cogitare quidem potuit. Neque aliquis mihi obiiciat, fuisse tamen Ciceroni aliquam, brevem quidem, in mediis his turbis reipublicae restituendae spem. Eo enim ipso tempore ita occupatus fuit, ut otio et quieti nullum plane diem dare potuerit. Quod vero ait Chapmannus (l. c.), fingi his omnibus sermonis habiti tempus, neque libros nostros scriptos esse ante annum Vrb. c. 709, quia de Divin. l. c. et in Epistolis ad Atticum de iis non loquatur Noster; id bene refutavit Goer. dicens, fortiores esse rationes psychologicas, quibus ductus eodem anno, quo habitus fingatur sermo, scriptum etiam esse librum dixerit, in quo graviter et recens commoti animi manifesta insint vestigia. Tacuit autem illo loco de his libris, quia affecti quidem, neque vero absoluti erant atque perpoliti; cuius rei non desunt vestigia in libro primo, manifesta sunt in libro secundo et tertio.

*Numerum* si quaeris, nihil certius est, quam plures fuisse tribus. Sex fuisse libros mihi cum Goer. et Schutz. videtur (1) veri simillimum, in qua etiam sententia fuit Morabinus. Commode adhibuit Goer. locum III, 20, 48, indeque recte efficit, *quartum* egisse de potestate, *quintum* de iure publico, *sextum* de iure civili; ut hi dimidiatum librorum Platonis de Legibus numerum efficiant. Quum quintum librum laudet Macrobius (Saturnal. VI, 4), quinque fuisse libros existimabat Fabricius in Bibl. Lat. l. c. quorum *primi* argumentum fuerit de fonte legum omnium

(1) Cf. etiam Schoell., l. c. p. 166.

Digitized by Google

iureque naturae; *secundi* leges de religione; *tertii* de magistratibus; *quartus* egerit de potestate magistratuum; *quintus* de iure populi Romani. Quod item Wagnero placebat, qui laudat ad hoc probandum lib. I, cap. 5. Quum *octo* placuisset fuisse libros Davisio (q. v. in praef.), ei adstipulans Hülsemannus haec eorum argumenta fuisse existimabat: *primi* de religionibus, s. de rebus divinis; *secundi* de magistratibus; *tertii* de responsis prudentum; *quarti* de iure militari; *quinti* de iudiciis; *sexti* de stipulationibus et contractibus; *septimi* de testamentis; *octavi* argumentum fuisse credebat principia iuris. Hoc vero est hariolari.

Ad *inscriptionem* quod attinet, eam nos iustam esse credimus, quae dudum recepta invaluit, atque in omnibus fere libris manu scriptis legitur, *de Legibus*, quam sine dubio, ut librorum ipsorum formam, ad normam Platonici operis Νόμοι, ἢ περὶ νομοθεσίας effinxit. Quid quod etiam Chrysippus, quem in philosophica horum librorum parte in primis sequutus est Noster, librum περὶ νόμου scripserat? In uno tamen cod. MS quum Turnebus invenerit inscriptionem, *De iure civili et legibus*, Rathius ex I, 4, 5, 6, 10, 12, 21; II, 1, 18, colligit, posse hos libros inscribi vel ita, vel ut plerumque inscribuntur, vel *de iure civili*, vel denique *de iure et legibus*. Nobis recepta eademque simplicissima ratio optima videtur.

Ciceronem si concedis non absolvisse hos libros, concedas etiam oportet eos ab ipso auctore non esse *editos*, sed post obitum eius demum lucem vidisse. Qua in sententia plerosque omnes eorum interpretes et fuisse et esse video. Neque alia est causa, unde

clarius intelligatur, cur ipse Noster nusquam huius operis meminerit, neque eo loco, ubi id potissimum exspectes (de Div. II, 1): itemque cur ne Ciceronis quidem aequalium aliquis eius mentionem fecerit (1).

Illud autem mireris, quod inter viros doctos non constat, utrum *prooemium* habeant hi libri, an non habeant; quum id primo obtutu in oculos incurrere debeat. Factum tamen est, ut Turnebus in primo commentario iustum horum librorum esse prooemium prima libri primi capita diceret; in eo, quem nos ad calcem huius editionis addidimus, exordium periisse contenderet. Prooemium deesse statuunt item Rathius et Schützius, qui inde potissimum colligunt, hos libros a Cicerone non esse absolutos, nedum editos. Nobis cum Fabricio, Goerenzio, A. Maio in Praef. ad Cic. de Rep. p. 11, aliisque non deesse videtur Prooemium. Quae enim in principio libri primi ponuntur quaestiones de poesi Ciceronis et de historia ab eo conscribenda, iusti prooemii instar possunt haberi: quod vero subito inducuntur dialogi personae colloquentes, in hoc ipso plane Platonem expressit Noster, quod in his cum maxime libris se facere voluisse testatur, ita, ut manifesto Platonicarum Legum exordium ante oculos habuisse Noster appareat. Quare etiam non moramur Hülsemannum, qui philosophiae laudem, quae est in fine libri primi, esse prooemium verum nostrorum librorum, ab epitomatore in finem reiectum, contendit.

(1) Quod in Epistolis ad Atticum nulla librorum de Legibus mentio fit, id inde factum recte existimat Schützius, quod annorum 700 et 701 nullae exstant epistolae ad Atticum scriptae, qui fortasse eo tempore cum Cicerone in urbe fuit. Quod ipsum firmare ait opinionem, hos libros scriptos esse a. V. 701.

Digitized by Google

Denique, ut a rebus externis ad interiora, eaque extremo loco consideranda, transeamus, disquirendum est de argumento ipso, quod ad *materiam* et ad *formam*. Et formam quidem librorum Platonicam esse (quantum videlicet oratorium Ciceronis ingenium ad eam posset accedere), nemo facile infitias iverit. Materiam de iure ac lege naturali sumpsit a Stoicis, a Chrysippo potissimum, in cuius libro περὶ νόμου est fere totum libri nostri primi argumentum. Quod vero Noster Chrysippum nusquam fere, nisi reprehendendi causa nominat, id inde factum existimamus cum Goerenzio, quia eius formam, quippe minus probam, quum probare non posset, imitari noluit. Idem vir doctus accuratius de Ciceronis cum Chrysippo convenientia exposuit, quod neque repetere voluimus, et unusquisque nunc facilius etiam cognoscere potest, Chrysippi fragmentis in libro, quem modo laudavimus, collectis. Illud solum monemus, Stoicis notiones Dei, naturae et legis fuisse quasi synonymas; quod item reperimus esse Nostro. Leges autem ipsas Noster in libro secundo et tertio petivit e cognitione rerumpublicarum quum aliarum, tum potissimum romanae. Persuasum enim ei erat, non quidem omnibus numeris esse absolutam eam, quae antiquitus obtinuerit, reipublicae romanae formam; sed fieri tamen posse, ut ex tanta rerum omnium perturbatione hoc, quo in his libris demonstratum ibat modo, respublica emergat. Qua in re si quis forte reprehendat Ciceronem, quod romana instituta, eaque fere obsoleta, quasi optime constitutae reipublicae exemplar proposuerit, quae a civitate, qualem philosophus sibi fingere possit, tam longe absint: is primum meminerit, Ciceronem Romanum

esse, qui quibus aucta fuerat respublica, patrum moribus disciplina et institutis neglectis, eamdem collabentem videret; romanum dico hominem, qu ius ea potissimum placerent probarenturque, quae ad vitae usum converti, et re factisque effici possent; eum denique, qui, quum ad Platonicam subtilitatem adscendere neque posset, neque vellet, ne id quidem spectaret, quod ipse reapse ut perfectionis quasi finem agnosceret, sed ea monuisse satis haberet, quae reipublicae iamiam vacillanti et collabenti subvenire posse viderentur.

Exposuimus breviter, quae nobis de his libris praemonenda visa sunt, rationibus, quibus ducti sive cum aliis sentiamus, sive ab iis recedamus, adumbratis potius, quam copiose explicatis: ita tamen, ut iam iudicare possit unusquisque perlectis his Ciceronis libris, quatenus Engelbronnerus verum viderit, qui contendit, primum non magis Stoicam esse primi libri materiam, quam Socraticam, deinde ipsa Stoica a Nostro non simpliciter, sed ut ab Academico esse recepta, denique materiam horum librorum aeque ac ipsam libri formam, Platonicam potius, vel vere Ciceronianam eique propriam esse.

G. H. M.

Digitized by Google

# M. TVLLII CICERONIS

DE

# LEGIBVS

LIBRI TRES

## SVMMARIVM.

In his de legibus libris M. Cicero colloquens inducitur cum Q. fratre et Pomponio Attico, qui eum in Arpinati convenisse dicuntur. Ac tempus quidem, quo hic dialogus esse fingitur incidit in aestatem A. V. C. 701. Commemoratur consulatus A. V. C. 690. gestus I. 3. II. 17. exilium, ab eoque reditus A. V. 695. 696. III. 9. 11. 19. Oratio pro Balbo A. V. 697. habita II. 3. Clodii interitus tangitur II. 17. A. 701. mense Februario occisi. Porro Catonis et Pompeii mentio fit, ut viventium III. 13. III. 9. 11. Libri de re publica saepius commemorantur I. 7. 9. II. 10. III. 2. 5. 17. scripti illi quidem A. V. 699. Hos autem libros, antequam de libris de finibus bonorum et malorum scribendis cogitaret, compositos esse facile patet ex libri I. c. 20. initio; ubi dicit *finem bonorum controversam esse rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam.* Nihil autem addit, ex quo intelligi possit, se ipsum ad explicandam hanc causam iam tunc animum adiecisse.

Iam quum de tempore, quo hic dialogus habitus esse fingitur, satis constet, superest, ut breviter ostendamus Ciceroni nullum post A. V. C. 701. tempus fuisse hisce libris scribendis idoneum. A. V. 702. Senatus consulto coactus est in provinciam ire, quumque ei Cilicia sorte obtigisset mense Maio ex urbe

profectus est, et Laodiceam venit prid. Kal. Sextil. Anno sequente 703. III. Kal. Sextil. de provincia decessit, et pridie Non. Ianuar. ad urbem venit; eo ipso tempore autem in ipsam incidit flammam civilis discordiae inter Caesarem et Pompeium. Cicero igitur, quum frustra pacem suasisset, primum A. V. 704. oram maritimam inde a Formiis tuendam accepit, deinde quum Pompeius Brundisio profectus esset in Graeciam, Cicero eum secutus est conscensa navi VII. Id. Iun. Victo pugna Pharsalica Pompeio A. V. 705 Cicero se in Italiam recepit, Brundisii commoratus usque ad Caesaris reditum in Italiam. Rediit autem ille mense Septembri A. V. 706. Eiusdem anni mense Octobri Cicero in Tusculanum ac deinde mense Novembri Romam venit; ac tum demum cum libris in gratiam rediit, ut scribit ad Varronem Fam. Epp. IX. 1. Iam A. V. 707. scripsit partitiones oratorias, laudem Catonis Vticensis, et Oratorem ad M. Brutum. Sequentibus annis duobus cetera quae exstant philosophica edidit. Quae quum ita sint, iam Turnebus recte statuit hos libros ante bella civilia, P. Clodio iam occiso, scriptos esse. Idemque probabiliter coniecit eos ab ipso Cicerone editos non esse, quod fortasse summam iis manum non imposuisset, neque eos perpolivisset, sed esse eo iam interfecto publicatos. Indeque factum esse ut eorum lib. II de Divinatione cap. 3. mentionem non fecerit. Quibus omnibus assentitur Goerenzius V. C. in introductione ad hos libros, qui etiam Chapmanni Angli sententiam in dissertatione *de aetate Ciceronis librorum de legibus* Epistolae Iac. Tunstalli ad Middletonum Cantabr. 1741. subiuncta refutat, qui hosce libros A. V. 709. scriptos esse statuerat. Ad numerum horum librorum quod attinet, Macrobius VI. 4. ex quinto locum attulit, inter fragmenta repositum. Sex autem libros a Cicerone institutos fuisse, Goerenzius nobis persuasit; comparato loco de legg. III. 20. quorum quartus de potestate, quintus de iure publico, sextus de iure civili egisse videtur.

Iam in primo libro sine praefatione auctoris statim inducuntur personae dialogi colloquentes, ita ut Atticus a quereu illa Mariana, a Cicerone in Mario poemate, quo adolescens municipis illius sui clarissimi res gestas exposuerat, commemorata incipiat. Et quum Cicero monuisset imperite facere eos, qui in eiusmodi poemate non ut a poeta sed ut a teste veritatem exigant, Atticus hanc occasionem arripit, ut Ciceronem excitet ad historiam scribendam; quae ab eo iam diu postuletur, vel fla-

Digitized by Google

gitetur potius. Cicero vero negat sibi ad istum laborem vacuum tempus et liberum dari, praesertim quum sibi nondum ne a causis quidem defendendis vacatio detur. Et quum significasset, se non recusaturum, quo minus aetate ingravescente consulentibus de iure respondeat, Atticus eum rogat, ut subsicivis temporibus de iure civili subtilius scribat quam ceteri. Cicero quaerit quid haec rogatio sibi velit. Atticus ait se expectare, ut quoniam scripserit de optimo rei publicae statu, item scribat, ut Plato, de legibus. Iam hoc responso Cicero ducitur ad ipsam disputationem, qua sibi complectendam esse ostendit totam causam universi iuris ac legum, ut hoc quod civile dicatur, in parvum quendam et angustum locum concludatur. Primum enim explicandam esse naturam iuris, eamque ab hominis natura repetendam; tum considerandas leges quibus civitates regi debeant; denique haec tractanda, quae composita sint et descripta iura et iussa populorum, in his etiam populi Romani, quae dicantur, iura civilia. c. 1—5. Horum argumentorum primum libro primo, secundi vero partes duae, quae agunt de religione et de magistratibus libro secundo et tertio pertractantur. Reliqua vero Cicero comprehenderat libris IV. V. VI. qui aut alicubi latent, aut prorsus interciderunt.

Itaque primum Stoicorum more legem naturalem s. divinam definit, quae sit ratio summa, insita in natura, quae iubeat ea quae facienda sint prohibeatque contraria. Et quum natura omnis deorum mente et numine regatur sitque homini cum deo rationis et virtutis societas, primum iuris et legum fontem a deo esse repetendum. c. 6—9. Ipsam vero naturam hominum ita comparatam esse, ut facile pateat ad communicandum inter omnes ius eos esse factos, etsi tanta sit corruptela malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria. c. 10—12. Non autem a populorum iussis, aut principum decretis, aut iudicum sententiis primam iuris constitutionem repetendam esse demonstratur, primum ex vera dei colendi ratione (cuius tamen disputationis pars maxima desideratur) c. 13. deinde ex ipsa hominum facinorosorum conscientia; tum quod ii, qui non ipso honesto moveantur, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi potius quam boni appellentur; denique, quod si iura a solis populorum et principum iussis ac decretis constituerentur, nulla esset certa iuris aut iniuriae nota. Itaque legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividi posse. Nec

solum ius et iniuriam a natura diiudicari, sed omnino omnia honesta ac turpia. c. 14—17. Ex quo concluditur et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Nam si emolumentis non sua sponte virtus expeteretur, sequeretur unam esse virtutem, quae malitia dicatur. Vt enim quisque maxime ad suum commodum referat quaecumque agat, ita minime esse virum bonum. Neque vero aut mercedis aut rumoris boni causa virtutem expeti; neque qui singulis vitiis excellant aut etiam pluribus propter damna, aut detrimenta aut cruciatus miseros dici, sed propter ipsam vim turpitudinemque vitiorum. Postremo si propter alias res virtus expetatur, melius esse aliquid quam virtutem necesse esse, quod minime sit admittendum. c. 18. 19.

Iam Cicero ostendit totam hanc disputationem referri ad doctrinam de fine bonorum, de quo quum sint diversae philosophorum sententiae, sibi maxime ait Socraticam rationem placere, scil. qua summum bonum esse dicatur ex natura vivere. c. 20. 21. Iam ex iis quae sequuntur iterum pars quaedam intercidit. Extrema vero huius libri capita, 22. 23. laudem sapientiae et philosophiae continent, cum disputatione de lege, quae vitiorum emendatrix esse debeat, commendatrixque virtutum, proxime coniunctam.

## *Libri secundi*

exordium occupatur villae Arpinatis amoenitate ab Attico laudata, in qua quum Cicero se natum eamque sibi germanam patriam dixisset, interrogatus ab Attico, nunquid duas habeat patrias, omnibus respondet municipibus duplicem esse patriam, unam naturae, alteram civitatis. Iam iterum laudata huius loci amoenitate rogat Quintus fratrem, ut ad eam partem sermonis, e qua egressi sint, revertatur. c. 1—3.

Cicero igitur, antequam leges de religione exponit, iterum monet, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regat, imperandi prohibendique sapientia. Populares enim leges, seu iussa ac vetita populorum vim non habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi, quae vis non modo senior sit, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius caelum atque terras tuentis et regentis dei. Ipsas etiam populares leges ad salutem civium civitatumque incolumi-

Digitized by Google

tatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse; eosque qui primum eiusmodi scita sanxerint populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque honeste beateque viverent; quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominasse. Itaque qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, quum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse quam leges.

Veram igitur legem esse iustorum iniustorumque distinctionem, quae sit ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum dirigantur, quae supplicio improbos afficiant, defendant ac tueantur bonos. c. 4. 5.

Iam accedit Cicero ad leges de religione proponendas, c. 6. quarum primum praemisso proëmio c. 7. 8. brevem quandam summam, priscis illis legum verbis utens proponit, c. 9. deinde singula eius capita pertractat. Itaque primum si praecipiatur caste deos adeundos esse, oportere intelligi, hanc castimoniam non modo in corpore sed multo magis in animis servandam esse. In cultu deorum sumptus amovendos, ne pauperes deorum aditu arceantur. Vindicem neglectae religionis deum constitui, ut poenae metu religio confirmetur. Suosque deos privatim, aut novos aut alienigenas coli haud licere, quod hoc confusionem habeat religionum et ignotas caerimonias Romanis sacerdotibus. Delubra in urbe, et lucos in agris, item ritus familiae patrumque servandos esse. Adiunguntur pauca (quorum quaedam pars intercidit), de diis ab ominibus consecratis, c. 10. 11. Tum agitur de feriis festisque diebus; de sacerdotum muneribus atque officiis, inprimis de auguribus, quorum maximum sit et praestantissimum in re publica ius et munus, idque cum summa auctoritate coniunctum. Et quum Atticus monuisset, magnam esse inter C. Claudium Marcellum, M. F. et Appium Claudium, Pulchrum, App. F. (Ciceronis in auguratu collegas) dissensionem, quum alteri placeat, nullam umquam divinandi scientiam in collegio augurum fuisse, sed auspicia quae dicantur ad utilitatem rei publicae esse composita, alteri autem Appio Claudio (qui ipse de disciplina augurali librum ad Ciceronem scripserat), videatur, veram esse divinandi disciplinam auguribus propriam, Cicero hoc loco quidem divinandi scientiam non prorsus tollit, sed tamen eam artem augurum evanuisse iam et vetustate et negligentia contendit. Itaque se nec

illi assentiri ait, qui hanc scientiam neget umquam in collegio augurum fuisse, neque illi, qui esse etiam nunc putet. c. 12. 13.

Sequuntur leges de iure belli, in quo et suscipiendo et gerendo, et deponendo ius plurimum valeat et fides; de fecialibus eius iuris interpretibus; de haruspicum religione, de expiationibus et procurationibus; de nocturnis mulierum sacrificiis, quae quoniam castitati et famae mulierum periculosae sint, improbantur, ita tamen ut suus mysteriis Atheniensium honos habeatur. Sequuntur leges de sacris commissis, i. e. imprudentia violatis, expiandis, et de audacia in admittendis religionibus foedis damnanda, itemque de ludis publicis eorumque moderatione. c. 14. 15.

Tum exponuntur leges de ritibus patriis colendis, de stipe praeter Idaeae matris famulos, a nemine cogenda; de poena sacrilegorum, de periuriis, de incesto; de impiorum donis, quibus deos placare audeant, de diligentia votorum; de poenis violatae religionis, ubi excurrit ad exagitanda Clodii scelera, nuper a Milone occisi, huiusque et reliquorum; quorum opera coactus fuerat exsulare, poenas persequitur. c. 16. 17.

Porro agitur de interdicta agrorum consecratione, cuius legis causam affert hanc, quod terrae cultum segniorem suspicetur fore, si ad eam tuendam ferroque subigendam superstitionis aliquid accesserit. c. 18.

Sequitur lex de sacris familiarum perpetuo conservandis, qua occasione disputat de iure pontificio temere cum iure civili coniunctio, huiusque praecepta, de quaestione qui adstringantur sacris, exponit. c. 19—21.

Vltima lex est de iure manium et religione sepulcrorum; cuius in expositione leges duodecim tabularum de funeribus et sepulcris breviter illustrantur. c. 22—27.

Epilogus huius libri ostendit se proxime de magistratibus dicturum.

Hic itaque locus

## *Libro tertio*

sic exponitur, ut ante ipsam de iis legum formulam universe dicatur de necessitate et utilitate magistratuum in re publica. In quo docetur magistratus hanc esse vim ut praesit, praescribatque

Digitized by Google

recta ut utilia, et coniuncta cum legibus. Vt enim magistratibus leges, ita populo praeesse magistratus, vereque dici posse magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Nihil vero tam aptum esse ad ius conditionemque naturae, quam imperium. Magistratibus igitur opus esse, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non possit, quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio contineatur. c. 1. 2.

Sequitur ipsa legis de magistratibus formula, similiter ut superior de religione, verbis antiquioribus expressa. c. 3. 4.

In explicatione huius legis praemissa brevi notatione philosophorum Graecorum, qui hoc argumentum tractaverint, accedit ad quaestionem, num utile sit unum in civitate esse magistratum cui reliqui pareant, incipitque agere de consulari potestate per tribunos plebis temperata et circumscripta.

Sed in codicibus adhuc collatis omnia quae ad hunc locum et sequentes pertinebant, desiderantur. Desunt igitur omnia, quae ad legem de provocatione, de minoribus magistratibus, ut quaestoribus, triumviris monetalibus, decemviris litibus iudicandis, triumviris capitalibus, deinde de aedilibus, censoribus, praetoribus, consulibus, et de dictatore dixerat; usque ad verba legis de imperiis, potestatibus, legationibus in provincias ex urbe missis: DOMVM CVM LAVDE REDEVNTO. Pauca hic supersunt de legationibus liberis, quas Cicero consul prorsus tollere volebat, sed impeditus a tribuno plebis, certe tempus quod his legationibus infinitum erat datum, annuum fecit.

Sequitur disputatio de tribunorum plebis potestate, quam quum Q. Cicero vehementer accusasset, Marcus tamen monet iniquam esse in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumerationem; et quamquam non negat nimiam esse tribunorum plebis potestatem, ait tamen vim populi multo vehementiorem; incendi quidem interdum tribunorum vim, sed saepe etiam sedari; praeterea concessa plebi a patribus ista potestate, arma cecidisse, restrictam esse seditionem, inventum temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarent. Suam vero causam incidisse quidem in tribuniciam (Clodii) potestatem, nihil tamen habuisse contentionis cum tribunatu. Pompeium vero quod legem tulerit de tribunis potestate pristina reficiendis non tam esse reprehendendum; nam non solum ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. c. 9—11.

Sequitur lex de magistratibus et de senatu ex his efficiendo. Quod autem omnibus magistratibus auspicia et iudicia dentur, id hanc habere vim, ut propter auspicia multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae; iudiciis autem datis ut esset populi potestas, ad quam provocaretur. Quod autem ex his qui magistratum ceperint senatus efficiatur, eo illud obtineri, ut popularis nemo in summum locum nisi per populum venire possit, sublata cooptatione censoria. Et quum senatus dominus sit publici consilii, posse ex temperatione iuris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri moderatum et concordem civitatis statum, praesertim si proximae legi pareatur, quae iubeat ordinem senatorium vitio carere, et ceteris specimen esse continentiae reliquarumque virtutum. c. 12—14.

Proxima erat lex de suffragiis, quae ea iubebat nota esse optimatibus, populo libera. Qua in re quum quaesitum esset suffragia in magistratu mandando, aut reo iudicando, aut lege aut rogatione sciscenda, clam an palam ferre melius esset, Cicero hoc quidem concedit nihil esse in suffragiis voce melius, sed obtineri an possit videndum esse. Ei repugnat Quintus frater, aitque hanc sententiam et imperitos saepe fallere et obesse saepissime rei publicae, quum aliquid verum et rectum esse dicatur, sed obtineri, id est obsisti posse populo negetur. Omnem vero auctoritatem optimatium tabellariis legibus esse sublatam, quarum nec latorem nec auctorem umquam bonum esse inventum. Id quum quatuor sint leges tabellariae, Gabinia, Cassia, Papiria, Caelia, confirmatur hoc de eorum latoribus iudicio. Q. Gabinium fuisse hominem ignotum ac sordidum; L. Cassium Longinum nobilem quidem, sed dissidentem a bonis, atque omni rumusculos populares ratione aucupantem; C. Papirium Carbonem seditiosum atque improbum civem; Caelium Caldum denique ipsum quoad vixerit doluisse, quod in causa perduellionis tabellam iudicio dederit, ut C. Popillium opprimeret, eaque ratione rei publicae nocuerit. Hanc fratris reprehensionem hoc modo Marcus amolitur, quod sua lege populo tabella quasi vindex libertatis hac conditione detur, ut optimo cuique et gravissimo civi ostendatur. Hac enim ratione populo libertatis speciem dari, bonorum auctoritatem retineri, contentionis causam tolli. c. 15—17.

In Epilogo breviter ea designantur, de quibus in sequentibus

Digitized by Google

libris agendum erat. Quum enim Cicero dixisset. *Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis;* Atticus reponit: *Quid? si nos tacemus, locus ipse non admonet quid tibi sit deinde dicendum?* significatque ipsum rerum ordinem ex eo loco, qui modo pertractatus sit de magistratibus, ducere disputantem ad locum de potestate magistratuum, quo tamen ipso Atticus Ciceronem sibi satis facturum negat, nisi etiam de iure populi Romani, tam publico, quam privato s. civili dicat. Haec igitur tria tribus sequentibus libris adhuc quidem deperditis eum pertractasse credibile est. Supra enim libro I. c. 5 extr. ultimo loco sibi haec tractanda esse dixerat, quae composita sint et descripta iura et iussa populorum, in hisque etiam populi Romani iura civilia.

Ceterum in his libris Ciceronem, quod ad formam externam et orationis genus attinet Platonem, in rebus ipsis autem Stoicos praecipue Chrysippum secutum esse post Turnebum, Goerenzius docuit Introduct. ad hos libros p. XXV sqq. Cuius quidem sententiae iam Turnebus argumentum repetiit ex Q. Ciceronis verbis lib. II. c. 7. ubi postquam M. frater dixerat: *Habes legis prooemium, sic enim hoc appellat Plato*, respondet Quintus: *Habeo vero, frater, et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille. Nihil enim tam dissimile est, quam vel ea quae ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Vnum illud mihi videris imitari, orationis genus.* Optime vero Goerenzius hanc partem imitationis hisce verbis exposuit: « Nullo alio libro tam quasi alienus a se Cicero videtur, quam in his de legibus. In dialogi enim scena, dispositione, et reliquo apparatu ita Platonis vestigia legit, ut in hoc uno sibi placuisse videatur. Tres utrinque collocutores per spatia silvestria ambulantes, interdum residentes, uno aestivo die totam in legibus quaestionem sic absolvunt, ut primo de lege et iure in universum, tum de singulis legibus, prooemio et laude legis ubique adiecta, disserant. Neque auctor in his quasi extremis imitationis lineis aquiescit, sed coloribus Platonicis ea exornat, in quibus secus esse dici possit, cf. I. 1. 3. (comparatum cum Phaedro Platonis c. 1.) II. 3, 6. et aliis locis. Taceo denique tot loca ex ipso vel versa, vel brevius indicata, vel tacite accommodata, aliaque quae huc trahi possint, unde pressior ubique huius imitatio appareat. Nihilo tamen minus ea ipsa tam facilis et nihil coacta, tam ingeniosa solersque reperitur, ut illa Platonis auctor prorsus sua fecerit, incertus-

que haereas, exemplum, an formam ab exemplo expressam magis mireris. Ipsa vero verba, et totus sermonis tenor, ita Platonis sunt, ut in his paene continua serie Platonica dicendi ratio, quod in paucis modo fecimus, doceri possit. Quid? quod auctor ipse veritus est ne illa nimia viderentur, idemque se in tertii libri initio excusari inde voluit.»

In ipsa rerum tractatione Ciceronem Stoicos maxime sequi iam Hadrianus Turnebus in Commentario passim comparatis illorum sententiis docuit; Goerenzius vero l. I. pag. XXVII sqq. e Chrysippo potissimum qui ipse librum περὶ νόμου scripserat multa hausisse, compluribus locis docte et subtiliter collatis ita demonstravit, ut mihi quidem plane persuaserit.

Eidem viro doctissimo prorsus assentior existimanti Ciceronem his libris ultimam manum haud adhibuisse, neque ipsum eos edidisse, sed post obitum demum auctoris eos in vulgus emanasse. «Multa enim, inquit, (l. I. p. XVII.) in iis properantius concluduntur; alia paene nudis Stoae argumentationibus (quas auctor alias ipse, dum contortulas angustasque interrogatione vocat, traducit) absolvuntur; et quamquam sedulo huius disciplinae interioris quasi γνωρίσματα vitat, tamen in iis nonnumquam veluti spinis, haeret. Sed quum primo in libro mere philosophica tractentur, in quibus vel colligendis et disponendis auctoris animo diutius immorandum esset, inde factum puta, quod haec reliquis absolutiora videantur. Quae quum ita sint, tantum abest, ut hos libros ab Cicerone ipso editos putemus, ut (si alias sentiendi eius rationem recte novimus,) ne persuadere nobis quidem possimus, eum sic inchoatos et affectos cum amicorum quoquam communicasse. Relinquitur igitur, ut rem paucis comprehendam, hoc nobis: esse eosdem post summi viri obitum publici iuris factos.» Haec e Goerenzii Introductione descripsimus, ut eius argumentis quaedam quasi corollaria adderemus. Vnum est, quod hi libri prooemio carent, quo Ciceronem scimus omnes libros philosophicos, postquam absoluti erant, exornasse. Sic ad Att. IV. 16. de libris de re publica, quum Atticus eum admonuisset, ut Varroni locum in iis daret; ita scribit: *Varro, de quo ad me scribis includetur in aliquem locum, si modo erit locus. Sed nosti genus dialogorum meorum. — Hanc ego de re publica, quam institui disputationem in Africani personam, et Phili, et Laelii et Manilii contuli. Adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium. Itaque cogitabam*, quoniam in singulis

libris utor prooemiis — — *aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem; id quod intelligo tibi placere.* Omnibus autem dialogis, philosophicis, quos Cicero absolutos reliquit, eiusmodi prooemia praeposita esse constat, ut Academicis, libris de Finibus, Tusculanis disputationibus, libris de Natura deorum, de Divinatione, de Senectute, de Amicitia. Haec prooemia Cicero plerumque praefigere solebat libris istis iam absolutis, et ad editionem paratis. Quod intelligitur ex epist. ad Atticum XVI. 6. ubi lepidum suum erratum seu μνημονικὸν ἁμάρτημα in libris de Gloria narrat. *Nunc*, inquit, *negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi. At in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, quum aliquod συγγράμμα institui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi, tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis.* Itaque quod soli libri de Legibus eiusmodi prooemio carent, hoc ipsum indicio est, illos nondum a Cicerone absolutos, ne dum ab eo editos esse. Quod autem nulla horum librorum mentio fit in epistolis ad Atticum, quocum de omnibus fere quos scribere aggressus erat libris, communicare solebat, hoc ideo accidit, quod annorum ab urbe condita 700. et 701. omnino nullae epistolae exstant ad Atticum scriptae: qua ex re coniicere licet, Atticum his duobus annis cum Cicerone in urbe vixisse. Eoque ipso sententiae eorum, qui libros de Legibus A. U. 701. conscriptos esse statuunt, novus probabilitatis cumulus accedit.

Restat ut de locis nonnullis librorum de legibus a viris doctis coniectura tentatis, per hanc occasionem pauca adiiciamus.

Lib. II, c. 13. ubi pro verbis: *augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse*, Davisius quia in codd. Paris. et Balliol. est *accidisse* legendum putabat: *augurum praedicta multa incredibiliter vera accidisse.* V. D. in Misc. obss. in auctores vett. et recentiores Vol. III. T. 1. p. 68. conj. legendum *ex augurum praedictis multa incredibiliter vera accidisse*; Rathius autem, in animadv. editioni horum librorum Davisianae ab eo repetitae praemissis: *ex augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse.*

Lib. II. c. 17. valde blanditur emendatio eiusdem V. D. in

Misc. obss. qua pro verbis *sceleris est poena tristis* legendum censet: *sceleris scelus est poena tristis* comparato loco Senecae epist. 97. ubi dicitur: *sceleris in scelere supplicium est.* Certe ad evitandam ambiguitatem legendum esset: *ipsius sceleris est poena tristis* ut in lib. III. de officiis c. 8. *Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident; poenam non dico legum, quas saepe perrumpunt, sed* ipsius *turpitudinis, quae acerbissima est, non vident.*

ibid. ubi legitur: *iudicia perrupta ab iisdem, corrupta hominum non deorum* eidem viro docto placuit legi: *iura perrupta ab iisdem, corrupta iudicia hominum non deorum.*

Lib. I. c. 12. pro vulg. *ius quod dicam naturam esse.* V. D. Misc. obss. Vol. III. T. II. p. 226. corrigit *ius quod dicam natura esse*, quod mihi valde placet. Sic enim Cicero c. 13. eiusdem libri: *nisi separatim hoc ipsum natura esse ius disputarint.*

Lib. II. c. 6. Lectionem a me coniectura indagatam: *Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia melior multo, nominat*, iam suaserat, ut postea vidi, V. D. in Misc. obss. Vol. IV. Tom. III. p. 330.

Ibid. c. 12. ubi nunc legitur: *Continet enim, rei publicae consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere*, idem V. D. ad sensum certe melius legi vult: *Convenit enim rei publicae, consilio et auctoritate — — indigere.* Eodem tamen sensu forsan verius legas; *Continet enim rem publicam, consilio etc.*; ut de Off. II. c. 24. dicitur: *Nulla res vehementius rem publicam continet quam fides.*

Lib. II. c. 15. idem V. D. legendum censet: *Iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certatione (cursu et pugilatione et luctatione) curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis, caveae cantu ac fidibus et tibiis, dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur.*

Lib. II. c. 19. pro lectione vulgata *quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo omnino? Ergo quod cum religione coniunctum est*; idem substituit: *quid enim — aut ullo omnino nisi quod cum religione coniunctum est.* Qua ratione etsi vulgatae lectionis sensu carentis vitium corrigitur, Goerentii tamen ratio potior videtur, quam ipse quoque in ordinem recepi.

Digitized by Google

ad Lib. II, c. 22. ubi vulgo legebatur: *Iam tanta religio est sepulcrorum ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse.* V. D. in Misc. obss. T. IV. p. 334. haec adnotavit: «Cicero antea in suo corpore legum cap. 9. propositarum dixerat, *sacra privata perpetua manento*, unde coniicio, illum scripsisse hic: *ut extera sacra in gentem inferri fas negent esse*, id est nefas esse in unam *gentem* aut familiam introducere funerales ritus ad aliam familiam pertinentes. Quaeque gens proprios suos ritus funerales habebat, ideoque haec *sacra*, quae pertinebant ad *gentem Valeriam* exempli gratia *extera sacra* erant *genti Popiliae*. Et haec emendatio videtur confirmata, saltem illustrata sequenti loco in lib. de Officiis l. 17: *Sanguinis coniunctio benivolentia devincit homines et caritate. Magnum est enim eadem habere monumenta maiorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia.* Nam si omnes sanguine coniuncti, id est qui erant ex eadem gente, habebant eadem sacra, ergo lex, vetans introducere funerales ritus unius familiae in alteram, conveniens erat consuetudini Romanorum Ciceronis aevo viventium.» Huic sententiae repugnat alius Anonymus hac adnotatione subiecta: «Sed hic non agitur de ritibus funeralibus in genere, sed de sepulcris gentilibus, in quae neminem mortuum inferre licet, qui extra sacra et gentem est. Inferre vero hic absolute ponitur, pro inferre mortuum, ut clarum ex illis, quae adduxit Davisius et sexcentis titulis sepulcralibus; quibus vetatur alienum inferre, id est qui est extra sacra et gentem. Cicero saepius hac praepositione utitur, ut exceptionem indicet. Sic pro Sulla cap. XIII, *qui extra coniurationem est*, et alibi.

Ante hos quindecim annos edita est Amstelodami *disputatio iuris de loco Ciceronis qui est de Legibus, quam* praeside *H. C. Cras* I. V. D. et Professore ad publicam disceptationem proposuit *E. C. d' Engelbronner* Amstelodamo-Batavus; in qua auctor totum Ciceronis de legibus librorum argumentum fuse persequitur, et luculenter illustrat. Pauca tamen insunt, quae ad constituendam vel emendandam lectionem vulgatam pertineant. In verbis lib. I. c. 6. *Eadem ratio quum est in homine confirmata et confecta*, sine causa idonea lectioni *confirmata* praefert alteram *conformata*, a Gulielmio coniectura repertam. Sed veram esse vulgatam *confirmata*, recte vidit Davisius, advocato Ciceronis ipsius loco c. 9. extr. *perspicuum sit illud — ipsam per se naturam longius progredi, quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima et inchoata intelligen-*

*tia genera cognovit*, confirmat *ipsa per se rationem et perficit.* Lib. I. c. 12. ubi vulgo legitur *ius quod dicam naturam esse*, auctor dissertationis legendum censet vel *quod dicam ius natura datum esse*, vel *quod dicam ius natura iustum esse.* Lib. I, c. 16 init. in loco: *quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur* negat auctor se credere Ciceronem verba *si principum decretis* scripsisse, putatque haec postea fortasse adiecisse tyrannidis Romanorum principum impatientem manum, aut potius etiam male sedulam manum nescio cuius leguleii. At *principum decreta* Cicero intelligere potuit *Senatus consulta*, vel si hoc minus placeat, respicere potuit eas nationes, quae regum imperio parebant.

Lib. III. c. 18. locus est nondum, ut opinor, satis certo vel constitutus vel explicatus. *Deinde sequitur quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu. Gravis et ut arbitror praeclara lex.* QVARE CVM POPVLO QVAEQVE IN PATRIBVS AGENTVR, MODICA SVNTO; *id est modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit. Quod in senatu non difficile est. Est enim senator is, cuius non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic iussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut loco dicat, id est, rogatus: ut modo, ne sit infinitus, nam brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia.* Turnebus in prioribus verbis lectionem *cuius non ad actorem referatur animus*, amplexus, ita locum interpretatur: quae agentur modica sunto, ne quis cum populo et cum patribus agens seditiones excitet oratione aut turbas; id est totum in actore positum, qui non solum verbis animos afficit, et mentes regit, verum etiam prope vultum format et fingit eorum quibuscum egit; iam modica et sedata esse, quae cum patribus agentur, non est difficile; quae cum populo agentur est difficilius; quia senator qui audit non ita se comparat, ut populi more ex ore dicentis pendeat, et ab eo habitum animi et affectum sumat, sed ex sua sententia et prudentia spectari et existimari vult, qui de eo de quo relatum est quid sentiat dicere cupit. In hac Turnebi explicatione illud unum mihi videtur incommodum, quod verba illa: *quod in senatu non difficile est*, cum superioribus *id est modesta atque sedata*, non cum proximis: *Actor enim et moderatur — apud quos agit* coniunguntur. Pulcre staret haec ratio si transpositis verbis ita

Digitized by Google

legeretur : *id est modesta atque sedata. In concionibus enim actor et moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit : senator est is cuius non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit.* Vt nunc est, verba *quod in senatu non difficile est* referenda sunt ad proxime praecedentia. Et horum quidem verborum nexum optime sic exposuit Goerenzius : « Animos auditorum flectere nihil difficultatis habet in senatu, ubi regendae sunt mentes et voluntates prudentium, qui volunt, ut prudentia ipsorum per se ipsa spectetur, neque ab actoris oratione pendent ad placendum, persuadendum, commovendum composita. » Apte etiam idem comparavit locum de Orat. II. 82. ubi item de deliberationibus in senatu et coram populo agitur. Ibi Cicero : *Atque haec*, inquit, *in senatu minore apparatu agenda sunt ; sapiens est enim consilium multisque aliis dicendi relinquendus locus — Concio capit omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderat* ; quod paullo post uberius explanat hisce verbis : *Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen quia summa dignitas est populi, gravissima causa rei publicae, maximi motus multitudinis ; genus quoque dicendi grandius et illustrius esse adhibendum videtur, maximaque pars orationis admonenda est ad animorum motus nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos, saepe etiam a temeritate, iracundia, spe, iniuria, invidia, crudelitate revocandos.* Attamen una manet in hac ratione difficultas. Non enim sententia videbatur postulare hoc, ut diceretur : *quod in senatu non difficile est* ; sed potius, *quo in senatu minus opus est.* Itaque haud scio an servata antiqua lectione *cuius non ad* auditorem *referatur animus*, totus locus ita legendus sit : *Actor enim se moderatur et fingit non modo ad mentes ac voluntates, sed paene ad vultus eorum apud quos agit ; quod in senatu non difficile est. Est enim senator* (scil. qui in senatu sententiam dicit) *is, cuius non ad auditorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit.* Ita haec sententia prorsus convenit cum illa, in Oratore c. 8. *Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt intuentur, ad eamque et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant.* Non tamen inficior hanc quoque rationem mihi non omnino satis facere ; nisi verba sic ordinentur : *id est modesta atque sedata. Quod in*

*senatu non difficile est. Actor enim in concione se moderatur et fingit non modo ad mentes ac voluntates, sed paene ad vultus eorum apud quos agit; senator est is, cuius non ad auditorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit.*

In sequentibus verbis: *nam brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia*; nisi sensum sic exponas: nam brevitas in sententia dicenda non modo senatoris prudentiam, sed etiam eiusdem ut oratoris eloquentiam decet; aptius fuerit legere: *nam brevitas magna senatoris laus est in sententia dicenda.* Sic enim Cicero in Bruto c. 13. *Brevitas laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.*

In proximis verbis: *nec est umquam longa oratione utendum nisi aut peccante senatu, quod fit ambitione saepissime nullo magistratu adiuvante tolli diem utile est, aut quum tanta causa est etc.* etsi vulgata lectio defendi potest, facilior tamen erit constructio, si cum Lambino legas: *nisi aut*, quum *peccante senatu — tolli diem* (h. e. dicendo eximi) *utile est.* Ceterum sententiam ipsam optime explicavit Goerenzius, ut *peccante senatu*, de senatoribus ambitione potentium nimium faventibus, intelligendum sit, *nullo adiuvante magistratu* autem sit i. q. nullo magistratu actorem adiuvante, quippe quum saepe consules senatum dimitterent, si quid eum, quod e re publica non esset, decreturum viderent. Ita minime opus est Rathii correctione, qui e variis codd. lectionibus hanc scilicet scripturam probabilem eruisse sibi videbatur: Nec est umquam longa oratione utendum nisi — ut peccante senatore, quod fit ambitione saepissime causa a nullo magistratu adiuvetur, tolli diem utile est.

Vnum illud addam lib. III. c. 5. extr. sine dubio legendum esse *Diogene Stoico*, non *Dione*, quod iam Turnebus intellexit, et nuper asseruit doctissimus van Lynden in diss. de Panaetio p. 84.

Digitized by Google

# M. TVLLII CICERONIS

DE

# LEGIBVS

## LIBER PRIMVS

### I.

*Atticus.* Lucus quidem ille, [1] et haec Arpinatium [2] quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario. [3] Si manet illa quercus, haec est profecto: etenim est sane vetus. *Quintus.* Manet vero, Attice noster, et semper manebit; sata est enim ingenio: nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poëtae versu seminari potest. *Att.* Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poëtae serunt? mihi enim videris, fratrem laudando, suffragari tibi [4]

(1) Prooemium deesse censent Turnebus aliique nonnulli. Me vero non habent adsentientem; nam quatuor prima capita quintique pars susceptae disputationi praemissa sunt, adeoque prooemii vicem supplent. Dav. — *Lucus quidem.* Cf. Platonis Phaedrum, quem in his ante oculos habuit Tullius, ubi et alia et haec p. 229, p. 6 Bekkeri: Ὁρᾷς οὖν ἐκείνην τὴν ὑψηλοτάτην πλάτανον. Cf. infra lib. II, c. 3, § 7. Cr.

(2) Alii *Arpinatum*: perpetua quidem varietate, sed h. l. inutili, ut dudum accurate docuit Heusing. ad Off. I, 7, 3. Eius causa in eo quaerenda est, quod scribae genitt. in *ium* et *um* communi signo notant. *G.*

(3) In carmine Ciceronis, quod adolescens in laudem C. Marii municipis sui (erat enim hic quoque Arpinas) conscripserat.

(4) Scil. ut poëtae. Nam constat Q. Ciceronem ipsum quoque poëmata fecisse.

*Q.* Sit ita sane. Veruntamen, dum latine loquentur literae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur: eaque, ut ait Scevola de fratris mei Mario,

*Canescet saeclis innumerabilibus.*

Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam [1] tenere potuerunt, aut, quod Homericus Vlysses [2] Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem; multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

*Nuntia fulva Iovis, miranda visa figura,* [3]

nunc sit haec. Sed quum eam tempestas vetustasve [4] consumpserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum [5] vocent. *Att.* Non dubito id quidem: sed hoc tam non ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poëta, tuine versus hanc quercum seve-

(1) Oleam illam intelligit, quam in certamine Pallas edidit, ut Athenis nomen imponeret. Notum est in vulgus, Palladem cum Neptuno de Athenarum principatu certasse. Quam litem Iupiter sic diremit, ut is potiretur loco, qui de civibus optime mereretur. Vrbem portu ac navalibus Neptunus instruxit: Minerva oleam in arce edidit: ea re vicisse Palladem pronuntiatum est. Geopon. IX, 1, p. 218 *sq.* Mr.

(2) Lego: *aut, quam Homericus Vlysses Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eamdem*; quo modo legi posse monuit etiam Turnebus. Dav.

(3) Finxerat Cicero, ex alta quercu in Arpino, praetereunte Mario, evolasse aquilam, indeque Marium faustum augurium suscepisse. Haec autem aquila Iovi sacra dicitur *fulva*, ut distinguatur ab aquilis *fuscis* et *nigris*, quibus generibus illud generosius habebatur. Mr.

(4) Non contemnenda est lectio *necessitas tempestasve*, quam Oxon. V. Brux. aliique, sed reliqui transverso ordine, referunt; quippe non ex librariorum ingenio nata videatur. Nam *necessitate* fieri dicuntur, quae necessaria naturae lege eveniunt; bene igitur ei *tempestas* opponitur. In Vien. est, Altero teste, *tempestasve vetustasve*: ut verbum *vetustas* pro glossa haberi possit, quae veram lectionem extruserit. *G.*

(5) *Quercum* abest duob. codd. Dav.

Digitized by Google

rint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. *Marcus.* Respondebo tibi equidem, sed non ante, quam mihi tu ipse responderis, Attice: certe-ne [1] non longe a tuis aedibus [2] inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse, et Quirinum vocari, templumque sibi dedicari in eo loco iusserit; et Athenis, non longe item a tua illa antiqua domo, Orithyiam [3] Aquilo sustulerit; sic enim est traditum. *Att.* Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? *M.* Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea quae isto modo memoriae sint prodita. *Att.* Atqui multa quaeruntur in Mario, fictane, an vera sint; et a nonnullis, [4] quod et in recenti memoria, et in Arpinati homine, vel severitas a te postulatur. [5] *M.* Et mehercule, ego me cupio non men-

uno Vrsini, uno Goerenzii, quod hic tamen recte tuetur.

(1) Lambinus *certene non longe.* Vrsinus e Ms. suo *certe num longe.* Davis. malebat *certene non longe,* et paullo post *et verene Athenis.* Ernestius ex edd. vett. nonnullis dedit *num non longe.* Vulgatam bene vindicat Goer.—*Certe non.* In editione vetere *certe nam*; omnino legendum: *Certo ne non longe.* Graev. —*Certene.* Interrogandi particula, ex multorum librorum vestigiis addita, sensum, primum legenti, minus dubium facit, impeditque, quo minus lector recitans sero errorem toni animadvertat. Credo etiam, Wyttenbachium, qui in scholis Ernesti rationem ideo tantum probavit, quia interrogandi particulam desiderabat, Graevii lectionem, propius ad libros accedentem, simul ac eam conspexisset, probaturum fuisse. Ms. — Schutz. *Certe non.*

(2) *Tuis aedibus*) *Pamphilianis*, a conditore puta dictis, et in colle Quirinali, cui ab ista Quirini, Proculo oblata, specie (ut certe Varro de Lat. L. IV, p. 43, coniicit), nomen manserat, positis. Cf. Nepos, Att. c. 43. *G.*

(3) De Orithyia locus classicus est apud Plat. Phaedr. pag. 280 Bip. ex quo etiam coniicere licet, alteram Attici domum Athenis in Ceramico fuisse quaerendam. *G.*

(4) Codd. Par. B. 8. Cr. omittunt *et* post *quod*, cod. W. voculam *in.* Turneb. in commentario primo ad h. l. haec adscripserat: *Et a nonnullis*, etc. Sensus constabit, si particulam *et* expungas, hoc modo: atqui multa quaeruntur in Mario, fictane an vera sint, a nonnullis: quod et in recenti memoria et in Arpinati homine (subaudi: quaeritur), non in re veteri. Ms.

(5) Ita praestantissimi codices. In aliis est *sed veritas. Severitas* tamen, etsi renitatur Gruterus, ad rem nihil omnino facit. Lambinus itaque rescri-

dacem putari; sed tamen nonnulli isti, Tite, [1] faciunt imperite, qui in isto periculo [2] non ut a poëta, sed ut a teste, veritatem exigant. Nec dubito, quin iidem, et cum Egeria collocutum Numam, et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. [3] *Q.* Intelligo, te, frater, alias in historia leges observandas [4] putare, alias in poëmate. *M.* Quippe quum in illa ad veritatem quaeque referantur, [5] in hoc ad delectationem pleraque. Quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

psit *in Arpinati homine*, vel *re veritas a te postulatur*. Ipse legerim *in Arpinati homine veritas a te postulatur*. Duplex, ut arbitror, olim fuit lectio; et *veritas* quidem verba Ciceronis obtinebat, quum vel *severitas* ad oram, vel inter lineas poneretur. Dein processu temporis illa prorsus exsulabat, haec integra recipiebatur. Nam *veritas* orationi prorsus est necessaria, quemadmodum patet ex responso Marci, qui subiicit: »Et mehercule ego me cupio non mendacem putari.« *Arpinatem* vero *hominem* videntur isti memorasse, quod Noster, non minus quam Marius, Arpinas fuerit. Dav.

(1) *Noster* addit cod. Dresd. unus. — Victorius et Turnebus edidere: *Nonnulli isti, Tite noster, faciunt imperite*. Eamdem, credo, scripturam repererunt in suis, ac nos in Paris. Reg. Harleian. sec. et Ven. 1471, in quibus est *Tite nostri*. Lubens equidem reposuerim: *nonnulli isti, Tite, vestri faciunt imperite*. Quam crebro confusi sint *nostri* et *vestri*, probe sciunt qui MSS. tractaverunt. Vide, si nescis, Cl. Drakenborchium ad Silii Italici XI, 417. Dav.

(2) *Periculum* hoc loco significat id quod fit ab artifice tantum experiendi et periclitandi ingenii gratia, seu quod primo ab artifice excogitatur et efficitur, ut postea expoliatur et accuratius absolvatur, seu indicem. Lamb.

(3) Wytt. ad h. l. ita: Tarquinius Priscus, natus Demarato patre Corinthio, exsule regiae gentis Heraclidarum, ex urbe Etruriae, Tarquiniis, unde ei cognomen est, Romam migrans, hoc omine ad bonam spem futurae dignitatis inductus est. Rem narrat Liv. XXXIV, pro *apice* dicens *pileum*, quod est species pro genere; graece *apex* dicitur ἄψις, unde latine est *apex* et notat summitatem, cacumen, h. l. tegumentum capitis, quod exposuit Ios. Scaliger ad Varron. p. 424.

(4) Mss. Dresd. 1, 2. Cassel *servandas*.

(5) Sic cod. Vrsini; et sic Turnebus, Davisius ediderunt. Recte; nam nisi *quaeque* hic adderetur, non erat opus dicere *Quamquam et ap. Herodotum — fabulae*. Vulgo *ad veritatem, Quinte, referantur*, quod reduxit Goerenz.

Digitized by Google

II. *Att.* Teneo, quam optabam, occasionem, neque omittam. *M.* Quam tandem, Tite? *Att.* Postulatur a te iamdiu, [1] vel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui literis delectantur, [2] sed etiam patriae debere hoc munus; ut ea, quae salva per te est, per te eundem sit ornata. Abest [3] enim historia literis nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime. [4] Quamobrem aggredere, quaesumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata aut relicta. Nam post annales pontificum maximorum, [5]

(1) Wytt. in scholis: *Rogamus* id, quod iure postulare non possumus. *Postulamus* id, quod nobis debetur. *Flagitamus*, si ita rogamus, ut orationi nostrae eas rationes et eam assiduitatem adhibeamus, ut rogatus quasi verberetur, flagelletur, et precibus tamquam *flagris* agatur; inde *flagitium* dicitur facinus flagris dignum.

(2) *Literae* enim, ut recte monuit Goer. h. l. sunt id quod nos lectionem (*Lectüre*) vocamus. Wytt. ad h. l. ita: *Literarum* et *studiorum* nomina saepe quidem promiscue ponuntur; at hoc loco quum coniunguntur, unice valet: *eorum studiis, qui literis delectantur*. Nam ut recte et frequentissime dicitur *studia literarum*, ita dici nequit *literae studiorum*. Nam *studia* notant voluntatem et industriam, *literae* autem ipsam rem, cui studetur. Mn.

(3) Idoneis exemplis Davis. *abest* pro *deest* positum, contra Lamb. defendit, qui hoc reponi volebat. Sic ἀπεῖναι Plato et Xenoph. saepius. G.

(4) Wytt. id est: nam hoc unum opus, historiae conscriptio, in primis maxime est oratorium, i. e. maxime convenit eloquentiae. Itaque praestantissimi historici iidem eloquentissimi fuerunt.

(5) Annales maximos intelligit, qui a pontificibus praescribebantur. Cicero de Orat. lib. III, cap. 12: *Erat enim historia nihil nisi annalium confectio: cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mutium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis P. Max. efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: iique etiam nunc annales maximi nominantur.* Nam,

quibus nihil potest esse iucundius,[1] si aut ad Fabium,[2] aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes? Fannii autem aetati[3] coniunctus Antipater[4]

ut ait Macrobius, Saturn. lib. III, c. 42: *Pontificibus erat permissa potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, et hos annales appellabant maximos*, quasi a pontificibus max. factos. Iam hic *iucundius* in libro scripto habetur, ac iucunditas in puritate sermonis, absque ornatu etiam oratorio in cognitione antiquitatis esse potest. Tale quiddam de XII Tab. et pontificum libris scribit Cicero in Dialogo de Oratore, lib. I, cap. 43, his verbis: *Mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio: nam si quem aliena studia delectent, plurima est in omni iure civili, et in pontificum libris, et in XII Tab. antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et actionum, et quaedam genera maiorum consuetudinem vitamque declarant.* Horatius lib. II, Epist. I, 26: *Pontificum libros, annosa volumina vatum, Dictitat Albano Musas in monte loquutas.* Tvrn.

(1) Lambin. coniiciebat *eiuncidius* vel *iuncidius*. Vrsinus malebat *ieiunius*. Davisius *iniucundius* vel *incomptius*. Recte vero vulgatam defendit Goerenz. advocato loco de Orat. I, 43.

(2) Fabius Pictor, historicus latinus, cuius hodie nescio quod exstare dicitur. Eius meminit Cicero in Bruto. Refert etiam Dionysius, lib. I, Quintum Fabium annales graecos scripsisse: sed et Cicero his verbis, de Divin. I, 21: *Hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris graecis annalibus eiusmodi est.* An autem alius sit, an idem graece et latine scripserit, quaerendum relinquo. Fabium, qui annales latinos scripsit, vocat Dionysius maximum. Tvrneb. — *Catonem.* Qui libros Originum scripserat: nec tamen titulum operis, ut ait Festus, implebat. Eum plurimum laudare Cicero solebat, ut ex Bruto apparet. Tvrn. — *Pisonem.* L. Calpurnius Piso Frugi consul fuit cum P. Mucio anno Romae conditae 620, edidit Annales, quos Cic. dicit *exiliter scriptos.* Brut. 27. J. V. L. — *Fannium.* Hic scriptor annalium fuit: cuius Cicero in Bruto meminit. Eius Annales Brutus in Epitomen redegit. Tvrn. — *Vennonium.* Hic quoque historiam latine condidit. Cic. lib. XII ad Atticum, Ep. 3: *At moleste fero Vennonii historiam me non habere.* Tvrn.

(3) Ita cum Davisio Goerenzius correxit vulg. *aetate.*

(4) Caelius Antipater, historicus latinus, Crassi familiaris, vires et sonum historiae addidit, verborum tamen collatione tractuque orationis aequabili, qui propius historiae est, caruit. Cicero in Bruto et in libro de Orat. eius meminit. Brutus Antipatri historiam in epitomen redegit: Coelius autem Punicum bellum scripserat. Tvrneb.

Digitized by Google

paullo inflavit vehementius, [1] habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra; [2] sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, [3] sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. [4] Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum; nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis; [5] in orationibus autem *multas ineptias*; *elatio* summam impudentiam. [6] Sisenna, eius amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui [7] forte nondum ediderunt, [8]

(1) A tibicinibus aliisve, qui pneumaticis organis utuntur, ducta metaphora. Dav. — *Paullo inflavit vehementius.* Wytt. in scholis ita: Est autem verbum *inflare*, h. l. cavillatorium i. e. ad irridendum positum. In scriptore laudatur sublimis spiritus, at ventus reprehenditur, item ventositas.

(2) Vtraque vox ad orationis stylique concinnam compositionem ac munditiem ex palaestra ubi lucta exercebatur, translata est. Ma.

(3) Scil. *Antipatrum.*

(4) Wytt. ad h. l. Est figura, quam vulgo vocant abstractum pro concreto, i. e. potius ad antiquos illos, languidos atque inscitos. *Inscitia* vero non est inscientia seu ignorantia, sed illud vitium, quo quis dicitur inscitus, i. e. inficetus, inurbanus, ab elegantia remotus. Qua de re est doctus excursus Gernhardi in editione Cic. de Senect. p. 293-302. Ma.

(5) Ad vocem *librariolis* W. ita: Librorum descriptores et mercatores opponuntur hoc loco bibliothecis amplis ac doctrinae Graecorum. Literae enim latinae tum adhuc rarae erant, ac paucis libris continebantur. Ma. — *In orationibus.* Orationes illae intelliguntur, quas historici in historiis suis interponere solebant, prouti fecerunt omnes veteres. Ma. — *Et ineptus.* In huiusmodi igitur orationibus *Macer* est *multus*, nimius, nimis frequens; *ineptus*, i. e. intempestivus, nullam decoris et verisimilitudinis rationem habens; *ad summam impudentiam*, i. e. usque ad summam impudentiam; quae in eo cernitur, quod Macer lectores suos quasi per impudentiam contemneret, ut iis persuaderi posse putaret, has orationes verisimiles esse. Ma.

(6) Vulgo *in orationibus autem multus et ineptus, ad summam impudentiam.* In codd. Mss. aliquot est *m. e. i. datio summa impudentia.* Victorius dedit *multas ineptias, elatio summam impudentiam.* Idem amplexus est Goerenz, nisi quod pro *impudentiam* dedit *imprudentiam.*

(7) Cassel. *nisi si qui forte.* G.

(8) Nondum ediderat Sallustius,

de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam, de Graecis legisse videatur; eum tamen velle duntaxat imitari, [1] quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus; hoc a te exspectatur: nisi quid Quinto videtur secus.

III. *Q.* Mihi vero nihil; et saepe de isto collocuti sumus. Sed est quaedam inter nos parva dissensio. *Att.* Quae tandem? *Q.* A quibus temporibus scribendi capiat exordium. Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, [2] ut ne legantur quidem; ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit, [3] ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. *Att.* Ego vero huic potius assentior. Sunt enim maximae res in hac memoria, atque aetate nostra: tum autem hominis amicissimi, Cn. Pompeii, laudes illustrabit: incurret etiam in illummet memorabilem annum suum; [4] quae ab isto talo praedicari, quam, ut aiunt, de Remo

nondum Lucceius, a quo res suas celebrari cupiebat. Tvrn.

(1) *Imitari*, ait W. ita iungendum est cum *dumtaxat* et *velle*, ut hic sit sensus: vult quidem imitari Clitarchum, sed vult dumtaxat, tantum conatur, nec potest. Cr.

(2) *Illa* h. l. rariore usu dicitur pro *haec*, sc. haec tempora, de quibus modo diximus, sive ultima, quae continent initium rerum romanarum. Ceterum hic usum pronominis *illa* hoc loco ita potest accipi, ut dicatur de rebus tempore remotis. Mr.

(3) Ad h. l. W. ita: Attendendum est ad elegantem usum duorum nominum: *aequalis*, quod dicitur de rebus tempore et aetate coniunctis, vulgo barbare *coaetaneus*. *Memoria* autem hic ponitur pro historia, s. materia historiae, prouti supra *tempora* ponuntur pro historia illorum temporum. Mr.

(4) De suo consulatu Cicero commentarium graece iam scripserat, quem librum ait, ad Attic. lib. II, ep. 1, *totum Isocratis μυροθήκιον atque omnes discipulorum eius arcu-las, ac nonnihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsisse*. Sed aliud est historiam, aliud commentarium scribere et tamquam breviarium conficere. Tvrn.

Digitized by Google

et Romulo. [1] *M.* Intelligo equidem a me istum laborem iamdiu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum. [2] Neque enim occupata opera, [3] neque impedito animo, res tanta suscipi potest. Vtrumque opus est, et cura vacare, et negotio. *Att.* Quid? ad cetera (quae scripsisti plura, quam quisquam e nostris) quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? *M.* Subseciva quaedam tempora incurrunt, [4] quae ego perire non patior: ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. [5]

(1) Quam de rebus obsoletis ac priscis et vetustatem ultimae originis habentibus, et a nostra memoria remotissimis, istum non tam scribere quam vaticinari: istudque proverbii speciem habere videtur. Tvrn.

(2) Vacuum tempus est, quum occupati non sumus: liberum, quum nec occupati sumus, nec cura aliqua impediti. Tvrn.

(3) *Occupata opera* est *ante*, *praeoccupata*, ut *occupata tempora*, pro Planc. 27, 66, et *incitato furore*, Acad. II, 28, 89, quod idem ille tentat. *Impeditus* autem *animus* ad alius generis, quam quae sunt negotiorum, curas pertinet. Eadem haec, sed explicatius adduntur, *utrumque opus est, et cura vacare et negotio.* Quae quidem verba, ut factum videmus, cave in glossa iudices, quum mos sit Cic. constans et fere perpetuus, sententiam, ad quam accuratius attendi velit, variatis verbis explicatiorem reponere: ut oratorem ex eo facile agnoscere queas. Eius generis exempla affatim congessere Wopk. p. 55 et 256; Brem. ad lib. de Fato, c. 10, et ad Fin. I, 6, quorum tamen copiam facili opera quadruplo maiorem feceris; cf. § 9. *G.*

(4) *Subseciva.* Haec vetus scriptura est. Ab assignationibus agrorum ductum, quum centuria non implebatur; aut quum agri steriles erant, ut palustres et macri, qui assignari non possent, et relinquebantur, aut reddebantur veteribus possessoribus. Frontinus, de Limit. Agror. pag. 39: *Subsecivum est quod a subsecante linea nomen accepit. Subsecivorum duo genera, unum quod in extremis assignatorum finium centuriam explere non potuit: alterum quod in mediis assignationibus et integris centuriis intervenit.* Varro etiam R. R. lib. I, cap. 10, quum iugerum non impletur scribit, *Ab hoc principio mensores nonnumquam dicunt in subsecivum esse unciam agri.* Sic *subseciva tempora* quae subsecantur et iustis negotiis detrahuntur. Tvrn.

(5) I. e. hos ad ea, quae scribimus, adhibeamus. Nam *eorum* non ad *si qui dies*, sed *quae scribimus* referendum est. Saepe vero *numerus* ex abundantia ponitur. Cf. de Div. II, 1, 3: *Cato noster in horum librorum numero*

Historia vero nec institui potest, nisi praeparato otio, [1] nec exiguo tempore absolvi: et ego animi pendere soleo, quum semel quid orsus, traducor [2] alio; neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. *Att.* Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat, [3] aut eiusmodi quampiam cessionem [4] liberam atque otiosam. *M.* Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, [5] quum praesertim non recusa-

*ponitur*, etc. G.— Sic Goerenz. aliter vero censet Turnebus: Scriptiones instituimus quas paucis diebus absolvamus, easque accommodamus ad dies rusticationis.

(1) Cod. Par. *non parato otio*, quod videtur esse correctoris, quem item agnosco in cod. Par. B. ubi voci *ocio* (ita enim scripta est) supra inscriptum est *negotio*. Quod ad sensum uterque bene. Sed si medela opus sit loco, faciliorem mihi reperisse videor, reponens *praeparata*, ut sensus sit: nisi historia, i. e. materia historiae ante per otium fuerit comparata, collata eoque praeparata. Mr.

(2) In Mss. *si traducor*. Id Goerenzius nimis propere a viris doctis reductum esse censet, quum dubium sit, an potius, ante *semel*, particula *quum* delenda fuerit. Davisio placebat *quum semel quid orsus sim, si traducor*. Goerenzio *quum semel quid orsus sum, traducor*.

(3) Legationes nonnumquam senatores impetrabant, sine ullo munere et procuratione reip. ut persequerentur suas syngraphas in provinciis illicque negotiarentur: et ut libere abesse possent ab urbe. Earum legationum ante consulatum Ciceronis tempus erat infinitum, Cicero ad annum redegit: postea Caesar quinquennium lege Iulia indulsit. Itaque erant qui ante consulatum Ciceronis quinquennales fuisse scribunt. *Libera* autem *legatio* dicebatur, quod libere in quam vellent provinciam, in quam vellent urbem proficiscerentur; ubi etiam, ante Ciceronis legem, quantum volebant libere manebant. Impetrabantur et *legationes votivae*, quum vota quae voverant, ut verbi gratia, si stetisset respubl., solvebant: tum autem fana et sacra loca circuibant: Turneb.

(4) I. e. secessus aut peregrinatio, abitus ex urbe studiorum causa. Vox rarior hac significatione, omissa etiam in melioribus lexicis. In simili re *secessum* dixit Ovid. Trist. lib. I, El. I, v. 41: *Carmina secessum scribentis et otia quaerunt*. Rathius *cessationem*, quod et proprietatis Ciceronianae esse, neque interpretatione egere ait, restitutum voluit. Wyt.

(5) Oratores, aetate ingravescente, deposito causarum forensium onere, domi, quo suam etiam tum dignitatem tuerentur, ius respondere solebant. Sic de Orat. lib. I, cap. 45, sub Crassi persona: *Iuris interpretationem, non solum ad usum forensem, sed etiam ad decus et ornamentum senectutis sibi comparasse* dicit. Turneb. — *Vacationi*. Quia senibus militiae vacatio datur et aliorum munerum, ut in aliis rebus eodem modo usurpari

Digitized by Google

rem, quo minus, more patrio sedens in solio,[1] consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere. Sic enim mihi liceret et isti rei, quam desideras, et multis uberioribus atque maioribus, operae, quantum vellem, dare.

IV. *Att.* Atqui vereor ne istam causam nemo noscat;[2] tibique semper dicendum sit, et eo magis, quod te ipse mutasti, et aliud dicendi instituisti genus: ut quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu ceciderat,[3] ipsasque tardiores fecerat tibias: sic tu a contentionibus,[4] qui-

debeat, ut in causis agendis. Sexagenariis autem a muneribus civilibus aetatis vacatio dabatur: quinquagenariis a militaribus. Seneca de Brev. vitae, cap. 20: *Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.* Cornelius Nepos in Attico, cap. 7, 1: *Incidit Caesarianum civile bellum, quum haberet annos sexaginta. Vsus est aetatis vacatione, neque quoquam se movit ex urbe.* Cicero autem quum hos libros scripsit, non longe a sexagenario aberat. Tvrn.

(1) *Solium* proprie est sella regalis. Dicitur etiam de sella excelsa, in qua iuris consultus, domi sedens, consultum venientibus de iure respondebat. Vide Cic. de Oratore, III, 33. Ms.

(2) *Caus. noscat.* Excusationem. W. — Puto simplex esse pro composito *agnoscat*, ut sit: causam reputet veram ac bonam. Scheff. — *Dicendum.* I. e. causae agendae sint in foro et iudiciis. W. — *Vt quemadmod. Roscius.* Cantica in proscenio ab histrionibus ad tibiam canebantur, et saltabantur. Roscio comoedo, et Aesopo tragoedo operam ad formandum gestum distinguendamque varietate orationem Cic. dedit. Etiam librum Roscius edidit de comparatione histrioniae et eloquentiae. Is autem iam senex, quum in scena canticum ad tibiam caneret, iubebat tibicinem, non ut antea, citatos et acutos incinere modos, sed tardos senectutisque gestui aptos, ac ipse remissiore voce utebatur. Tvrn.

(3) Vulgo inepte *occinerat.* Sed meliores libri habent *ceciderat*, quod non est a *cado* (ut cum Goerenzio interpreteris *ceciderat quoad cantus*) sed potius a *caedo*, ut *ceciderat numeros* idem *sit* quod *incciderat*, tardiores fecerat. Non male Lambinus *numeros, et cantus remiserat.* Sed haec Lambini ratio nimis a scriptura codicum recedit.

(4) Cicero in prima iuventute omnia sine remissione et varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebat, ut in Bruto scribit. Postea quum iterum operam dedisset Moloni, contentio nimia vocis cecidit, et quasi eius defervuit oratio.

bus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit. Quod sustinere quum vel summa senectus posse videatur, nullam tibi a causis vacationem video dari.[1] *Q.* At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses.[2] Quamobrem, quum placebit, experiendum tibi censeo. *M.* Id,[3] si quidem, Quinte, nullum esset in experiendo periculum. Sed vereor, ne, dum minuere velim laborem, augeam, atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam, nisi paratus et meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio, quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat,[4] sine qua ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere. *Att.* Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsecivis, ut ais, temporibus, et conscribis de iure civili subtilius, quam ceteri? Nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, quum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem: neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius civile contemneres. *M.* In longum sermonem me vocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam: et quoniam vacui sumus, dicam. *Q.* Ego

Paullo ante bellum civile semper aliquid relaxabat: ac proinde de se sic in Bruto scribit, cap. 2: *Quod eo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis, tamquam in portum confugere deberet, non inertiae neque desidiae, sed otii moderati atque honesti: quumque ipsa oratio iam nostra canesceret, haberetque suam quamdam maturitatem et quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta*, etc. Ceterum contendere et relaxare contraria sunt. Translatio esse ducta videri potest a fidibus contentis et incontentis. Tvan.

(1) *Dari* ponitur pro *datum iri*. W.

(2) Frequentius dicitur *respondere de iure*, rarius *respondere ius*, nec tamen huius usus exempla desunt. Vid. Ern. Clav. Cic. s. v. *Respondere ius*, ait Scheff. qui interrogantibus et consulentibus de eo ius indicant. Wy.

(3) Subaudi: ita sane facerem.

(4) I. e. praeparationem et meditationem ad dicendam causam. W.

Digitized by Google

vero libenter audierim. Quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem? *M.* Quin igitur ad illa spatia [1] nostra sedesque pergimus? ubi quum satis erit deambulatum, [2] requiescemus. Nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quaerentibus. *Att.* Nos vero: et hac quidem adire, si placet, per ripam et umbram. [3] Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias. *M.* Egone? [4] summos fuisse in civitate nostra viros, [5] qui id interpretari populo, et responsitare soliti sint: sed eos magna professos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum ius civitatis? [6] quid autem tam

(1) Idem est, quod ambulacrum, ambulatio, i. e. locus ad ambulandum factus, unde est verbum *spatiari*. Cicero in suis villis habebat spatia, porticus, gymnasia, similesque locos ad similitudinem graecorum gymnasiorum, in quibus philosophi habitabant et scholas habebant. Wv.

(2) Davis. Ern. *ambulatum*.

(3) Alii: *et hac q. adire sic placet, p. r. et umbr.*

(4) Optime sic emendavit Goerenz. vulg. *Ego memini.* — *Egone*, scil. *quid sentiam?*

(5) Pomponius scribit Romae clarissimos et amplissimos viros ius responsitare solitos esse: et Romani, ut ait Cicero, clarissimorum virorum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt. Hoc tamen munus, ut ait Pomponius, Digg. lib. I, tit. II, 6, initio pontificum erat, et *ex collegio pontificum* constituebatur, *qui quoque anno* praeesset *privatis*. Is autem ius respondebat, et actiones instituebat, suoque consilio homines instruebat: id enim intelligit Pomponius; quo etiam modo illud a Cicerone scriptum est, de Orat. lib. I, cap. 10: *Multisque praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertum vocarent.* Nobis enim *praeest* qui non tantum rebus nostris interest, verum etiam qui auctoritate sua et consilio tanquam quid agamus imperat. Mox scribet, *Qui ei muneri praefuerunt.* Tvan.

(6) *Ius civitatis* latius patet, quam *ius civile*. Hominibus autem, e statu solitario et natali in societatem coëuntibus, duplex continuo ius scitum est, alterum *ius civitatis*, quod inter eiusdem civitatis homines intercedit, alterum *ius gentium*, quod est inter diversas societates. *Ius civitatis* duabus constat partibus, *iure privato*, quod officia tradit, quibus cives inter se continentur, et *iure publico*, quod officia complectitur, quae civibus cum ipsa republica ac summis eius imperantibus intercedit. Ex his partibus *ius privatum* proprie dicitur *ius civile*. Porro *ius civile* angustiore etiam significatione ab ipsis legibus distinguitur et continet *responsa iuris con-*

exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur, quamquam est populo necessarium? [1] Nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi iuris expertes fuisse existimo; sed hoc civile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum praestare voluerunt. [2] Id autem incognitum est minus, quam in usu necessarium. [3] Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? aut ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? quae et scripta sunt a multis diligenter, et sunt humiliora, quam illa, quae a vobis exspectari puto.

V. *Att.* Atqui, si quaeres, ego quid exspectem: quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae

*sultorum*. V. Bach. Hist. Iur. ap. Rom. II, 2, 10. Mn.

(1) Legendum puto, *qui consuluntur quum est populo necessarium*. Tvrn.

(2) Quantum populo necessarium esse iudicaverunt. In scripto *populum praestare* legitur, quod melius est; id est, de quibus populum teneri et obligatum esse voluerunt. Tvrn. — Puto simpliciter *praestare populum* hic esse: multitudinem antecedere, meliorem, peritiorem ea esse. Vt sit sensus: nil quaesivisse ultra, quam ut plus aliquid scirent, quam populus in commune. Ern. in Clave v. *praestare* primum explicat: Intell. tutum, a periculo in causis forensibus, consilium, formulas actionum dando, cavendo, etc. Deinde locum, repudiata Davisii interpretatione itemque, quam Brutus amplexus erat, Turnebiana, coniicit: *quoad populo probare potuerunt*. Wytt. ad Ernesti partes inclinat. Sed recte nobis Goer. locum explicasse videtur dicens: i. e. ius civile ea tantum ex parte excoluerunt, qua populi i. e. eorum, quibus causarum patrono, etc. opus esset, partes causasque suscipere possent; tantum igitur (vid. § 15) quantum usus forensis desiderat. Proprie quidem *praestare aliquem* in re pecuniaria dicitur, sed deinde varimode (voluit *multis modis* s. *multipliciter*) ad similia transfertur. Mn.

(3) Varie tentant hunc locum. Ed. noviss. Paris. *Id autem incognitum est, minusque in usu necess.* Scheff. *quam usu necess.* i. e. Ius civile minus est incognitum, quam est necessarium usu. Poterat cum usu reipublicae plus ignorari, quia nimia illa notitia facit litigiosos, ut mox (§ 18, c. 6) ait Quintus. « Ita fere, et bene quidem, Goer. explicat: ius civile diligentius et subtilius excultum est, quam usus ipse desideret. Videtur autem Cic. his nimiam ἀκρίβειαν iureconsultorum tangere. Wagn. vocem *id* non ad propius pertinere, sed ad

statu,[1] consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. *M.* Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia, et cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit, die in cupressetis Cnossiorum, et spatiis silvestribus,[2] crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? *Att.* Ego vero ista audire cupio.[3] *M.* Quid ait Quintus? *Q.* Nulla de re magis. *M.* Et recte quidem. Nam sic habetote, nullo in genere disputandi magis honeste patefieri,[4] quid sit homini tributum na-

*ius civitatis* monet, ut sit positum pro *illud*. Sed, si locum, uti supra factum est, explices, neque Ernesti emendatione, neque Wagneri explicatione opus esse recte ait Goer. Ms.

(1) Non eo in universum optimo, quem *idealem* vocant, qualemque Plato in XII de *politia* libris effinxerat, sed romanae reipublicae forma ad illum optimi speciem adaptata et emendata. Eamdem enim auctor in istis de Republica libris rationem sequutus erat, quam in his de Legibus videmus: id quod tum ex fragmentis illorum, quae etiamnunc supersunt, tum ex his ipsis, quos explicamus, libris passim cernitur. Vide nos ad § 20. *G.*

(2) Spatia silvestria sunt loca arboribus consita, per quae ambulantes vadebant, insulam adituri, quae infra II, 1 describitur. *Spatia* enim sunt, quae non cursui solum, sed etiam ambulationi patent. *G.*

(3) *Ista* nescit Paris. nec orationi necessarium videtur id verbum. Dav.

(4) *Magis honeste patefieri.* Plerique libri et scripti et editi exhibent *honesta*. Lectionem *honeste* praebent modo codd. Pariss. A. et C. (in W. autem scriptum est *honestae*). Bruno placet *honesta*; Schefferus legi vult *honesto*. Ernest. ad h. l. ita: » *Honeste* quid h. l. sit, nemo dicat (dixit tamen Goer. i. e. *honorifice*, in laudem hominis et honorem); estque sine dubio vitiosum. Dav. coniecit *potest*; non satis placet: cur non potius *posse*? Sed nec hoc satisfacit. Mihi prae ceteris probatur Wyttenbachii coniectura, cui item mendosus videtur locus. Forte, ait, transponendum est, ut ita legatur: *nullo in genere disputandi illud honestum ma-*

tura; [1] quantam vim rerum optimarum mens humana contineat; cuius muneris colendi efficiendique causa nati, et in lucem editi simus; quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, fons legum et iuris inveniri potest. *Att.* Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. *M.* Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caveamus in iure, [2] aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est: quae quondam a multis claris viris, [3] nunc ab uno [4] summa auctoritate et scientia sustinetur: sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris [5] ac legum, ut hoc, civile quod dicimus, in parvum quendam, et

*gis patefieri, quod sit homini tributum natura.* Illud etiam tenendum est, *honestum* idem esse, quod *pulchrum morale*, quod quasi fontem omnis iuris continet. MR.

(1) In hoc et sequentibus argumentum est omnium libb. de Leg. etiam eorum qui amissi sunt. TYRR.

(2) *Cavere* dicitur iure consultus, quum suo consilio, quod consultori dat, ei damnum avertit. Erat enim triplex iureconsultorum munus, *respondere*, *scribere*, *cavere*. Vid. Bach. loc. cit. c. 2, 2, § 8-11, et Io. Tayl. in Elem. Leg. Civ. p. 220. W. — *Caveamus.* Demus operam ne consultores nostri apud praetorem ab adversariis fallantur capianturque; nam id ius hic significat: ut pro Muraena, *Quando ego te in iure conspicio.* Ius enim locus est ubi ius dicitur. Cavere est iurisconsultorum proprium. Cicero in Topicis: *Quum tu mihi meisque multa cavisses.* Cavet iurisconsultus in iure, quum praesto est clienti suo apud praetorem, eumque ne capiatur et fallatur ab adversario instruit. De consultationibus etiam domi aut in foro interrogatus, respondet. Atque haec iurisconsultorum officia sunt. TYRR.

(3) Supra *summos* vocavit, et ut puto, Aelium Coruncanium, qui primus ius civile palam docuit; v. L. 2, § 35-38, π. d. O. I. et P. Scaevolam aliosque Scaevolas intelligit. ENG. — *Clarus vir* apud Romanos dicebatur, qui inclaruisset summis honoribus gerendis, i. e. qui praetura et consulatu functus esset. W.

(4) P. Sulpicio

(5) Ita Goerenz. e codd. suis. Vulgo *tota causa universi iuris est.*

Digitized by Google

angustum locum concludatur. [1] Natura enim iuris explicanda [2] est nobis, eaque ab hominis repetenda natura; considerandae leges, quibus civitates regi debeant; tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta, [3] iura et iussa populorum, [4] in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quae vocantur, iura civilia.

VI. *Q.* Alte vero, et, ut oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus; et qui aliter ius civile tra-

(1) Vulgo addebatur *naturae*, nempe ex glossemate, quod quum recte absit codd. P. Manut. Victor. Brux. Vien. recte caucellis a Goerenzio circumscriptum est. Et iam Victorius Davisiusque ciecerant; iniuria reduxit Ernestius. — Egregia est haec descriptio, ita accipienda: iuris universi et naturalis, tanta est magnitudo et maiestas, ut totam rerum naturam complectatur, et nostrum ius civile, cum illo comparatum, nonnisi parvum quemdam et angustum obtineat locum. Wyt.

(2) *Explicanda* recte reposuit Ernestius e Mss. et edd. vett. pro vulg. *explicata*.

(3) Haec vulgo dicuntur *iura positiva*, quae opponuntur *iuri naturali*, quia conscripta et sancita sunt. *Ius* etymologice oritur a verbo *iubere*, unde et h. l. *iura* et *iussa* coniunguntur. W.

(4) Intexuerat etiam multa de institutis aliarum civitatum: et extremo lib. III, se de iure populi romani dicturum pollicetur, quo ius civile, quod privatum est, etiam continetur. Tvrn. —Io. Canneg. in Obss. Miscell. cap. 1, p. 371, hunc locum ad aperiendam vocabuli iuris originem adhibens ita exponit: »Iusa autem dicebant (vetustiores Romani), non *iura*, quoniam olim literam *r* non habebant, quam demum Appius Claudius invenit, uti est in leg. 2, § 36, D. Orig. Iur. Egregie Cornificius Rhetoric. ad Herennium, lib. II, cap. 13: »lege, inquit, *ius* est, id quod populi *iussu* sancitum est.« Livius, lib. VII, cap. 17: »quodcumque postremum populus *iussisset*, id *ius* ratumque esset: *iussum* populi et suffragia esse.« Adde eumdem lib. IX, cap. 33 et 34. Tum idem laudat nostrum locum et ex iisdem Tullii libris hos: I, 12 et 16, II, 4, III, 1, additque: »*Ius* itaque quum nihil aliud sit, quam *iussus*, voluntas ore aut stylo expressa, dubium non est, quin optimo iure ad testatorem possit transferri.« Quae etiam propterea h. l. adposui, quia Io. Bapt. Vico, homo ceteroqui haud invenustus, de iuris etymo mirifica excogitavit, quum coniectat *ius* antiquitus usurpatum esse de adipe hostiarum, quae rite Iovi caederentur; qui deus *Ious* appellatus sit; unde repetita fuerit et forma *Iovis* et vero etiam *iuris*, quandoquidem ipsius iuris primigenii pars potior in illis sacrificiis Iovi consecrandis constiterit. Ca.

dunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias. [1] *M.* Non est ita, Quinte: ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia. Sed haec posterius: nunc iuris principia videamus.

Igitur doctissimis viris [2] proficisci placuit a lege: haud scio an recte, si modo, ut iidem definiunt, *Lex* est ratio summa, [3] insita in natura, [4] quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio quum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est. Itaque arbitrantur, prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere: eamque rem illi graeco putant nomine, [5] a suum cuique tribuendo, [6] appellatam: ego nostro, a legendo. Nam ut illi aequitatis, sic nos dele-

(1) *Tradunt*, est *docent*, ut *accipere* dicitur pro *discere*.

(2) *Doctissimos viros*, ait Engelbr. intelligit philosophos (graecos), ut de Or. lib. III, cap. 15. Similiter Graeci, ante inventum philosophiae nomen, sapientes vocabant λογίους, v. Herod. in Procemio: οἱ λόγιοι Περσέων. Plato philosophos etiam τοὺς ὀρθῶς φιλομαθεῖς vocat; quod item notavit Wytt. ad Plat. Phaedon. p. 247. Ma. — *Si modo*, proprie est dubitantis, hoc loco est affirmantis, et quidem ironice. Ma.

(3) Noster, Philipp. XI, cap. 12: *Est enim lex nihil aliud nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Idem apud Lactantium, Divin. Inst. l. VI, cap. 8, 7: *Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo; vetando a fraude deterreat.* Eodem recidunt et ea quae leguntur eiusdem libri cap. 24, 29. Pari sensu Stoici volunt, νόμον σπουδαῖον εἶναι λόγον ὀρθὸν ὄντα, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων. Dav.

(4) Haec lex dicitur esse in natura tamquam mens naturae. Si quidem deus, secundum veteres philosophos, est anima mundi. Natura autem dicitur tota universitas corporum et ingeniorum, eiusque vis animans. W. — *Insita in natura.* In illa rerum parente natura universi gubernatrice, atque adeo in summo et praepotente Deo. Stoicis enim Deus et natura idem sunt. Itaque, lib. II, in eiusdem legis definitione in naturae locum Deum substituet, sic scribens, cap. 4: *Ita principem illam legem et ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei.* Denique Fatum, Natura, Deus, Providentia Stoicis idem sunt. Ca.

(5) Edd. vett. it. codd. nonnulli addunt νόμον, scil. e glossa. Lambinus pro *eamque rem illi* scripserat *eamque νόμον illi.*

(6) Nempe νόμον a νέμειν, tribuere, partiri. — *A legendo.* A

ctus vim in lege ponimus, et proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque [1] videri solet, a lege ducendum est iuris exordium. Ea est enim naturae vis; ea mens, ratioque prudentis; ea iuris atque iniuriae regula. [2] Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, et eam legem, quae scripto sancit quod vult, aut iubendo, aut vetando, ut vulgus, appellare. Constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta.

deligendo, ut in lege insit delectus rerum agendarum. Alii putant quod legenda cognoscendaque populo proponeretur. Quomodo I. Bapt. Vico, libro supra laudato, p. 443, *legis* etymon item a *legere*, i. q. colligere, adeoque a silvestri vita victuque antiquissimorum hominum, ac proinde a *legendis* glandibus (leguminibus) repetere studeat, h. l. exponere et longum est nec necesse. Contra a verbo *legare* repeti mavult I. Cannegieter. in Obss. miscell. cap. 1, p. 373 sqq. laudans et Vlpiani tit. 24, §. 1: » *Legatum* dicitur, quod legis modo, id est, imperative testamento relinquitur. « Et addens: » Quid, si dicamus ipsum *legis* vocabulum inde descendere? Vero namque simillimum esse videtur, in casu olim primo dictum fuisse *leges* vel *legis*, *duces* vel *ducis*, *reges* vel *regis*, quorum loco nunc dicimus *lex*, *dux*, *rex*. « » Stoicos quoque, aliosque philosophos parum sollicitos fuisse de vera vocum origine, multa declarant. Quare nec ipsum Ciceronem miror, nec ipsum etiam Varronem, quantumvis Ciceronis iudicio Romanorum doctissimum: quorum ille de Legg. I, 6, *legem* a legendo ob id dictam scribit, quod in ea insit *vis delectus*; hic vero de L. L. l. IV, p. 23, *legatos*, quod lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus «. Omitto alios. Vnice verum prodidit Wytt. v. *legem* a graeco λέγειν ducens. Mox scriptum malebam: » quae *saeclis* omnibus ante nata est « quum codicum aliquot nostrorum commotus auctoritate, tum libri Vaticani de Republica et grammaticorum quos ibi adhibuit Ang. Maius ad III, 2, pag. 218. ed. Stuttgart et Tubing. Cf. eiusdem Indic. orthogr. p. 355 sq. Cr.

(1) I. e. non semper, sed maximam quidem partem; nam licet in hoc iuris principio explicando Stoicos sequitur, tamen universe in tota philosophia Cicero sequebatur Academicos, quibus licebat pro rerum obscuritate modo hoc, modo aliud, statuere: quam rationem explicat Cic. de Off. III, 8. Wyt

(2) Verba *Ea est..... regula* dicta sunt bifariam, *absolute* et *relate*. Et

*Q.* Commodius vero, et ad rationem instituti sermonis sapientius.[1] *M.* Visne ergo, ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo invento, non erit dubium, quo sint haec referenda, quae quaerimus.[2] *Q.* Ego vero ita faciendum esse censeo. *Att.* Me quoque adscribito fratris sententiae. *M.* Quoniam igitur eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio,[3] tenendus est nobis et servandus status, omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus; serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda:[4] repetam stirpem iuris a natura, qua duce est nobis omnis disputatio explicanda. *Att.* Rectissime: et quidem ista duce errari nullo pacto potest.[5]

VII. *M.* Dasne igitur hoc nobis,[6] Pomponi (nam

*absolute* quidem lex dicitur esse in deo vis naturae, in homine mens ratioque prudentis; *relate* dicitur lex regula iuris iniuriaeque. Est autem *regula* proprie norma, secundum quam corpora ad rectam lineam ordinantur. Est ab eadem origine verbum *regere*, nomina *regis* et *regni*, in quibus significatio habet notionem boni moralis et activi. Vocem quidem non habet edit. Asc. 2, cum nonnullis aliis. Mn. — *Ea mens ratioque prudentis.* Schefferus ad h. l. ita: Hoc *prudentis* mihi valde suspectum est. Nempe nihil usquam quidquam praecedit de *prudente*, sed *prudentia.* Puto plane scripsisse Nostrum, ut est in codice Palatino, *prudentiae.* Cod. M. *prudentie.* Neque mihi vox *prudentis* ita substantive posita satis Ciceroniana videtur. Ceterum recte hic contulit Engelbronner l. c. p. 26. Demosthenis locum in priore or. contra Aristogit. (pag. 492 ed. Wolf., p. 774 Reisk.) τοῦτό ἐστι νόμος, ᾧ πάντας ἀνθρώπους προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων. Quae obversata fuisse Ciceroni cum Engelbronnero facile adducor ut credam. Mn.

(1) Lambinus malebat *aptius*, quod est in Victor. et Turneb.

(2) I. e. ad quod genus, et ad quem usum sint convertenda. Est haec, quae vulgo dicitur, *applicatio* legum. W.

(3) *Reipubl. quam opt. e. docuit*) *Romanae* puta, quam Scipio, qui in illis libris primas tenebat, ad illam iustitiae iurisque normam, quae libro IV proposita fuerat, accommodarat. *G.*

(4) Sunt enim quaedam, quae, si scriptis modo sancias legibus, non tam certo et religiose observantur. Mn.

(5) *Ista duce.* Quum alii philosophi omnes plurimum naturae tribuunt, tum vero vel maxime Epicurei, quorum sententiam sequebatur Atticus. Tvrn.

(6) Est hoc, quod vulgo dicunt, *postulatum.* Postulat enim sibi concedi

Quinti novi sententiam) deorum immortalium vi,[1] *natura*, ratione, potestate, mente, numine,[2] sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam omnem regi? Nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordienda est potissimum.[3] *Att.* Do sane, si postulas: etenim propter hunc concentum avium strepitumque fluminum, non vereor, condiscipulorum[4] ne quis exaudiat. *M.* Atqui cavendum est: solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci;[5] nec vero ferent, si audierint, te primum caput viri optimi[6] prodidisse, in quo scri-

ab Attico, omnem naturam, i. e. totum mundum regi et gubernari divina providentia. Nam Quintus frater, ut Stoicus, hac de re minime dubitabat. Wyt.

(1) Parentheseos signa sic constituit Goerenzius (*nam Quinti novi sententiam de deorum immortalium vi et natura*) *ratione* etc. Ego Lambinum sequor; qui verba *et natura* delenda censuit. — Davis conj. *D. imm. cura, rat.* Voc. *natura* servavi cum rec. Paris. edit. *T.*

(2) *Numine* dicitur ea pars divinitatis, qua continetur efficientia voluntatis; quippe deorum potestas ita informabatur a Veteribus, non ut manibus aut alio instrumentorum genere, quod vellent, efficerent, sed solo nutu; unde illud est Poëtae de Iove: *Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.* W.

(3) Locus philosophiae uberrimus et pernecessarius de providentia nobis tractandus hic esset, si hoc non concederes, qui tamen privatim suam propriamque scholam habet. In hac autem de lege disputatione providentia, ut aliis libris a philosophis probata, pro confessa ponitur. Scripserat enim verbi gratia Chrysippus ut de legibus, ita quoque περὶ προνοίας, id est, *de providentia.* Tvan.

(4) Scil. Epicureorum.

(5) Quod non reprehendo; nam bonorum animi sunt irritabiles. Itaque non damno quos irasci dico: sed et boni aliam in partem dicuntur Epicurei, scilicet simplices, et minime mali. Cicero, Tuscul. III, cap. 21: *Et queruntur quidam Epicurei viri optimi* (nam nullum genus est minus malitiosum) *me studiose dicere contra Epicurum.* Et prima Tusculana, cap. 3: *In quo magis est nobis elaborandum, quod multi iam esse libri latini dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis.* Itaque iocus est ex ambiguo: eosque ostendit quum ratione non possint, iracundia pro secta propugnare solere. Tvan.

(6) Recte sic Ald. Pearcius, Goer. Vulgo *libri optimi.* Intelligitur Epicurus, cuius erat illud decretum in libro cui titulus κυρίας δόξας, cuius prima haec est sententia, quam et Cic. in libro de Div. (N. D. I, 30), citat,

psit, *Nihil curare deum, nec sui, nec alieni.*[1] *Att.* Perge, quaeso; nam id, quod tibi concessi, quorsus pertineat exspecto. *M.* Non faciam longius; huc enim pertinet. Animal hoc providum, sagax, multiplex,[2] acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem,[3] praeclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis,[4] quum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius? quae

*Quamquam video nonnullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius brevibusque sententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima sententia est: Quod beatum et immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* Id sic scripserat Epicurus: Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Epicurum non nominavit, quod satis Attico notus esset auctor sententiae: et quum inter se Epicurei *dixit* dicebant, per excellentiam Epicurum intelligebant. Tvrn.

(1) Valkenaerius ed. Xenoph. Memorabb. dubitabat an Cicero haec scripserit, quippe qui verba Epicuri τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτ' ἄλλῳ παρέχει, alibi rectius latine verterit, ut de N. Deor. I, 17 et 20, 30; de Offic. II, 28; de Divin. II, 17. Attamen in postremo quoque sic graeca expressit: *deus nihil habens nec sui nec alieni negotii.*

(2) Callidus, varius, qui tam multa callet, ut simplex contra, incallidus, nec astutus. Tvrn.

(3) Exquisitiore usu h. l. ponitur *quem*, quod referatur ad *hominem*, pro *quod*. Sic solent subinde optimi scriptores. Tusc. Quaest. IV, 10: *Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi νοσήματα.* Terent. Andr. III, 5, 1: *Vbi illic est scelus qui me perdidit?* W. — In proximis: *praeclara quadam conditione* illud *quadam* intendit; quasi dicat: quae verbis declarari satis non potest; quam vim *quidam* saepius habet cum adiectivis copulatum; cf. Orator. II, 74, Att. VII, 16; de Rep. I, 8: *nec vero nostra* quaedam *est instituenda* nova *et a nobis inventa ratio.* Ma.

(4) Codd. Vienn. Gud. 1. it. ed. Crat. al. *cognitionis.* — *Et cogitationis.* Cogitatio est quaedam rerum in animo agitatio et comparatio. Ea autem rationis est, et lib. II (de Nat. Deorum III, 28), *ratio* esse dicitur his verbis: *Quae libido, quae avaritia, quod facinus, aut suscipitur, nisi consilio capto, aut sine animi motu et cogitatione, id est ratione, perficitur?* Iterum II, 7: *Illud autem quod vincit haec omnia, rationem dico, et si placet pluribus verbis mentem, con-*

Digitized by Google

quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. [1] Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine, et in deo, prima homini cum deo rationis societas. [2] Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. [3] Quae quum sit lex, lege quoque conciliati [4] homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est. Quibus autem haec sunt communia, [5] civitatis eiusdem habendi

*silium, prudentiam, cogitationem, ubi invenimus?* Itaque ratio et cogitatio idem sunt. Tvrnеb. — Possunt tamen duo haec verba sensu diverso accipi. Ratio illud est naturale lumen quod in homine invenitur, et ei vel invito affulget. Cogitatio autem designare potest activam operationem mentis, cuius ope homo agit in suas cogitationes, seu veritatem quaerat, seu vera inventa disponat atque ordinet. Cogitatio, mea sententia, idem sonat ac verb. gall. *réflexion*.

(1) *Rite* non tantummodo est *recte, vere, iuste*, sed etiam convenienter iuri divino, unde *ritus* dicuntur caerimoniae sacrae. W.

(2) Idem in compendio sententiarum Stoicarum scribit Arius apud Eus. Pr. Ev. XV, 15: Κόσμον πόλιν εἶναι ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσαν· κοινωνίαν δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὃς ἐστι φύσει νόμος. Id etiam Cicero, de Nat. Deor. lib. II, cap. 31, declarat his verbis: *Sequitur ut eadem sit in iis quae humano in genere ratio, eadem veritas utrobique sit, eadem lex, quae est recti praeceptio, pravi depulsio: ex quo intelligitur prudentiam quoque et mentem a diis ad homines pervenisse.* Mn.

(3) Ratio duplex est Stoicis, ut ait Porphyrius περὶ ἀποχῆς, III, 2, λόγος προφορικὸς καὶ ἐνδιάθετος, id est ratio quae in pronuntiatione est et in cogitatione. Rursus est eodem auctore apud eos λόγος κατορθωμένος καὶ ἡμαρτημένος, id est, ratio recta et vitiosa. Dicitur etiam λόγος ὀρθός, qua ex partitione contra Stoicos Porphyrius etiam argumentatur. Haec qui repetunt e Gorgia Platonis, risum captant. Tvrn.

(4) Ita plerique Mss. et edd. vett. Vulgo *consociati*.

(5) *Quibus.... (inter eos) communia.* Uncinis inclusimus haec vocabula, et parum abfuit, quin ea plane eiiceremus. Dicant enim quidquid velint Goerenzius et Wagnerus, laudentque et Perizonium ad Sanct. Minerv. II, 12, 3, et Ciceronem ipsum de Orat. I, 54, 232, pro tutando hoc lectionis monstro; ego soloecismum non ferendum, et voces *inter eos* ex linea praecedente male repetitas esse a librariis existimo. Quare eiiciendae potius, quam cum Davisio corrigendae videntur. Mn. — Schutz. *Quibus autem haec sunt inter eos communia, civitatis eiusdem hab. sunt.* Expunxi *inter eos*. In aliis additur *et* ante *civitatis*. T.

sunt. [1] Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis. [2] Parent autem huic caelesti descriptioni, [3] mentique divinae et praepotenti deo: ut iam universus hic mundus, una civitas sit [4] communis deorum atque hominum existimanda; et quod in civitatibus ratione quadam (de qua dicetur idoneo loco) agnationibus familiarum distinguuntur status, [5] id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoque praeclarius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur. [6]

(1) Haec Stoica sunt, ut ex quarto lib. de Fin. cap. 3, intelligitur, ubi scribitur de Stoicis: *At quanta conantur? Mundum hunc omnem, oppidum esse nostrum. Incedit igitur eos qui audiunt. Vides quantam rem agas? Vt Circeis qui habitet, hunc omnem mundum suum municipium esse putet.* Id vero multo clarius et illustrius de Nat. Deor. lib. II, cap. 31, Stoicus Balbus disserit his verbis: *Atque necesse est quum dii sunt, ut profecto sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed etiam rationis compotes, inter seque quasi civili conciliatione et societate coniunctos, unum mundum, ut communem rempubl. atque urbem aliquam regentes.* Rursum, cap. 62: *est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque.* Numquamne igitur isti expergiscentur qui haec somniant esse Platonica? Tvrn. — Ex Stoicorum decreto, ait Wytt. totum hunc mundum esse civitatem deorum et hominum, cuius sit princeps summus ille omnium rerum creator, Augustinus sibi et nomen et propositum sumpsit illius operis, quod est *de Civitate Dei.* Iam cf. Cic. de Rep. lib. I, cap. 13, pag. 37, edit. Tub. ubi est: *mundus hic totus, quod domicilium quamque patriam di nobis communem secum dederunt.* Mn. — *Imperiis et potestatibus.* Deo summo tamquam magistratui, eiusque rationi et numini, nam eius imperio et potestati, ut magistratui, obediunt. Tvrnn. — Io. Canneg. in Obss. miscell. cap. 6, pag. 397 sq. »Mixtum hoc imperium alio nomine *potestas* appellatur. Dico paucis: imperium est magistratuum maiorum, potestas minorum. Imperium Romae habebant consules, dictatores, praetores, interreges. Qui vero magistratus iis inferiores erant, potestatem habebant, ut aediles curules, aediles plebei, tribuni plebis, quaestores «

(2) Respondet graeco καὶ πολύ γε μᾶλλον; intellige: *cives eiusdem civitatis sunt.* Mn.

(3) Summae et ultimae legi eius, id est rationi et numini illius dei cui reliqui dii et homines parent. Est autem hic *descriptio*, ut vulgo loquimur, ordinatio et constitutio. Tvrn.

(4) Vulgo abest *sit*, quod Turneb. et Wagnerus post *existimanda*, aptius Goerenz. post *civitas* posuit, ut est in cod. Brux.

(5) Fortasse legendum *et quod in civitatibus fit ratione quadam* (de qua dicetur idoneo loco) *ut agnationibus*

(6) *Deorum agnatione.* Qui ut re-

Digitized by Google

VIII. Nam quum de natura omni quaeritur, disputari solet (et nimirum *ista* sunt, ut disputantur) [1] perpetuis cursibus, conversionibus*que* caelestibus [2] exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani: quod sparsum in terras atque satum, divino auctum sit animorum munere. Quumque alia, quibus

liqui caelites, a summo deo generati sunt, eumque communem parentem habent, ut deorum fratres et consanguinei dici queant. Qui autem agnati sunt, etiam eiusdem sunt gentis. Agnatos Cicero in Timaeo quum dixit, fratres intellexit. Nam quod Plato scripsit, Ζεὺς, Ηρᾶ τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν· ἔτι τε τοὺς τούτων ἄλλους ἐκγόνους, vertit, *Deinceps Iovem atque Iunonem, reliquosque quos fratres inter se et agnatos usurpari atque appellari videmus, et eorum, ut veteri verbo utar, prosapiam.* Nam *fratres* et *agnatos* pro eisdem posuit, ut *usurpari* et *appellari* pro eodem. Pomponius Mela agnatos appellavit nepotes et pronepotes, neptes et proneptes. Eius haec verba sunt: *Tamen quia singulis aliquot simul coniuges et plures ob id liberi agnatique sunt; nusquam pauci.* Tria fuerunt antiquis cognationis genera, ut ait Budaeus: agnatio, gens, stirps: ac stirps quidem familia erat; sic lib. II, cap. 4, dicet se natum *stirpe antiquissima.* Gens multas familias continebat, ac, ut quidam volunt, inter nobiles erat qui capitis nullam erant diminutionem passi. Quos adiuvat Livius, qui patricios solos gentem dicit habere. Agnatio in virilis stirpis cognatione posita erat, ut dicunt: ea tamen etiam feminae continebantur. Tvrn.

(1) *Ista* e codicibus Brux. Vienn. Dresd. utroque, aliis Goerenz. dedit, pro vulg. *ita*. Ceterum haud scio an recte plerique interpretes haec verba *et nimirum.... disputantur* a glossatore interpolata esse iudicaverint, etsi Goerenzius ea defendit. — In edit. Caroli Stephani legitur: *disputari solent nimirum ista: perpetuis cursibus*, etc. Versu seq. copulam *que* tacite addidit Schutz. *T.*

(2) Huius rei sic meminit Lactantius lib. II, cap. 11: *Aiunt certis conversionibus, et astrorum motibus, maturitatem quamdam exstitisse animalium serendorum: itaque terram novam semen genitale retinentem folliculos quosdam ex se in uterorum similitudinem protulisse: de quibus Lucret. V*, 806: Crescebant uteri in terram radicibus apti: *eosque quum maturassent, natura cogente, ruptos animalia tenera profudisse: deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eoque alimento animantes esse nutritos.* Tvrn. — *Maturitatem serendi gen. hum.* Huius rei sic Seneca meminit, epist. IX: *Qualis est Iovis quum resoluto mundo et diis in unum confusis, paullisper cessante natura, acquieseit sibi cogitationibus suis traditus.* Ergo post illam exustionem redintegrato et instaurato mundo, tandem maturitas quaedam exsistet serendi humani generis. Satum humani generis ad Stoicorum rationem respiciens sic attingit lib. I de Nat. Deorum, cap. 32: *Semina deorum decidisse de caelo putamus in terras, et sic homines patrum similes exstitisse? Vellem diceretis: Deorum co-*

cohaererent [1] homines, e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent et caduca; animum tamen esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. [2] Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei; ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta, [3] neque tam fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui,

*gnationem agnoscerem non invitus.* Quiddam etiam simile in libro de Senectute perstrinxit his verbis, cap. 21: *Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent qui terras tuerentur.* Stoici quoque animum nostrum etiam quoddam dei ἀπόσπασμα, id est, delibationem esse dicebant, quae sententia etiam tribuitur Pythagoricis, ut in lib. de Senectute his verbis: *Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus.* Cicero de Div. lib. II, cap. 44: *Naturale quod animus arriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus.* Tvrn.

(1) Sic Goerenz. e Mss. Brux. Gud. 2. Dresd. 2. Vienn. Vulgo *cohaerent.* — *Quumque alia, quibus cohaererent.* Ita ex libris nostris Mss. Cr. et W. cum Goerenzio scripsimus, quia imperfectum contextui magis convenit. Volebat idem dare Schützius, ut ex nota videmus; sed saepissime in eius editione leges in notis *ita correxi*, neque tamen locum correctum repe-

ries. Ma. — Dudum hoc a nobis animadversum; ubi vero Schützii mentem coniecturâ assecuti sumus, eius lectionem tacite ut plurimum in contextum recepimus. *T.*

(2) Est h. l. dictionis genus exquisitum: *nobis appellari potest agnatio* pro: est aliquid in nobis, quod vocari possit agnatio cum diis. W.

(3) Recte sic Goerenz. e cod. Gud. 2 pro vulg. *immansueta*, coll. de Div. 3. — Dedimus cum Dav. Goerenz. et Schütz. lectionem Lactantii, loco a Davisio laudato, neque vero ideo, quia duo eiusdem fere significationis vocabula verbo *neque* coniungi, vel potius seiungi, non posse putemus, vel quia plane idem significare existimemus *immansuetus* et *ferus*, quae sunt rationes Goerenzii..... sed illud potissimum nos movet, quod non tantum *neque* repetitur, ut in illis locis, sed etiam particula *tam*; unde patet, Ciceronem re vera haec duo vocabula sibi invicem graviter, neque vero tantum gradatione quadam levi opponere voluisse. Accedit, quod illud *in* facile ex litera praecedentis vocabuli *tam* oriri potuit, et quod ipse Cicero simili plane oppositione de Divin. I, 1. 2. usus est: *Gentem...*

unde ortus sit, quasi recordetur, ac noscat. [1] Iam vero virtus eadem in homine, ac deo est, [2] neque ullo alio ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. [3] Est igitur homini cum deo similitudo. Quod quum ita sit, quae tandem esse potest propior [4] certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus, tantam rerum ubertatem natura largita est, [5]

*nullam video, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, quae*, etc. quem locum commode laudavit Goerenz. Hülsem. lectionem *immansueta* veram esse existimabat, cuius glossam *fera* Epitomator quem somniat, de suo addiderit. Mn.

(1) Fortasse leg. *ac recognoscat.* — Offendit admodum τὸ *quasi*, neque quidquam extricant commentaria interpretum. *Quantus* constat et *quasi* vocabula una *q* litera fuisse scripta: emendo itaque: *qui unde ortus sit, quantus sit, recordetur, ac noscat*; quantus sit Deus, unde originem traxit. Cn.

(2) Platonici hic Stoicos reprehendunt: multo enim omnia ista esse dicunt in Deo absolutiora, ut speciei discrimen sit, in animi natura, in virtute aliisque omnibus; haec enim in hominibus degenerare multoque summissiora esse censent: Stoici plane eadem. Tvrn. — Davisii coniecturae *in genere* pro *ingenio* calculum suum adiecit Engelbr. l. c. pag. 33, in quo nos quoque adsentientes habet, ita tamen, ut corrigere non audeam, verens, ne ipsum Ciceronem corrigam. Quae vero Goerenz. ad defendendam vulgatam scriptionem affert, ingenium dici de propria cuiusque rei natura, v. c. *ingenium soli, loci, herbarum*; in eo non animadvertit, vocem illam hoc sensu non sine genitivo, vel addito, vel intellecto, poni solere, ut significet idem fere quod *natura*. Hülsem. et *ingenio*, et *in genere* in glossis ponit, scribique vult *neque in ullo alio praeterea*. Abiicere certe debuit distinctionem minorem. Davisii rationem commendat etiam repetitum *in*. Cn.

(3) Haec virtutis definitio Stoicorum est: aiunt enim igniculos nobis quosdam virtutum natura insitos esse, qui quum adulti sunt, perfectam virtutem efficiunt: haud ergo temere virtutem *perfectam in se naturam* appellat, quum et ipsa, et summum quoque bonum ab illis primigeniis seminibus proficiscantur. In diis statim perfecta natura est, in hominibus non item, sed tandem confirmatur et perficitur. Proinde II de Nat. Deorum dicitur a Stoico Balbo: *Nec vero hominis natura perfecta est, et efficitur tamen in ea virtus*. Perfectio autem naturae hic est rationis absolutio. Tvrn.

(4) Codd. Mss. nonnulli *proprior*.

(5) Propter illam cognationem et gentilitatem hominibus potissimum natura, id est deus, consultum esse voluit, illisque omnia largita est. Ita ex tanta rerum ubertate hominibus consulto donata, argumentum cognationis sumitur. Tractatur hic de pro-

ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quae frugibus atque baccis terrae foetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, [1] partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes vero innumerabiles repertae sunt, docente natura: [2] quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites attribuit, ac nuntios; et rerum plurimarum obscuras intelligentias enodavit, [3] quasi fun-

videntia locus lib. II de Nat. Deor. in quo ita scribitur, cap. 62: *Principio ipse mundus deorum hominumque causa factus est, quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt.* Itaque lib. I, cap. 9, Epicureus in Stoicum sic loquitur: *An haec, fere ut dicitis, hominum causa constituta sunt?* Sed et lib. I de Offic. cap. 7, idem Cicero dicit, et Stoicis haec adscribit, huiusque de iustitia disputationis capita sic perstringit: *Atque ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari: homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent.* Haec si Stoica non sunt, cur Stoicis adiudicat, a Platone abiudicat, quem non appellat? In Timaeo apud Platonem, hominis causa non procreantur omnia. Tvrn.

(1) Haec mihi non magis, quam Ernestio probantur, qui non tantum pro *quod* voluit *quo*, ut Goerenz. ait, sed etiam *fit* pro *sit*. Ita certe nemo offenderet. Ego quidem neque cum Wagn. *quod* pro *ita ut*, neque cum Goerenz. pro *ita ut hoc* dictum existimo, cuius quidem usus exempla exstare dixit, neque tamen vel unum protulit.... Sed quum in cod. Cr. pro *quod* reperissem *quidem*, et cogitarem, nulla vocabula facilius inter se permutari saepiusque, quam *sit* et *fit*, conieci: *quo quidem perspicuum fit.* Mr.

(2) Natura enim exordia quaedam artium nobis ostendit, ut aedificationis in hirundinibus, texendorum retium in araneis. Igitur solers eius imitatrix ratio res sine quibus salvi et incolumes esse non possumus consequuta est. Sed potius censeo insita esse artium semina dono naturae, quae rationis imitatione et rerum comparatione tandem artes pariant. Tvrn.

(3) Ita cod. Victorii, Turnebi, it. Gud. 2. Vienn. alii *obscuras nec satis intelligentias.* Victorius cum signo lacunae edidit *nec satis.... intelligentias*, unde vir doctus in Miscell. obss. in auctores veteres et recentiores Vol. III, p. 226 legendum putabat *obscuras nec satis claras intelligentias.* Alius ibidem *obscuras nec satis enodatas intelligentias inchoavit.* Lambinus: *ob-*

Digitized by Google

damenta quaedam scientiae; figuramque corporis habilem, et aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, [1] solum hominem erexit, ad coelique, quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, [2] quemadmodum animo

*scuras nec satis apertas intelligentias inchoavit.* Gulielmus malebat: *obscuras nec faciles intelligentias enucleavit.* Davisius edidit: *rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enodavit.* In adnotationibus autem ei videbatur reponendum: *plurimarum obscurarum necessarias intelligentias adumbravit.* Pearcius: *et rerum plurimarum obscuras nec satis enodatas intelligentias, quasi fundamenta quaedam scientiae.* Ernestius dedit: *rerum plurimarum obscurarum necessarias intelligentias enucleavit.* Goerenzius denique *et rerum plurimarum obscuras necessarias intelligentias enodavit.* Ego vero voc. *necessarias* temere irrepsisse arbitror ex versu illo superiore: *res ad vitam necessarias.* Quod igitur hic dicit: *Rerum plurimarum obscuras intelligentias enodavit*: id alibi de Legg. I, ita effertur: *principio homines rerum omnium quasi adumbratas quasdam intelligentias animo ac mente conceperant.* — *Intelligentias.* Intelligentias hic vocat notiones mente perceptas ex Stoicorum sententias, i. e. conformationes insiguitas in animo et impressas. Cicero in Topic. cap. 7, *notionem quoque Stoicos sequens appellat, quam Graeci, ut ait, ἔννοιαν et πρόληψιν dicunt: eamque ait esse insitam et ante perceptam cuiusque formae cognitionem, enodationis indigentem.* Id enim est, quod hic ait, *non satis enodatas esse primas intelligentias*: enodationis enim indigent. Magis enim enucleandae sunt definitionibus, praeceptis, usu vitae ac cognitione philosophiae. Itaque huc illud ex lib. III Offic. cap. 20, pertinet: *Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas quae sit in ea species forma et notio viri boni.* Rursum cap. 19: *Si quis voluerit animi sui complicatam rationem evolvere.* Ergo illud in Top. c. 2, hinc explicandum est, non satis intellectum: *Definitio adhibetur, quae quasi involutum evolvit id de quo quaeritur.* Nam ad complicatas et involutas illas notiones referendum est. Stoici autem communes intelligentias et insitas praeceptiones, principia philosophiae esse putaverunt: eas vocarunt κοινὰς ἐννοίας καὶ ἐμφύτους προλήψεις. Tvrn. — *Rerum plurimarum et obscurarum necessarias int. enodavit.* Haec est emendatio Wyttenbachii, quam in tanta librorum et scriptorum et editorum discordia, ut simplicissima, amplexi sumus. Ma.

(1) I. e. sic neglexisset, ut, capite in terram demisso ac prono, ad pastum modo natae esse videantur. *G.*

(2) *Nimis* h. l. aptum non est. Suspicor Ciceronem scripsisse: *Nam et oculi indices arguti.* — *Nimis* h. l. idem est, quod vehementer. Valde argutum est id, quod arguit, i. e. ostendit, significat. Igitur hi sunt oculi valde

affecti simus,[1] loquuntur; et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat *mores*:[2] cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent.[3] Omitto opportunitates, habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis. Neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis; et hunc locum satis, ut mihi videtur, in his libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit,[4] generavit et ornavit Deus, perspicuum sit illud[5] (ne omnia disserantur) ipsam per se naturam longius progredi: quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum, ex prima et

significantes et aliquam voluntatem aut inclinationem animi exprimentes. — Moserus conj. *nimirum arg.*

(1) Goer. cum Davis. *aff. sumus.*

(2) *Mores* quod abest cod. Gud. 2 recte delevit Davisius. — Reposui quod audacius fortasse eiectum fuerat. *T*

(3) Graecum quidem *πρόσωπον vultum* reddunt Latini. Vide Servium ad Aeneid. XII, 666, et Gataker ad Antonini lib. I, § 8. Graecis tamen Cicero nomen esse negat, quo *vultus* exprimatur, quod *πρόσωπον* faciem proprie denotat, nec in se continet ullum voluntatis indicium. *At vultus et facies hoc distant. Vultus est voluntas, quae pro motu animi in facie ostenditur: facies ipsa oris species,* ut sit Nonius, cap. 5. Dav.

(4) *Quod principium.* Quod enim praeclara quadam conditione generatus a Deo sit, quod mentis celeritate auctus, quod nuntiis et interpretibus sensibus donatus, quod tanta corporis habilitate praeditus et ad caeli conspectum excitatus, ex eo ortu hominis et ornatu tamquam principio reliqua duci voluit. Hoc enim est primum caput et principium huius disputationis: alia, ut ad iustitiam, verbi causa, colendam nos esse natos, sequuntur. Illa enim societas rationis et communio cum diis immortalibus fons est et origo huius de lege disputationis. Inepti sunt qui *principium* ad *hominem* referunt, et principium finem interpretantur, et *reliquas res* accipiunt ea quae sunt hominis causa creata, quum *principium* ad *generavit* et *ornavit* referendum sit hoc modo: *Nunc quoniam hominem generavit et ornavit Deus, quod principium reliquarum rerum esse voluit;* id est, reliquarum rerum quas in sequenti oratione complectar. Tvrn.

(5) Pro perspicuo notoque ponatur, quod alio loco disseretur. Tvrn.

inchoata intelligentia, genera cognovit,[1] confirmat ipsa per se rationem, et perficit.[2]

X. *Att.* Dii immortales, quam tu longe iuris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure civili, sed facile patiar, te hunc diem vel totum in isto sermone consumere.[3] Sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse complecteris,[4] quam ipsa illa, quorum haec causâ praeparantur. *M.* Sunt haec quidem magna, quae nunc breviter attinguntur: sed omnium, quae in doctorum hominum[5] disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius.[6] Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque

(1) *Genera cognovit.* Species et formas rerum cognovit ex praecepta notione, quam imbecillam confirmat et inchoatam absolvit: quae quidem est confirmatio et perfectio rationis in homine atque naturae in homine. Deus enim hominibus rationem donavit, quae inchoata est, postea confirmatur et perficitur. Tvrn. — *Per se rationem, et perficit.* Sensus totius loci hic est: Ex iis, quae exposuimus, hoc iam facile pateat (ne in singulis quibusque moremur), quum deus hominem inde, quod aliquem esse vellet, qui rerum creatarum principatum gereret, tantis naturae dotibus exornarit: naturam (hominis) ipsam suis se viribus magis magisque excolere valere; quippe quae etiam suapte vi (*nullo docente*) iis notionibus communibus (*genera* dixit ex graeco εἴδη) quae initio sola abstrahendi vi sibi comparaverat (vide nos supra ad cap. 8, 26), fundamenti loco positis (*profecta ab*), magis magisque ex sese ipsa rationis perspicientiam augeat, et ad perfectionem, quae in hominem cadit, perducat. Atque ita demum eam accurate cernere, quid in rebus ubique verum insit, quid honum, quid denique iustum. *G.*

(2) Cod. Dresd. 1. Gud. 1. Cassell. *confirmavit.... perfecit.*

(3) Codd. Gud. 2 et Vienn. *constituere.*

(4) *Complecti* h. l. idem est, quod mox dicitur *breviter attingere.* Ma.

(5) Sic mutato ordine pro vulg. *hominum doctorum* Goerenz. edidit ex usu Ciceronis, tribus codd. suis et Lactant. div. Instit. VI, 25 (quamquam hic quoque in nonnullis edd. legitur *hominum doctorum*).

(6) *Esse constitutum ius* codd. Vienn. Dresd. 1, Gud. 1, et editt. vett. nonnullae minus bene.

perspexeris. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum,[1] si opinionum vanitas[2] non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque coepisset; sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes essent[3] omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnes valet. Quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus belluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid,[4] concludimus, certe est communis, doctrina differens,[5] discendi quidem facultate par.[6] Nam et sensibus eadem omnia com-

(1) Docet unde dissimilitudo inter homines esse videatur, alioqui similimos: eam ex consuetudine et opinione esse, non ex natura scribit. Sed in tertia Tuscul. e fontibus Stoicorum hauriens de eadem re ita disserit, c. 1: *Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque duce vitae cursum conficere possemus, haud erat sane quod quisquam rationem et doctrinam requireret: nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque in lucem editi et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur*, etc. Tvrn.

(2) Davisius post Turnebum et Victorium dedit *varietas*: ut est in cod. Vienn. et Cassel. Sed verum est *vanitas*.

(3) *Essent* recte pro vulg. *sunt* ex Brux. et Crat. revocavit Goerenzius, auctore etiam Davisio.

(4) Dicitur h. l. ut alias, *conficere summam, rationem*, id est, singula numerando in unum caput redigere. Itaque disserimus, quaeque disseruimus, colligimus, atque ex his denique collectis concludimus. Fallitur igitur, si quis *concludimus* in glossa iudicarit. Cf. Natur. Deorum II, 59. *G.* Ed. Crat. *conficimus ac concludimus*.

(5) Hominibus ad percipiendum et discendum vis ac facultas ingenii par eademque concessa est, doctrina tamen excolitur et augetur ratio. Hinc facultas ingenii eruditorum et idiotarum differre videtur. Tvrn.

(6) Optimo iure hanc lectionem quae est Mssorum tantum non omnium revocavit Goerenzius, temere a Davisio Ernestioque in nominativum

Digitized by Google

prehenduntur;[1] et ea, quae movent sensus, itidem movent omnium; quaeque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur; interpresque est mentis oratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus,[2] ad virtutem pervenire non possit.

XI. Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus,[3] insignis est humani generis similitudo. Nam et voluptate capiuntur omnes; quae etsi illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono:[4] lenitate enim et suavitate delectans[5] sic ab errore mentis, tamquam salutare aliquid, adsciscitur; simi-

*facultas* mutata. *Facultate* enim respondet antecedenti ablativo *doctrina*, quam illi nominativum esse existimarunt.

(1) Instrumenta duo cognoscendi et iudicandi, quae κριτήρια dicuntur. Chrysippo, ut Laërtius prodit, erant sensus et anticipatio, id est πρόληψις, quae hic attingit Cicero. Hinc autem probat rationem in hominibus esse eamdem et similem: proficiscitur enim ὁ ἐνδιάθετος λόγος, id est, interior ratio, aut a sensu, aut a praeceptione. Sed et ὁ προφορικὸς, qui in oratione est, idem est, sed verbis discrepat, quod alia lingua Galli, alia Graeci dicuntur. Tvrn.

(2) Lambinus in aliis exemplaribus testatur legi *ducem naturam secutus*; Davisius malebat *d. n. imitatus*. Sed bene se tuetur *nactus*. — Iis enim modo natura dux adest, qui ipsam sequi velint: qui vero ab ea discedant, iis se abnegat ducem. *Nanciscimur* igitur eamdem tunc demum ducem, quum eius ductu uti velimus. *G.*

(3) *Pravis actibus* e codd. Med. Eliens. Balliol. al. recepit Davisius. — *Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus.* Ita dedimus cum Ernest. Wagn. Goerenz. et Schütz. quum *pravis actibus*, quod plerosque libros occupat, sensui, qui huic loco inesse debet, non satis conveniat. Quamquam, ut fatear quod est, nondum plane sanitati restitutus videatur locus. Nam ut *pravitates*, graece ἁμαρτήματα, id est pravae et perversae animi adfectiones, bene se habeat, et commendetur etiam simili loco nostrorum librorum, I, 19, 51 a *An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis?* nondum tamen satisfacit illud *rectis* substantive positum, oppositumque *pravitatibus*. Mr.

(4) *Naturali bono* dedit Goerenz. Vulgo *naturalis boni*.

(5) Goerenzius edidit *lenitatis est enim suavitate delectans: sic* etc. Vulgo *laevitate enim et suavitate delectans*.

lique inscitia[1] mors fugitur, quasi dissolutio naturae; vita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet; dolor in maximis malis ducitur, tum sua asperitate, tum quod naturae interitus videtur sequi: propterque[2] honestatis et gloriae similitudinem, beati, qui honorati sunt, videntur; miseri autem, qui *sunt* inglorii.[3] Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores, similiter omnium mentes pervagantur: nec si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco, qui canem et felem ut deos colunt,[4] non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? quibus ex rebus quum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit.[5] Quae si approbatis, pergam ad reliqua:

(1) *Inscitia*, mutato verbo scripsit, pro *simili errore mentis*, ut saepe solet. In voce autem *inscitia* semper inconsulti quid inest, sive ingenii, sive morum vitio. In proximis verba, *in quo nati sumus*, notant conditionem, cui a teneris adsuevimus, et quam intime amplectimur. *G.*

(2) Sic Goerenz. e cod. Gud. 2. Cassel. alii. Davis. sic rescribendum putabat: *propterque quandam h. et gl. sim.* — *Propterque hon. et gl. simul.* Bene se habet haec lectio, neque Davisii additamento opus est; quod quum receptum vellet Wagner. operas, ut saepissime, inobedientes habuit. Quatuor referuntur vitia; primum est: *mors fugitur*; alterum, *vita expetitur*; tertium, *dolor in malis ducitur*; quartum iam sequitur. Mn.

(3) Vulgo *qui inglorii.* Sed *sunt* cum codd. Davisii et suis addidit Goer.

(4) Wagnerus melius putabat *nec .... non colunt non eadem.*

(5) Aliis displicet *extremum*, aliis *ratio*, aliis *meliores.* Nihil est quod mutatum velim, praeter verborum ordinem; ita enim malim: *illud extremum est, quod meliores efficit, recte vivendi ratio*; id est, quibus ex rebus efficitur, ut illud unum tibi propositum esse debeat, quod meliorem te efficit, recte vivendi ratio. Ita Rathius. Sed ille nobis balbutientem facit Ciceronem. Wagnero in voce *extremum* difficultas latere videtur. Si enim sumatur pro *extremo loco dictum sit*, soloecismum

Digitized by Google

sin quid requiritis, id explicemus prius. *Att.* Nos vero nihil: ut pro utroque respondeam.

XII. *M.* Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio,[1] communicandumque inter omnes ius,[2] homines natura esse factos (atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, *ius* quod dicam[3] naturam esse): tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi[4] exstinguantur a natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria. Quod si, quo modo est na-

in *quod* vix defendi posse. *Extremum* igitur eo sensu esse accipiendum, quem de Fin. I, 9, III, 7; Amic. 6; Epp. ad Attic. XIV, 13, habet, ut sit id, quo reliqua referri oportet. Ego, quamquam in Goerenzii sententia acquiesco, *quod* dici pro *quod attinet ad id, quod*, et verbis *illud extremum est* graecum hoc τοῦτο δὲ τελευταῖόν ἐστι plane exprimi h. s. *illud... postremo loco sequitur*, et construendum esse: *illud, quod recte vivendi ratio meliores efficit, extremum est*: igitur quamquam hoc verum censeam, facere tamen non possum, quin addam ingeniosam Wyttenbachii coniecturam. Fortasse, ait vir summus, Cicero ita scripsit: *quibus ex rebus quum illud intelligatur, genus hominum inter se sociatum esse, quod extremum est, recte vivendi ratio meliores efficit.* Illa verba, *quod extremum est*, respondent antecedentibus in fine cap. 9: *quod principium reliquarum rerum esse voluit.* In his, quae postremo loco dixit, me non consentientem habet W. Scheffero Goerens. ita respondet, ut dicat: ex verbis *genere hominum*, quae praecedunt, cogitandos esse *homines* ad *meliores*, idque ex negligentia quadam optimis scriptoribus communi. Ma.

(1) *Participandum.* Prisca vox ab aliis subinde, a Cicerone non nisi hoc loco usurpata. W. — *Communicandumque.* Vt inter omnes sit quaedam communicatio et societas utilitatum, quae res societatem civilem conciliat et tuetur. Cicero de Finib. lib. V, cap. 23: *Nihil est quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum, et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum.* Ex ista autem participatione et communicatione sumus apti natura ad coetus et civitates. Tvrn.

(2) Cod. Gud. 2, Dresd. 1, 2, Cassel, *iustos*; et sic olim edebatur; *homines* pro vulg. *nos* vel *hos* dedit Goerenz.

(3) *Ius* addidit, Pearcio auctore, Goerenzius.

(4) Goerenzius conj. *virtutum tamquam igniculi.* — *Igniculi.* Igniculos vocat scintillas quasdam. Sic vertit quod graece dicitur σπινθήρ, ζώπυρον, ἔκκαυσμα. Cicero in Tuscul. III, 1: *Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus,*

tura, sic iudicio [1] homines, *humani* (ut ait poëta) *nihil a se alienum putarent*, coleretur ius aeque ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est; ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo, et vetando; si lex, ius quoque: at omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus. Recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura seiunxisset: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Vnde etiam [2] illa Pythagorea vox,

* * * * * * * * [3]

Ex quo perspicitur, quum hanc benivolentiam [4] tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus, [5] quam alterum diligat. Quid enim est, quod differat, quum sint cuncta paria? Quod si interesse quippiam tantulum modo po-

*ut nusquam naturae lumen appareat.* Tvan.

(1) *Iudicium* h. l. certa est persuasio, qua id, quod natura iubet, sic amplectimur, ut ius ubique exerceamus, suum cuique tribuendo; nihilque a nobis alienum putemus, quo aliorum commodis consulere possimus. Id ipsum est, quod Terentii verbis intelligitur; cf. Heauton. I, 1, 25; coll. Offic. I, 9, 7. *G.*

(2) Sic Goerenz. e cod. Brux. et Vien. Vulgo *unde est illa.*

(3) Vulgo hic inseritur τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα, sed hoc Aldus nulla Mss. auctoritate inculcavit.

(4) Vocem *hanc* refer ad dictum illud Terentianum, quod praecessit. Saepe enim *hic* et *iste*, pro *hic, quem dixi*. Acad. I, 3, 11, *huic aetati hoc maxime aptum est*, id est, huic, qua ego sum. Sensus totius loci est: Haec benivolentia si viro sapienti in omnes omnino homines conferenda est, perspectu est facile, quanto hic maiorem in eum contulerit, quem amicum, pari sapientia praeditum, dilexerit. De hac verbi *conferre* potestate vide Ern. in Clavi h. v. *G.*

(5) Davis. *uti nihil plus.* — Idem locus sic a Cicerone tractatur, Offic. I. I, cap. 17: *Nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eaedem voluntates, in iis fit ut aeque quisque altero delectetur ac seipso, effieiturque id quod Pytha-*

tuerit,[1] iam amicitiae nomen occiderit: cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni, disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum, intelligi possit. De quo quum perpauca dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis nata est oratio.

XIII. *Q.* Tu vero iam perpauca scilicet: ex iis enim, quae dixisti Attico,[2] videtur mihi quidem certe, ex natura ortum esse ius.[3] *Att.* An mihi aliter videri possit, quum haec iam perfecta sint: primum quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos: secundo autem *loco*,[4] unum esse hominum inter ipsos vivendi parem communemque rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia et benivolentia, tum etiam societate iuris contineri?[5] Quae quum vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, quî iam licet nobis a natura leges et iura seiungere? *M.* Recte dicis; et res sic se habet. Verum philosopho-

*goras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.* Tvrn:

(1) Davis. malebat *patuerit*. — Deest voc. *iam* in Schutzii editione. *T.*

(2) Virgula, quae ante *Attico* erat, postposita, locus facillime expeditur. Quae enim a capite septimo inde auctor disseruerat, ea proxime ad Epicureos spectabant, quippe qui ius, non ex natura, sed ex hominum conventione, ortum suum trahere statuerent. Hac etiam de causa in his 6 capitibus Atticus solus interfabatur, quum ad eum, Epicureum praesentem, directa esset oratio. *G.*

(3) *Ortum* delevit Goerenzius cum codd. duobus Davisianis, Gud. 1, Cassel. al.

(4) *Loco* recte additum a Goerenz. codd. suorum et edd. vett. auctoritate.

(5) Summam repetit superioris disputationis. Munera deorum quibus instructi et ornati sumus, sunt ratio et cogitatio. *Parem* autem quum dicit *vivendi communemque rationem*, tractationem attingit illius loci in quo ex similitudine et conciliatione nos ad iustitiam esse natos probabat. Quum autem indulgentia quadam et benivolentia homines inter se contineri scribit, attingit nos ad iustitiam esse natos, ut alius ab alio participemus, et inter omnes communicemus. Tvrn.

rum more, non veterum quidem illorum, [1] sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, [2] quae fuse olim disputabantur, ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. Nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturae esse ius, [3] disputarint. *Att.* Et scilicet tua libertas disserendi amissa est; [4] aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas? *M.* Non sem-

(1) Intelligo Academicos veteres et Peripateticos. Cicero, de Finibus, lib. V, cap. 8: *Aut prima naturae, ut antiquis, quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus.* Iterum cap. 9: *Ergo instituto Veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.* Hic perspicue a veteribus, id est ab Academicis et Peripateticis, Stoicos, ut novos distinguit. — *Sed eorum.* Iam haec profligata quaestio est et ad exitum perducta, quum a natura ius ortum esse Atticus et Quintus fateantur. Verumtamen quum Stoici quos imitatur, hanc de Legibus scholam certis capitibus complecti soleant; quorum postremum est, quod tamen ex superioribus satis effici videtur, ius natura esse, illud quoque eorum instituto Cicero attexit. Veteribus autem philosophis satis erat qua de re agebatur probare: a reliquis, ut Stoicis, articulatim et distincte certis capitibus omnis de re quaque disputatio comprehendebatur, quae tractandâ erant omnia. Sic Balbus Stoicus, de Natur. Deorum lib. II, cap. 4, quaestionem de natura deorum et disputationem quatuor capitibus complectitur his verbis: *Omnino dividunt nostri totam istam de diis immortalibus quaestionem in partes quatuor: primum docent esse deos: deinde quales sint: tum mundum ab iis administrari: postremo consulere eos rebus humanis.* Tvrn.

(2) Veterum philosophorum nomine significat Socraticos, Platonem, Xenophontem, alios. Ab his distinguit eos philosophos, qui quasi officinas sapientiae instruxerunt, id est, systemata condiderunt, quales fuerunt Aristoteles et in primis Stoici. Hi censent, non posse satisfieri huic loco, qui nunc est in manibus, i. e. huic quaestioni de Legibus, quam nunc tractamus, nisi separatim hoc ipsum disputarint, ius esse profectum a natura, non opinione. Dav.

(3) Malim *natura esse ius*, φύσει εἶναι τὸ δίκαιον, ac ita, Lambino teste, dant quidam MSS. Dav. — *Naturae esse ius.* Nihil esse mutandum cum Goer. statuo in tanto librorum consensu, et quum Cicero consulto, ut videtur, variet sermonem, nunc *ius esse naturam*, nunc *ius esse natura*, nunc *ius esse naturae* eodem fere sensu dicens. Vide supra ad cap. 12. Ma.

(4) *Et scilicet tua.* Tua quoque, ita explicat Scheff., non mea solum, qui supra tibi concedere sum coactus, contra sectae meae decreta, naturam

per, Tite: sed iter huius sermonis quod sit, vides: ad res publicas firmandas, ad stabilienda iura, ad sociandos populos, [1] omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur (nam id fieri non potest), sed ut iis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda dixerunt, [2] et aut nihil omnino in bonis [3] numerandum, nisi quod per se ipsum laudibile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset: his omnibus (sive in Academia vetere [4] cum Speusippo, Xenocrate, Pole-

omnem regi numine. Huc puto alludere nostrum ioco, et sic τὸ *et* accipiendum esse. — Est hoc, ait Wytt., ironice dictum, et accipiendum contraria significatione. Nam Cicero, ut Academicus, habebat libertatem disserendi, poterat modo hanc, modo aliam sententiam sequi, de eadem re in utramque partem disputare, suum iudicium sequi, non aliorum auctoritati parere.

(1) Lectionem potissimum recepi, quam Vrsinus in vetusto codice reperit, in quo erat: *ad res publicas firmandas, et stabilienda iura sociandos populos.* Vulgo editur *ad respublicas firmandas, et ad stabiliendas vires, sanandos populos.* Pro *vires* Davisius malebat *leges.* Goerenz. vero edidit: *ad res suas firmandas, et ad stabiliendas vires, sanandos esse populos omnis nostra pergit oratio. — Ad sociandos populos, omnis* etc. Quae magis mihi, quam aliorum omnium commenta, probantur. Sed, ut fatear quod est, nondum mihi persuadere possum, ut credam *iter sermonis* a Cicerone esse profectum; quod in posterioris aetatis scriptore facile ferrem, apud Ciceronem hoc sensu non placet. In mentem igitur venit ad librorum vestigia legere: *Non semper, Tite. Sed interest huius sermonis. Videlicet ad respublicas firmandas, ad stabilienda iura, ad sociandos populos, omnis nostra pergit oratio.* Quod vero plurali numero *respublicas* usus est, id eo factum esse existimandum, quia, ut ipse ait lib. II, 14, 35: *non populo romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges dare voluit.* Mn.

(2) Hoc e compluribus Mss. et edd. revocavit Goerenz. Vulgo *duxerunt.*

(3) *Nihil omnino in bonis.* ut Stoici: nullum habendum, ut Academici et Peripatetici: hi autem omnes recta et honesta per se expetenda censent.

(4) Platonis in Academia prima successores fuerunt Speusippus, Xenocrates, Polemo; nam secundae Academiae philosophi, quorum auctor fuit Arcesilas, et tertiae, quorum auctor fuit Carneades, hi igitur de omnibus rebus dubitabant, quare eos excludit ex eorum numero, qui hanc disputationem probaturi sint. W.

mone manserunt: sive Aristotelem, et Theophrastum, cum illis re congruentes, genere docendi paullum differentes, secuti sunt: sive, ut Zenoni visum est, [1] rebus non commutatis, immutaverunt vocabula: sive etiam Aristonis difficilem atque arduam, [2] sed iam tamen [3] fractam et convictam sectam secuti sunt, ut, virtutibus exceptis atque vitiis, cetera in summa aequalitate ponerent) his omnibus haec, quae dixi, probantur. Sibi autem indulgentes, [4] et corpori deservientes, atque omnia, quae sequantur in vita, quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantes, etiam si vera dicunt (nihil enim opus est hoc loco litibus [5]) in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam, nec unquam nosse voluerunt, paullisper facessant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus, ut sileat. Nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et com-

(1) *Zenoni.* Qui nihil bonum praeter virtutem, nihil malum praeter vitium censebat: reliqua quae etiam bona Peripatetici dicunt et Academici, commoda vocabat: quae mala incommoda. Hoc vocabula potius immutare est, quam rem, ut existimat Cicero. Nam quae alii etiam bona putant ut Academici, hic commoda, non bona dicit: quum alii haec etiam expetenda scribant, hic sumenda dicit, non expetenda. Tvrn.

(2) *Difficilem* dicit *atque arduam* Aristonis sectam, quia in rebus quas Zeno dicebat indifferentes (ita tamen, ut aliae sumendae, aliae reiiciendae essent), nullum omnino discrimen esse voluit, ut diceret, inter vitam et mortem, bonam et malam valitudinem, omnino nihil interesse. Quare eius sententia non multos invenit patronos. Dav.

(3) Goerenzius mavult *iam dudum*, coll. Fin. II, 1; Offic. I, 2.

(4) Epicureos significat, quibus non laborat ut haec probet. Tvrn.

(5) Ad verba *nihil enim opus est hoc loco litibus* tenendum, ea spectare ad Atticum, ut Epicureum, quocum nunc non vult disputare de hac quaestione. Quae vero antecedunt *etiam si vera dicunt*, habent quamdam indulgentiam erga Epicureos, quasi dicant, etiamsi fortasse quibusdam in partibus de voluptate et dolore statuentes non errent. Cr.

Digitized by Google

posita videntur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo.

*Desunt hic fortasse nonnulla de peccati conscientia et scelerum poenis.*

XIV. *** nam et in iis sine illius suffimentis expiati sumus. [1] At vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam iudiciis (quae quondam nusquam erant,

(1) Perdifficile est augurari, qua de re loquatur. Suspicor tamen fere eum de conscientia agere, cuius tacito iudicio ius natura esse confirmatur, *quod se Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis Gratia praetoris mendacis vicerit urnam.* Iuvenalis, Satir. XIII, 2. — Inde ab hoc loco usque ad finem cap. 19 exponuntur argumenta, quibus efficitur, ius esse a natura constitutum. *Primum* sumptum est a conscientia bene et male factorum; *secundum* sumptum est a contrario (*Quod si poena... improbi*): si ius non est a natura constitutum, sequitur nullam esse improbitatem in criminibus, quae puniuntur, sed tantummodo imprudentiam; *tertium* (§ 41): Iustitia non utilitate constat, sed sua ipsius honestate. Hinc fit, ut bonus homo, si scelere utilitatem consequi possit, ita ut semper lateat, tamen non sit facturus; *quartum* (§ 42, *Ita fit....*): Leges non sunt, nisi quae cum naturae lege consentiant: si leges essent, quae cum naturae lege non consentirent, consequeretur, ius non esse a natura constitutum. Atqui ius est a natura constitutum: ergo sequitur, leges non esse, nisi quae cum natura iusti consentiunt; *quintum* (§ 43): Nisi iustitia a natura exstitit, omnes virtutes interibunt. Atqui virtutes non interibunt: ergo iustitia a natura proficiscitur. Huius argumenti consectarium est initio cap. 16. Si verum esset, quod in antecedentibus confutatum est, bonum et malum constitui non natura, sed populorum iussis etc. consequeretur, omnia vitia habenda esse pro virtutibus, certe pro factis cum lege consentientibus; *sextum* (§ 44). Si res morales ab hominibus mutari possunt, sequitur, etiam res physicas ab hominibus mutari posse: atqui res physicae mutari non possunt, igitur neque morales; *septimum*: Honesta in virtute ponuntur, in vitiis turpia; quod in natura positum est; *octavum* (§ 45): Ex habitu, neque ex aliqua re externa, virtus iudicatur; *nonum* (c. 47): Virtutes logicae et veritas iudicantur sua ipsae natura, non opinione; ergo etiam virtutes morales et ipsa honestas natura non opinione iudicandae sunt; *decimum* (§ 46, *nam ni ita....*) Beatitudo hominis per suam naturam iudicatur, non aliorum opinione. Ergo virtus quae est effectrix beatitudinis, item per se iudicatur, non aliorum opinione; *undecimum* (§ 48): Adversariorum argumentum refutatur, homines in sensibus corporis consentire (§ 47), in iudicio de rebus moralibus dissentire, ergo

hodie multifariam nulla sunt; ut sint tamen, [1] persaepe falsa sunt) sed ut eos agitent insectenturque [2] furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare [3] audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo, deterret ab iniuriosa facinorosaque vita, nemo est iniustus; *aut* incauti potius habendi sunt improbi. [4] Tum autem qui non

sensus corporis esse veros, res morales esse fictas; *duodecimum* (ibid.) Viri boni ita iudicant: ergo verum est; *tertium decimum* (c. 19): Virtutes omnes recensentur, certe pleraeque, et ostenditur eas per se, sine praemio, expetendas esse; *quartum decimum*: Vitium est turpe, etiamsi non sequatur poena; *quintum decimum*: Virtus propter alias res esset expetenda, si quid esset melius virtute. Atqui nihil est melius virtute, ergo virtus propter se expetenda est. In virtute autem ius. Ius igitur in natura constitutum est, quia in natura constituta est virtus. Ma.

(1) Recte sic Goerenz. cum cod. Brux. Vienn. ed edd. vett. plerisque. Vulgo *ubi sunt*. Davis. e libris suis *ubi sint*.

(2) Turneb. cui I. F. Gronovius animadv. III, 6, et Davisius assentiuntur: *ut eos agitant insectanturque*. Ascens. Aldus nep. Grut. Ern. *quam ut eos agitent insectenturque*. Nos Goerenzium sequimur.

(3) Verbi gratia, dicere solent, se iure interfecisse insidiatorem, se vim vi repulisse iure naturae, se ab homine laesos fuisse. *Appellare* nominare est, ad auxilium advocare, ut *appellare tribunos*, et hic. Tvrn. — *Quae si appellare*. Sensus est: Si impii audent provocare ad iura naturae, i. e. quaerere defensionem facinoris ab aliquo iure naturae, quo tandem studio haec iura colentur a bonis hominibus? W. — Ernesto magis placet Turnebi explicatio (propter sequens *colentur*). Mihi unice probatur Wyttenbachii ratio, quae est etiam Hottingeri l. c. p. 74. Ma.

(4) *Incauti*. Vt callidi sunt qui diligenter sua commoda emolumentaque consectantur: ita incauti erunt habendi, qui in contraria incommoda et detrimenta incurrent, postremo in legum poenas: ita iustitia calliditas

ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et iudicem? quid, in deserto *quo* loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus, etiam colloquetur, iuvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa facit, et metitur [1] suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit, se illi vitam erepturum, et aurum ablaturum; numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat, ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!

XV. Iam vero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut, si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges iustae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem [2] vellet civium, vel [3] indicta

fuerit, iniuria et iniustitia incauta imprudentia. Tvrn.

(1) *Faciet et metietur.* Hanc lectionem Goerenzius post Davisium e compluribus Mss. et edd. vett. reduxit. Gruterus edidit *facit et metitur.* Et sic Ern.

(2) Hadr. Turnebus, Ant. Augustinus, et alii L. Valerium Flaccum censent intelligi: de quo sic Cicero in Rullum, Orat. XVII, cap. 2: *Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata.* Davis. — Contraria videtur Tullius ponere de Republica I, 2, ubi *Villemain* interpretationi gallicae subiecit haec: « La justice ne vient pas du législateur. Montesquieu a mieux dit: Avant qu'il y eût de lois faites, il y avait des rapports de justice possibles. Dire qu'il n'y a rien de juste, ni d'injuste, que ce qu'ordonnent ou défendent les lois positives, c'est dire, qu'avant qu'on eût tracé de cercle,

causa impune posset occidere. Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una: [1] quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, [2] is est iniustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus, [3] institutisque populorum, et si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt; negliget leges, easque perrumpet, [4] si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neque naturâ est, et ea, [5] quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur. Atque, si natura confirmatura [6] ius non erit, virtutes omnes tollentur. Vbi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi

tous les rayons n'étaient pas égaux. Il faut donc avouer des rapports d'équité antérieurs à la loi positive qui les établit. » Vbi Villemanius nostri loci admonere poterat lectores suos. Ceterum plane in contrariam sententiam disputat Furius Philus in iisdem de Republica libris III, 11. Cr.

(3) Particulam *vel* addidit Goerenz. ex quinque codd. vestigiis.

(4) Hoc est, id, quod una lex constituit, unum illud ius est, quod re vera est ius, nempe lex rectae rationis, absque qua lege nullum ius est a quocumque denique ac quantacumque auctoritate sanciatur. Schvtz.

(2) I. e. ita agit, ac si eam ignoret; nihil curat. Sic Top. I, 3: *Rhetor ille magnus haec Aristotelica se ignorare respondit. Ignorare* enim, propria verbi vi, hanc legem nemo potest, nisi ratione destitutus, quippe quae iam per communem intelligentiam cuique hominui innotescat. Sed fateor equidem sensum his etiam alium subesse hunc posse: *qui eam legem non accurate cognitam tenet, is est iniustus*, etc. ut auctor hoc dixerit, quod in Stoicorum paradoxis est: *solus sapiens iustus, omnis stultus* (non sapiens) *iniustus*. Vtram harum sententiarum auctor his exprimere voluerit: equidem praetulerim priorem; nisi § 44 posteriorem efflagitare videatur. Tvrn.

(3) Hunc graecismum, quo nomina a verbis orta casum verbi sui regunt, ex Plauto notavit Pareus in Mantissa Lex. Plaut. v. *Verbalia* in *io*. W.

(4) Alluditur (ut Off. III, 8, 6), ad dictum illud, sive Anacharsidis, sive Zaleuci (Plut. Solon. 81; Stob. Serm. 43, p. 304 Gesn.), quo leges araneorum telis comparantur, quae infirmiora quidem animalia alligata teneant, sed a valentioribus perrumpantur. G.

(5) Schutz. post Goer. *eaque*; paullo post, *utilitate illa*.

(6) Hanc lectionem revocavit Goer. ex edd. vett. et codd. Mss. Davisius Ern. Wagn. receperunt *confirmatum*.

pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae voluntas poterit exsistere? nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus [1] ad diligendos homines; quod fundamentum iuris est: neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos, caerimoniae religionesque tollentur: [2] quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conservandas puto.

XVI. Quod si populorum iussis, [3] si principum decretis, si sententiis iudicum, iura constituerentur: ius esset latrocinari; ius, adulterare; ius, testamenta (falsa) [4] supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quae si tanta potestas est stultorum [5] sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur: cur non sanciunt, ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, quum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala, nulla alia nisi naturae norma, dividere possumus. Nec solum ius et iniuria a natura diiudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia. Nam et communis intelligentia nobis notas res efficit eas, quas in animis nostris inchoavit, [6] ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Haec autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est. Nam nec arboris,

(1) Schutz. *quia natura* etc.

(2) Hic et superius Schutz. cum Lamb. *tollantur*.

(3) *Populorum iussis*. Proprie. Nam populus iubere dicebatur, senatus decernere, quem nomine principum intelligit (ut in lib. de Orator. I, 7: *Quum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus*), iudices sententiam ferre. *B*.

(4) *Falsa* uncis inclusit Goerenz.

(5) Stoicorum more loquitur, qui stultos vocant omnes praeter sapientem, nam et veram legem sapientis rationem dixit. Tvrn.

(6) Vere sic Goerenzius Mss. auctoritatem secutus. Vulgo *efficit, easque.... inchoat*.

nec equi virtus[1] quae dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. Quod si est,[2] honesta quoque et turpia naturâ diiudicanda sunt. Nam si opinione universa virtus, eâdem eius etiam partes probarentur.[3] Quis igitur prudentem, et, ut ita dicam, catum,[4] non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim virtus perfecta ratio; quod certe in natura est: igitur omnis honestas eodem modo.

XVII. Nam ut vera et falsa, ut consequentia et contraria, sua sponte,[5] non aliena iudicantur; sic constans et perpetua ratio vitae, quae est virtus, itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. Nos ingenia iuvenum naturâ; virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? sin ea non aliter, honesta et turpia non ad naturam

(1) Sic Plato de Rep. lib. I: Βλαπτόμενοι δὲ ἵπποι, βελτίους ἢ χείρους γίνονται; χείρους. Αρα εἰς τὴν τῶν κυνῶν ἀρετὴν ἢ εἰς τὴν τῶν ἵππων; Idem et Stoici dicebant. Laërtius: Αρετὴ δέ ἡ μέν τις κοινῶς παντὶ τελείωσις, id est, *virtus quaedam communiter dicitur cuiusque absolutio*. Sic cuiusque perfectio et absolutio eius virtus censetur, ut in equo velocitas, aut vehendi sessoris habilitas, in arbore baccarum et fructuum copia bonorum. Sed tum abutimur nomine, quia proprie virtus dicitur in iis in quibus est ratio, ut in homine et Deo. Tvrn.

(2) Ita recte Davis. Goerenz. Vulgo *quod si ita est*.

(3) *Partes*. Id est, species.

(4) *Catum* Varro, L. L. l. VI, p. 74, acutum, non sapientem interpretatur; ut *cata signa* apud Ennium, et *Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus*: et apud Lucilium *Cata dicta*. Hic tamen est prudens, sapiens, peritus, contra quam Varroni videbatur. Plutarchus ἔμπειρον interpretatur, id est, *peritum*. Est autem Sabinum vocabulum. Vtitur eo Plautus initio Paenuli, *Quas tu sapienter, docte, cordate et cate*. Tvrn. — *Non ex ipsius habitu*. Prudens diiudicatur ex ipsius habitu, i. e. quia habet prudentiam, non iudicatur ex aliqua re externa, i. e. quia ab aliis habetur pro prudenti. Haec est significatio vocis *habitus*, Graecis ἕξις, de qua Aristoteles in Categorr. cap. 5 et 6, Metaphys. IV, 20 et 10. In habitibus etiam censentur scientia et virtutes. Hinc Cicero sua sumpsit de Invent. II, 9, 30; cf. ib. I, 24, 34. *B*

(5) *Sua sponte*. Sua vi, suo nomine, per se. Tvrn.

Digitized by Google

referri necesse erit? [1] Quod laudabile bonum est, [2] in se habeat quod laudetur necesse est. Ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura; nam *ni* ita esset, beati quoque opinione essent: quo quid dici potest stultius? Quare quum et bonum et malum natura iudicetur, et ea sint principia naturae; certe honesta quoque et turpia simili ratione diiudicanda, et ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas hominumque dissensio; et quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus; illa, quae aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse ducimus. [3] Quod est longe aliter: nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis omnes tenduntur insidiae, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros et rudes quum acceperunt,

(1) Hic locus in Mss. variis additamentis corruptus est; quae hic repetere non est necesse. Inde Gruterus post Victorium ediderat: *Nos ingenia iuvenum non item ad ingenia; natura virtutes et vitia quae exsistunt ab ingeniis, iudicabuntur? An ea non aliter? honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit?* Davisio reponendum videbatur: *nos ingenia iuvenum confitemur ingenita natura. Virtutes et vitia quae exsistunt ab ingeniis non ad naturam referri necesse erit.* Goerenzius edidit: *Nos ingenia iuvenum non item? At ingenia natura. Virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis aliter iudicabuntur? an ea aliter quam honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit?* Mihi pluscula in codd. temere repetita recidenda videbantur. Itaque lectionem effeci, non coniecturam solum, sed horum vel illorum codd. vestigia secutus, qua et ipsi Ciceronis sententiae et elocutionis brevitati consuleretur. — Lemaerius dedit Goerenzii lectionem, a quo tamen discedit in postremis, nimirum: *an ea non aliter? honesta et turpia non ad nat. ref. nec. erit?* Typ.

(2) Vt bonum natura iudicatur, ita laudabile bonum, quod honestum est, eadem natura iudicabitur: alioqui quum beatitudo a virtute proficiscatur, opinione non natura beati homines essent. Stoicis autem omne bonum laudabile est. Cicero de Finibus, lib. III, cap. 8: *Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne est honestum: bonum igitur quod est, honestum est.* Peripateticis et Academicis non omne bonum laudabile est. Tvrn.

(3) Victor. Davis. Ern. *dicimus.*

inficiunt et flectunt, ut volunt; vel ab ea, quae penitus in omni sensu [1] implicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, [2] non cernimus satis.

XVIII. Sequitur (ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio [3]) id, quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius, et omne honestum, sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem [4] et ius ipsum amant; nec est viri boni, errare, et diligere, quod per se non sit diligendum. Per se igitur ius est expetendum, et colendum. Quod si ius, etiam iustitia: sic reliquae [5] quoque virtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? Si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemii, nihil pretii. Per se igitur expetitur. Ea-

(1) Nam ex omnibus sensibus voluptas percipitur: quod tamen Platoni non videtur in Timaeo. *B.*

(2) Titillatione et pruritu, cuiusmodi scabiosis sese friantibus gignitur, unde a scabendo scabies nomen habet. Simile est illud Satyrici poëtae Iuvenalis, Sat. II, 128: *Haec tetigit Gradive tuos urtica nepotes.* Tvrn.

(3) Scripsimus cum Dav. *oratio* pro *ratio* ex codd. nostris W. et H. et edd. Asce. Car. Steph. Paris. Crat. Herw. Goerenzius quidem perstringit Davis. dicens, male hoc esse factum, quum oratio demum in fine libri concludatur. Sed ipsum vocabulum *oratio* saepe ponitur a nostro pro argumentatione et ratiocinatione. *B.*

(4) Verba *viri boni* Scheff. explicat: Viri sapientis, cati. Recte contra Wagnerum Goer. verbum *errare* explicat: a natura aberrare, et *diligere*, etc. propensiorem esse in ea, quae sua natura non merentur. Quod vero idem cum verbo *diligere* Stoicum συμνύνεσθαι ex Plut. de Stoicor. Rep. comparavit, in eo vereor, ut rectum viderit. Verba *per se igitur ius est expetendum* absunt a cod. M. Mn.

(5) Ita edd. vett. it. cod. Brux. Cassel. Dresd. 2, unde Goerenzius reduxit. Davisius correxit *sin ea reliquae quoque*, etc. — Alii etiam sic: *sic in ea rel. q. v.* vel, *si ea, rel. q. v.*

Digitized by Google

demque omnium virtutum causa atque sententia est. [1] Atque etiam si emolumentis, non suapte natura [2] virtus expetitur, una erit virtus, quae malitia rectissime dicetur. [3] Vt enim quisque maxime ad suum commodum refert, quaecumque agit, ita minime est vir bonus: ut, qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem, nisi malitiam putent. Vbi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsum cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, [4] ut dicitur? qui etiam deserendus et abiiciendus est, desperatis emolumentis et fructibus: quo quid potest dici immanius? Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, et aequalitas, [5] et iustitia, per se expetenda. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est. Id enim iniustissimum ipsum est, iustitiae mercedem quaerere.

(1) Eodem modo de aliis virtutibus iudicandum et sentiendum est. A causis est ductum, quas sententia solet sequi. *B.*

(2) Ita ed. Crat. Goerenz. Olim vulgabatur *sua natura*. Victor. et seqq. *sua sponte.*

(3) Malitia vitii certi nomen est, nimirum doli, calliditatis ac versutiae. Vitiositas omnium vitiorum. Cic. de Natura Deorum lib. III, cap. 30: *Est enim malitia, versuta et fallax nocendi ratio.* Sic supra in eamdem sententiam, cap. 14: *Tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus non boni.* Vt autem probitati improbitas adversatur, virtuti vitium et vitiositas: sic bonitati malitia. Secus tamen videri nonnullis miror. Nam bonitas simplex quaedam et ingenua probitas est, a fraude abhorrens, et vir bonus dicitur, qui non est fraudulentus, dolosus, fallax. Tvrn.

(4) *Toto pectore, ut dicitur.* Vide de hac locutione proverbiali Erasmi et all. Adagia, p. 120, coll. p. 251, ed. Frcf. 1656. Ma.

(5) Cum aequali iure vivitur ab omnibus nemoque alterum opprimit: alioqui ius et societas civilis etiam nulla fuerit, nisi leges omnibus irrogatae sint, aequaliter et pari iure vivatur. Cicero, de Amicitia, cap. 5: *Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas, libido, audacia.* Tvrn.

XIX. Quid vero [1] de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, [2] pudore, pudicitiaque dicemus? infamiaene metu non esse petulantes, [3] an legum et iudiciorum? Innocentes ergo, et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant? Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. [4] Ac me nimis istorum philosophorum pudet, qui nullum vitium vitare, nisi iudicio ipso notatum, putant. [5] Quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, quum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? [6]

(1) *Vero* abest cod. Brux. Vien. Gud. 2 idque delevit Goerenz.

(2) *Verecundia* dicitur a verbo *vereri*, veluti si veremur male facere, si veremur iudicium virorum bonorum; sed pudor, pudicitia saepe iunguntur; haec magis ad corpus, illa ad animum refertur. Wyt.

(3) Superioribus omnibus petulantiam opponit, quae est hominum immodestorum, intemperantium, incontinentium, inverecundorum, impudentium, postremo impudicorum. Sic de Finibus, lib. II, c. 22, hunc locum tractat: *Iam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia, poenae aut infamiae metu coërcebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur; quod adulterium, quod stuprum, quae libido se non proripiet ac proiiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia?* Tvan.

(4) Goerenzius quasi sensus vulgatae haud esset probabilis edidit comparata nonnullorum codd. varietate *erubescunt pudici etiam impudica loqui*. At multo gravius est, et exquisitius *pudicos* adeo verecundos esse, ut ne loqui quidem *de pudicitia* possint nisi rubore quodam suffusi, sc. quod hoc fieri non potest, nisi simul de impudicitia cogitetur. — Lemaerius sic interpungit: . . . *ut bene audiant? et ut rumorem bonum colligant, erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia?* T.

(5) Ante *putant* excidisse videtur *rectum* vel simile aliquid. — *Qui nullum vitium vitare.* Id est, neminem vitia vitare, nisi quae infamia aut poena notata sunt. Iudicium dicit, quia proxime de pudicitia verba fecerat, quam qui parum honeste habebat, lege Scatinia in iudicium vocari poterat. Tvan.

(6) Schefferus ad h. l. sic: Haec obscura sunt. Quid enim vult *ipsa?* num ad *infamia* referri debet? Habebit ergo quamdam emphasin, quam hic difficulter intelligo. Mallem ego referre ad *stupra*. Sensus est: Non possunt evitari stupra propter infamiae metum, quia prius facta sunt stupra, ea deinde notata infamia. Notata ergo infamia, non quod ante, quam fierent, decretum quoddam ea notanda statuisset, sed quod propter naturae suae turpitudinem infamia sequeretur. — Quod ad sensum bene. Sed *ipsa* non ad *stupra* referendum,

Nam quid aut laudari rite, aut vituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis; animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitiis facillime perspici [1] potest. Quid enim foedius avaritia, quid immanius [2] libidine, quid contemptius timiditate, quid abiectius tarditate et stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos, miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum? Quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest. Postremo, si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid, quam virtutem, necesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valitudinem? quae et, quum adsunt, perparva sunt; et, quam diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. An (quod turpissimum dictu est) voluptatem? at in ea quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur.

XX. Videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit, atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius, nisi me retinuissem. [3] *Q.* Quo tandem? libenter enim, frater, ad istam orationem tecum prolaberer. *M.* Ad finem bonorum, quo referuntur,

sed ad *infamia*. Germanice reddas: *Da gerade die Inf.* Mn.

(1) Sic Lamb. Ern. Goerenz. Vulgo *percipi*.

(2) Wytt. in scholis ait, esse, qui corrigant *insanius*, cuius ego lectionis nullum animadverti vestigium. *M.*

(3) Quum virtutem omnem propter se expetendam dixisset, aut si propter alias res virtus expeteretur, ea melius aliquid esse, deinceps sequebatur de Finibus bonorum et malorum disputatio, in quam tacite sensimque prolabebatur, nisi se retinuisset. Stoici autem in philosophia sua solebant mirum in modum seriem rerum et sententiarum aptam et connexam praedicare, ut et hic Cicero eorum exemplo. Tvrn.

et cuius apiscendi causa sunt facienda omnia: controversam rem, et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam. [1] *Att.* Qui istud fieri potest, L. Gellio mortuo? [2] *M.* Quid [3] tandem id ad rem? *Att.* Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini, [4] Gellium, familiarem tuum, quum proconsule ex praetura [5] in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisque magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum. Quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere; posse rem convenire: et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire. [6] *M.* Ioculare istud quidem, Pomponi, et a multis saepe derisum. Sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum. *Att.* Quo tandem istud modo? *M.* Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Att.* Ain' tandem? una de re est solum dissensio? *M.* Quae quidem ad rem pertineat, una; quippe quum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuvaremur in vita, bonum esse decreverint; hic, nisi quod honestum esset, nihil putarit bonum. *Att.*

(1) Id est, diiudicandam, quod in libris de Finibus fecit. Tvrn.

(2) L. Gellii Cicero in Bruto, cap. 47, meminit: quem *non vendibilem oratorem*, multarum tamen rerum peritum fuisse dicit: eumque illic familiarem suum vocat. Tvrn.

(3) *Qui* dedit Davis. et Goerenz. e Mss.

(4) Phaedrus philosophus Epicureus fuit, quem cum Attico Cicero audivit. Tvrn.

(5) Magistratus Romae annuus sui magistratus eo tempore fere agebant, quo exacto in provinciam ibant, atque id est ex praetura, aut ex consulatu in provinciam ire. Tvrn.

(6) Si inter eos de arbitro conveniret, si compromissum in arbitrum aliquem facerent, aut arbitrum a magistratu peterent. Ridiculum hoc erat, quod putaret ut lites, sic controversiam de Finib. honoraria arbitri opera disceptari et componi posse. Tvrn.

Digitized by Google

Perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia. *M.* Probe quidem sentis, si re, ac non verbis dissiderent. [1]

XXI. *Att.* Ergo assentiris Antiocho [2] familiari meo (magistro enim non audeo dicere) quocum vixi, et qui me ex nostris paene convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis passibus. *M.* Vir *iste* fuit ille quidem prudens et acutus, et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne, mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. *Att.* Qui istud tandem vides? *M.* Quia si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse, [3] quod honestum esset, malumque quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse; valde a Xenocrate, et Aristotele, et ab illa Platonis familia [4] discreparet, essetque inter eos de re maxima, et de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero quum quod decus [5] antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat; item*que* dedecus, quod illi summum malum, hic solum; divitias, valitudinem, pulchritu-

(1) Vt quum commoda dicere malunt Stoici quam bona, incommoda quam mala; quum legenda et sumenda dicunt commoda fortunae et corporis, non expetenda: quum incommoda non sumenda, non autem fugienda. Tvrn.

(2) Hic Philonis discipulus relicta nova Academia in veterem remigravit, ac librum de Peripateticorum et Stoicorum concordia edidit. Huius auditor Pomponius, alioqui Epicureus, aliquando fuit: ac propemodum se ab eo ex Epicuri hortulis in Academiae spatia pertractum ait. Tvrn. — *Non audeo dicere.* Propter condiscipulos Epicureos, qui istud acerbe ferrent, si eum magistrum agnosceret, et Epicuri sectam relinqueret, id dicit. Tvrn.

(3) Vulgo additum *diceret*, quod recte Goerenzius delevit in Grŭteri, Gulielmi, Davisii, itemque Goerenzii codd. omissum.

(4) *Illa* veterem Academiam significari, recte monuit Goer.

(5) Ita Goerenz. cum codd. Oxx. tribus Gud. 1, et Dresd. utroque. Vulgo *quum decus quod.*

dinem, commodas res appellet,[1] non bonas; pauertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles; loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia nata est de finibus: in qua quoniam usucapionem[2] XII tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus;[3] nec Mamilia lege singuli, sed ex iis tres arbitri fines regemus.[4] *Q.* Quamnam igitur sententiam

(1) Stoici nihil praeter virtutem bonum, nihil praeter vitium malum existimant: reliqua quae corporis et fortunae bona malaque dicimus, commoda et incommoda appellant: quae Aristo Chius Zenonis discipulus, plane indifferentia ponebat, ac summum bonum statuebat, in his rebus neutram in partem moveri. Tvan.

(2) Hunc locum Alciatus ita ex Aggeno Vrbico et Iulio Nypso declarat: *Lege duodecim Tabul. cautum erat, ut inter vicinorum praedia constitutis finibus, quinque pedum spatium relinqueretur, qua ire, agere, uterque dominus posset, itemque ut circumverti aratrum posset.* Id spatium usucapi eadem lege prohibebatur: deinde post decemviros lata est lex Manilia, vel Mamilia, ut in libris scriptis reperio: quae, quoties de his quinque pedibus controversia esset, eligi arbitrum agrimensorem aut finitorem iussit; qui fines eos regeret et constitueret. Vltra vero quinque pedes, quoniam lis non finalis, sed proprietatis est, praetor adeundus erat. Locus autem est ex ambiguo, de finibus agrorum et bonorum. Tvan.

(3) Academiae agro velut usucapto frui Zenonem non sinemus. Nam plane sentit idem quod Academici veteres, eorumque sententiam usurpat, mutatis tantum vocabulis loquitur alio modo. Possessiones sunt agri late patentes, vel publici, vel privati. Hic qui *depasci* absumi depascendo interpretantur, sensum non vident: qui enim agrum possidet, in agrum pecus suum immittere potest, in alienum agrum non potest: inde translatio ducta. Tvan.

(4) *Sed ex iis tres.* Sic vulgo; sed legendum esse primus, quod sciam, vidit Ranconetus, *Sed ex XII tres arbitri.* Antiqua haec, et vera scriptura a librariis, aut sciolis corrupta. Hanc emendationem lex ipsa XII Tabularum comprobat, cuius sunt verba: *De confinio agrorum vicini ne iurganto: sed tres arbitri fineis regunto.* Lamb. — *Ex iis*, legibus quas nunc scribimus: vel recentiores intelligit leges de agrorum conditionibus, quales legi in veteri libro Rosciam, Peduceam, Allienam, Fabiam. Superior sensus mihi magis probatur. Nam quod nonnulli scribunt legem Mamiliam Ciceronis aetate obsoletam nec observatam fuisse, falsum est,

Digitized by Google

dicemus?[1] *M.* Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit,[2] iisque parere. *Q.* Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum: quo de genere exspecto disputationem tuam. Nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi. — Sed certe res ita se habet, ut, ex natura vivere, summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui;[3] aut naturam sequi, et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec[4] velit virtute tamquam lege vivere. — Quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non po-

quum etiam aetate Frontini observaretur. Hic autem *arbitri* sunt, quos dicimus *commissarios*. Tvrn.

(1) Ita cod. Brux probantibus Ern. et Goerenz. Vulgo *dicimus*.

(2) *Quos Socrates*. Compouit litem de finibus, ut bonorum fines, sint quos Socrates moralis philosophiae auctor posuit, vivere, ut opinor, secundum naturam. In controversia finium regundorum termini requiruntur. Paullus: *Eos terminos, quantum ad dominii quaestionem attinet, observari oportet fundorum, quos demonstrabit is*, etc. Termini quos Socrates pegit, possessionem Academicorum terminabunt, qui ab eo statim exorti sunt; ostendentque a Zenone aliorum verborum obtentu usurpatam Academicorum possessionem. Tvrn. — *Pegerit*. Sic libri veteres, id est, fixerit, a *pango*, quod, ut ait Priscianus, *pegi* facit et *pepigi*. Pacuvius, *Tonsillam pegi laevo in litore*. Qui a *paciscor* deducunt, et ab origine et a sententia aberrant: nam hic de pactione non agitur, sed de terminorum positione. Tvrn. — *Iisque parere*) *Requiri* est repetitos restitui: et huic accommodate scribendum erat *pareri*; quod ipsum Davis. legendum commendat. Sed sine necessitate, quum saepe passiva et activa sic infinite iungantur. Vid. Bremi de Fato 20, ad verba *disceptari.... petere*; idem ad Fin. II, 7, *dari aut fingere aliquos*. Adde in Pis. 37, 90: *lex enim generi tui et decerni, et accipere vetabat*, etc. *G.*

(3) I. e. vita, quae apta est, connexa, suspensa a virtute. Ita dicitur *aptus ab aliquo*. Wyt.

(4) *Inter haec*, sc. quae natura postulat, vivere virtute, i. e. secundum virtutem, tamquam secundum leges. Sed haec dicendi ratio requirit *intra* pro *inter*, ut Cicero scripsisse videatur: *intra haec.... vivere*. — Pro *haec* legitur *hoc* in codd. Cr. et H. Verba *sed certe res* Hülsemannus quoque Marco attribuit, ut fecit Rathius. Ma-

test, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi simus.[1] *Att.* At ego huc declinabam, nec invitus.

XXII. *Q.* Licebit alias; nunc id agamus, quod coepimus, quum praesertim ad id nihil pertineat, haec de summo malo bonoque dissensio. *M.* Prudentissime, Quinte, dicis. Nam quae a me adhuc dicta sunt,[2] *** *Q.* Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo quum populis, tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi, et disciplinam daturum. *M.* Est huius vero disputationis, Quinte, proprium id, quod expectas: atque utinam esset etiam facultatis meae! Sed profecto ita se res habet,[3] ut quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit, ut

(1) Credo numquam posse diiudicari sc. disputationem de finibus bonorum et malorum. Profecto hoc non potest diiudicari, siquidem disputationem de legg. quam suscepimus, perficere volumus. Wyt.

(2) Ad hanc lacunam Goerenzius referendum censet fragmentum hoc a Lactantio V, 8, commemoratum: *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi pravitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos et subiectos omnes sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam omnes viverent.* — Wytt. ad h. l. ita: Pauca exciderunt. Quaedam edd. addunt: e *media philosophia ducta sunt.* Cicero potius tale quid scripsisse videtur: *nam quae adhuc a me dicta sunt, in optime constitutis civitatibus, apud sapientissimos legum latores, Lycurgum, Solonem, aliosque valuerunt, et fere e media philosophia ducta sunt.* Quae magis placent Goerenziana ratione. Wagner. tale quid desiderat: *Recte dicis, ad hanc, quam agimus, causam illam de summo bono et malo dissensionem nihil pertinere: nam quae a me adhuc dicta sunt, per se, omissa illa disputatione, ostendunt, ius esse in natura et ad omnes pariter pertinere, neque unius cuiusdam legislatoris auctoritati denum sanciri.* Mr.

(3) Liber primus concluditur philosophiae laude. Cave autem existimes hic disseri legem et philosophiam idem esse: et philosophiam naturalem esse, proinde et legem: longe alia Ciceronis mens est. Nam quum omnia quae disputavit a philosophia pro-

Digitized by Google

mater omnium bonarum rerum [1] sapientia sit: a cuius amore graeco verbo philosophia nomen invenit; [2] qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. Haec enim una nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: [3] cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. [4] Nam qui se ipse norit, primum aliquid

ficiscantur, merito hic eam ornavit. Tvrn.

(1) Sic Davis. e Mss. suis. Idem est in codd. Oxx. et Goerenzio omnibus. Vulgatum *artium* Ernestius revocavit.

(2) Huius inventorem nominis Pythagoram accepimus; nam ante Pythagoram omnes, qui rerum contemplatione studia ponebant, *sapientes* et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem. Quem Phliuntem, Peloponnesi urbem, venisse ferunt, et cum Leonte principi Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam: cuius ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret: at Pythagoram artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum: admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse, hos se appellare sapientiae studiosos. Mn.

(3) Sapientum sententiae Delphis in Apollinis templo sculpebantur, et tamquam oracula deo attribuebantur. Haec enim Chilonis est Lacedaemonii. Plinius, Hist. Nat. lib. VII, cap. 32: *Rursus mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedaemonio, tria praecepta eius Delphis consecrando, aureis literis, quae sunt haec, nosse se quemque: et, Nihil nimium cupere: Comitemque aeris alieni atque litis esse miseriam.* Non desunt qui Delphici oraculi vocem dicant. Cuidam enim, quo ad beatitudinem itinere perveniret, consulenti, *Si te, respondit Deus, noveris:* quos sequi Cicero videtur. *Nosce autem te ipsum*, ita prima Tusculan. c. 22, explicat: *Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim pr aceptum Apollinis, quo monet ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit ut membra nostra et staturam figuramve noscamus: neque nos corpora sumus, neque ego haec dicens corpori tuo dico. Quum igitur, nosce te dicit, hoc dicit nosce animum tuum.* Tvrn.

(4) *Delphico deo.* Cic. in prima Tusc. cap. 22: *Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic ut Deo tributum sit, hoc est se ipsum posse cognoscere.* Tvrn. — *Delphico deo.* Ista sententia haud dubie ideo huic deo tribuebatur, quod in foribus templi Delphici inscripta legebatur. Plato, Alcibiad. I, pag. 41 Bip. Plut. de ei foribus templi Delphici

se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum, [1] sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet; et, quum se ipse perspexerit totumque tentarit, [2] intelliget, quemadmodum a natura subornatus [3] in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principia [4] rerum omnium, quas

inscripto pag. 385 sqq. ex quo item patet, etiam alias ejusmodi sententias, ut μηδὲν ἄγαν, ibidem inscriptas fuisse. (Cf. Plat. Protag. p. 454, et Plin. VII, h. n. 32.) Ex aliorum auctoritate tribuitur (ut recte Wagner. monuit), Chiloni. Adde Stob. pag. 475. *G.*

(1) Gulielm. tentabat *geniumque*, probante Grutero. — Si *ingenium* cum Goer. uti debet, intelligas ut *ingenitam divinam vim*, optime se habet omnium librorum lectio. Mh. — *Ingeniumque.* Animum suum in corpore tamquam delubro signum consecratum. Nam animus nobis *a Deo*, ut supra disseruit, *ingeneratus est.* Sed et in Paradoxis ait, c. 4: *Tu quum tibi sive Deus, sive mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est praestantius neque divinius, sic te ipse abiicies atque prosternes, ut nihil inter te et interr quadrupedem aliquam interesse putes?* Tvrn. — De sententia: *ingeniumque.... sicut simulacrum in se suum* vide quae plura congessi ad Plotini de pulchritudine haec: καὶ μὴ παύσῃ τετραίνων τὸ σὸν ἄγαλμα, p. 369 sqq. Ca.

(2) Hanc lectionem sine libris mutavit Ernestius reponendo, *tentarit, totumque perspexerit.*

(3) *Subornatus.* Supra: *Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit et ornavit Deus.* Hoc in verbo inest tacitum nescio quid et clandestinum: id est, intus velut instruxit et quodam modo ornavit. Alias in malam partem accipitur, ut quum *subornatos testes* dicimus. Tvrn. — *A natura subornatus.* Forte, *sua ornatus*, inquit Gulielmius, sed libri nihil variant, et bene explicat Turn. Gryt. — *A natura subornatus.* Sic Reg. aliique codices, nisi quod Paris. mendose repraesentet, *a natura sub natura ornatus.* Verum Iano Grutero placuit, *a natura sua ornatus.* Mss. lectionem videtur habuisse suspectam, quod *subornatus* de teste per fraudem submisso fere diceretur, nec in mentem esset alia vocis significatio. Verum enimvero simpliciter *instructus* bonis auctoribus *subornatus* vocatur, ut multis exemplis ostendit I. F. Gronovius ad Senecae Ep. XXIV, quibus adde Frontinum, Stratag. lib. II, c. 4, 18. Alioquin ea, cuius memini, coniectura parum loco convenit; siquidem nemo *a natura sua ornatus* in vitam venit, sed dotes nostras ab omnium parente sive Deo singuli recipimus. Davis.

(4) *Principio.* Scripsimus cum Ern.

adumbratas intelligentias, [1] animo ac mente conceperit; quibus illustratis, [2] sapientia duce, bonum virum, et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

XXIII. Nam quum animus, cognitis perceptisque virtutibus, [3] a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam dedecoris, [4] oppresserit, omnemque mortis doloris timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura coniunctos, suos duxerit, cultumque deorum et puram religionem susceperit,

Goer. Sch. ex cod. M *principia*, et cum Goerenz. et Sch. quod Rathio quoque placebat, *illustratis*, id est, excultis vel potius *enodatis*. Priorem emendationem Ern. dedit ex edd. Ven. 1494, Mediol. et Asc. ex prima videlicet, altera enim habet *principio*. Placet ea lectio etiam Ochsnero. *Illustratis* autem reperimus in cod. H. et ed. Comm. Mn.

(1) Hae sunt notiones illae innatae, quas Deus nostris mentibus indidit, quasque Stoici item ut Epicurei tuebantur, ortas tamen ex perceptionibus rerum externarum, per corporis sensus factis. At Platonis aliae erant innatae notiones, ex prioribus vitis in hanc vitam ab ipso nascenti homine allatae. Graece dicuntur a Stoicis et Epicureis ἔννοιαι et προλήψεις, quorum prius notat interiorem cogitationem, alterum anticipationem. Has e Stoicorum ratione Cic. memorat cap. huius libri 12, 16, et h. l., Acad. II, 10, de Fin. III, 10, V, 21. Mn. — *Animo ac mente*. Cicero haec saepe iungit, ut notet totum illud, quod *animam* dicimus: ac *mente* quidem significat rationem, facultatem cogitandi; *animo* impetum, voluntatem, facultatem appetendi. Ingenium seu animus cuiuscumque hominis est ipsius Deus, et tamquam simulacrum Dei summi colendum. Nam praestantissima animae pars, mens, habebatur decerpta esse ex divina natura, eiusque quasi particula, et ipse homo factus ad similitudinem Dei. Vid. infra I, 26, item nostra annott. ad Plutarch. Quaest. Platon. prodita in Bibl. Crit. vol. III, P. 1, p. 13 sqq. W.

(2) Sic codd. Vien. Brux. Cassel. quod recte recepit Goerenz. Vulgo *illustratus*.

(3) Quatuor virtutes significantur; *temperantia* inde ab his verbis: *a corporis obsequio.... oppresserit*; — *fortitudo* proximis verbis: *omnemque..... timorem effugerit*; — *iustitia* his: *societatemque... religionem susceperit*. Nam iustitia est vel erga homines, vel erga deos: tali ratione perspectis rebus exacuitur ingenii acies ad bona eligenda et mala reiicienda, quae virtus est prudentia. Wytt.

(4) Ita recte Goerenz. e codd suis Oxonn. Davisianis. Vulgo *decoris*.

et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, [1] et reiicienda contraria (quae virtus ex providendo est appellata prudentia); quid eo dici, aut excogitari [2] poterit beatius? Idemque quum caelum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quo modo obitura, quid in iis mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit, [3] viderit, ipsumque ea moderantem et regentem paene prenderit, [4] seseque non unius circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu et cognitione naturae, dii immortales! quam ipse se noscet, quod Apollo praecepit Pythius; quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae vulgo dicuntur [5] amplis-

(1) *Deligitur*, qui ex pluribus, sed idoneis; *eligitur*, qui ex promiscua multitudine legitur. Mn.

(2) *Aut cogitari*. Sic Schutz. cum Davisio, aliisque. Vulgo *aut excogitari*, quod est in Mss. Dresd. 2, Cassel. al. — *Aut excogitari*. Reduximus lectionem, quam et codices nonnulli servant, et multae edd. vett. ex nostris Ald. Car. Steph. Lamb. Brut. Sturm. *Rogitari* est in cod. M. in eodem *potuerit*. *Cogitari* glossam esse, primus vidit Matthiae ad Catil. II, 4, 7, idemque existimat Beier. ad Cicer. de Off. III, 8, 36, p. 243, qui *non excogitari*, ait, idem est ac si dicas: *non cogitari, ne si fingere quidem volueris*. Coll. Or. III, 45, 179. Mn.

(3) *Aeternum*. Stoicis aeterna est materia, et Deus, quem per materiam pervadere, et eam informare censent: atque adeo ignis ipse rerum semen. Animos etiam humanos aeternos et immortales Cicero existimat: qua de re inter Stoicos est variatum: nam alii, ut ait Aristoteles, existimant, animos mortuorum manere, alii in animum mundi confundi, alii mortales esse, nec tamen statim quum e corpore excesserint interire, sed aliquamdiu superstites esse: sapientum autem animos ad exustionem usque vivaces esse: tum enim eos et reliquos deos praeter Praepotentem interire. Tvrn. — Aristotelem cum Numenio confudit, ut puto, Noster: hic enim paria tradit apud Euseb. P. E. XV, 20. Vide nos ad Tuscul. I, 31. Dav.

(4) Ita Goerenz. e sex codd. Vulgo *prehenderit*. — Cf Mai ad Rempubl. p. 356 edd. Stuttg. Cn.

(5) Davis. e coniectura Victorii, *du-*

sima? Atque haec omnia, quasi sepimento aliquo, [1] vallabit disserendi ratione, veri et falsi iudicandi scientia, [2] et arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, et quid sit cuique contrarium. Quumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, [3] sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros; qua praecepta salutis et laudis [4] apte ad persuadendum edat suis civibus; qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque et consulta fortium et sapientum, cum improborum ignominia, sempiternis monumentis prodere. Quae quum tot res, tantaeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab iis, qui se ipsi velint nosse; earum parens

cuntur, refragante Mosero, qui vulgatam defendit. *T.*

(1) Stoicorum more, qui philosophiam agro feraci comparabant, cuius sepem dialecticam esse dicebant: fructum ethicen: terram aut arbores, physicen; auctore Laërtio, cuius haec verba sunt, VII, 40: Ἡ ἀγρῷ παμφόρῳ, οὗ τὸν μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν εἶναι τὸ λογικόν, etc. Philo quoque dialecticen περίβολον quodam loco appellat. Tvrn.

(2) Davis. e coniectura *disciplina et scientia*, quod receperunt Ernestius, Clericus aliique. *T.*

(3) *Illa subtili disputatione.* Dialecticorum oratione. — *Perp. oratione.* Dictione oratorum, quae perpetua est, i. e. quae non est interrogatione et responsione, ut dialecticorum oratio, interpellata. *T.* — Cann. de Not. p. 333: » *Fusa latius perp. oratione.* Teste Diacono iisdem siglis exarata fuerunt olim *perpetua* et *proposita*. Ore *funditur* oratio, *proponitur* scripta in publicum edita. Quidni itaque dubitem a Cicerone profectum fuisse: *fusa latius proposita oratione*, id est, non inter amicos solum, aut pro concione etiam subtili disputatione persuadere velle, sed latius quoque publice propositae sententiae nostrae universis copiam facere, veritatemque rei sempiternis monumentis prodere, quae verba mox sequuntur. « Ego vereor, ne et hoc loco, et aliis haud paucis nimio isto notarum siglarumque aucupio a recta via se abduci passus sit Cannegieterus. Cr.

(4) Iam dixerat, *qua laudet claros viros*; ut iterata *laudum* mentio supervacanea videatur. Lego, *qua praecepta salutis et voces apta ad persuadendum*, etc. Dav. — *Qua praecepta salutis et laudis.* Non magis intelligo, cur Dav. lectionis optimorum libro-

est educatrixque sapientia. *Att.* Laudata quidem a te graviter et vere. [1] Sed quorsus haec pertinent? *M.* Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus; quae tanta esse volumus: non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio et libenter, et ut spero, recte, quod eam, cuius studio teneor, quaeque me eum, quicumque sum, [2] effecit, non possum silentio praeterire. *Att.* Vero facis et merito, [3] fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciundum.

rum ne mentionem quidem fecerit, quam cur Ern. in ea non acquieverit, quippe quam se recepisse dicit, dum melius quid inveniatur. Putidum sit docere, quam saepe et apud optimos scriptores, et apud Nostrum *laus* dicatur pro *re laudabili* et *virtute*. Legitur autem *laudis* in codd. nostris W. H. edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Ald. Par. Lamb. Sturm. Car. Steph. Gothofr. Brut. Comm. Morab. Ern. Wagn. Bip. Ma.

(1) *Laudata*. In Attici verbis, quod tam abrupte inferuntur, semper nescio quid offensionis mihi se obtulit, quam minus sentirem, si scriptum esset: *Laudata ea quidem*, etc. Cod. M. omittit *graviter*. Ma. — Versu seq. recentiores nonnulli, *quorsum*; Schutz. *quorsus* cum vett. edd. *T.*

(2) Saepe hoc profitetur Cicero, se, quidquid valeat in eloquentia aliisque disciplinis, debere philosophiae; veluti in Oratore ab initio affirmat se totum ex Academia exstitisse (cap. 3. 12): ibi enim ita loquitur: *fateor me oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.* Et pluribus locis Cic. ita disputat, ut affirmet, philosophiam esse fundamentum et procreatricem omnium artium, et doctrinarum. Ceterum egregia haec est ac paene divina sapientis virtus ac beatitudo, eiusque secundum Stoicos et Platonicos praestantia continetur tribus illis scientiae partibus, physica, ethica, dialectica; et similiter a Cicerone laudata est aliis locis, quos conferre operae pretium est: Tuscull. Dispp. lib. V, cap. 24, et sq. de Fin. lib. III, cap. 21. Wytt.

(3) *Et ipse* vulgo additum, ab Ernestio iam et Goerenzio uncis inclusum, eieci. Recte abest in codd. Vrsini, Ball. Vienn.

Digitized by Google

# M. TVLLII CICERONIS

DE

# LEGIBVS

## LIBER SECVNDVS

### I.

*Att.* Sed visne, quoniam et satis iam ambulatum est, et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, et in insula, quae est in Fibreno (nam Liri [1] opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam sedentes? *M.* Sane quidem: nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive quid aut scribo, [2] aut lego. *Att.* Equidem, qui nunc potissimum [3] huc venerim, sa-

(1) Vulgo abest hoc nomen, quod addendum esse pulchre divinavit Goerenzius. Is autem id pro *illi* reponendum censebat: mihi vero commodius visum est, pronomine servato, illud verbo *opinor* praeponere (in quo Moserum habet assentientem. *T.*)

(2) *Sive aut quid scribo* dedit Goerenz. e novem codd.

(3) Ita plerique Mss. et edd. inde a Victorio, quod recte revocavit Goerenzius. Ernestius ex edd. pr. dedit *primum*; quod negaret alterum sensum commodum habere. — *Nunc potissimum huc venerim.* Recte hanc lectionem defendit Goer. dicens *nunc potissimum* poni pro *hoc laetissimo anni tempore;* qua lectione recepta non impeditur, quo minus Atticus *primum* Arpini fuerit. *Potissimum* est in Copp. Victt. b. codd. Cr. W. H. M. edd. Paris. (in qua Turn. in annott. *primum* ex Ald. praetulit; in altero commentario nostram lectionem probavit) Comm. Verb. Sch. Nobiscum facit etiam Engelbr. l. c. p. 46. Ma.

tiari non queo; magnificasque villas, et pavimenta marmorea, [1] et laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, [2] quis non, quum haec videat, irriserit? Itaque, ut tu paullo ante, de lege et iure disserens, ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar (nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam; idque ut facerem, et orationibus inducebar tuis, [3] et versibus); sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, quum Roma absis, usquam potius esse. *M.* Ego vero, quum licet plu-

(1) Pavimenta e tessellis vel crustis marmoreis, quorum magno studio Romani tenebantur, ut non solum domi, sed etiam in villis haberent. C. etiam Caesar in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulit. Tvrn. — *Et laqueata.* Tectum est duplex, interius et exterius; h. l. interius significatur, quod in cubiculis, conclavibus, item in templis oppositum est pavimento et solo, graece ὀροφή. Vid. notae nostrae ad Selecta princ. Historr. p. 356. *Lacunar* dicitur contracte *laquear*, quod est eiusmodi tectum e tignis vel trabibus ex intervallo iuxta se invicem dispositis, quae intervalla dicebantur *lacus* et *lacunae*, atque varie ornabantur vel pingendo, vel inaurando, vel velis ductilibus tegendo, omnino diversis modis ad mirificam magnificentiam instruebantur. Vid. Ennius apud Cic. Tusc. lib. I, c. 35, Seneca, epist. 90; Suetonius in Vit. Neron. c. 31. Ex huiusmodi laquearibus noctu in conviviis pendebant lychni. Vid. Virg. Aen. lib. I, v. 726: alia etiam videantur apud Ern. in Clavi Ciceroniana. W.

(2) Luxuriam quorumdam, ut Luculli, Hortensii, Philippi, notat et incessit, qui in villas aquaeductus maximis impensis perduxerant. Nili autem et Euripi erant aquaeductus et alvei operis sumptuosi, qui aquam fluviorum in morem deductam conciperent: quodque fluviorum et freti angusti, quale Euboicum erat, similitudinem haberent, ideo delicati illi splendidis nominibus Nilos et Euripos vocarant. Tvrn.

(3) Cicero videtur scripsisse *narrationibus*. Sed ut *oratio*, quod supra monuimus, a nostro haud raro usurpatur pro *ratio*, quod hic locum vix habet; ita *orationem* etiam poni pro expositione quacumque eorum, quae mente concepimus, haud difficile foret probatu, nisi vel Lexica exemplorum farraginem suppeditarent. Quare non erat quod de *orationibus*, in quibus Cicero patriae regionis asperitatem memoraverit, ex deperditis iudicandis loqueretur Goerenzius. De

Digitized by Google

res dies abesse, praesertim hoc tempore anni, [1] et amoenitatem hanc et salubritatem sequor; raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. [2] *Att.* Quae tandem ista causa est? *M.* Quia, si verum dicimus, [3] haec est mea et huius fratris mei germana patria: [4] hinc enim orti stirpe antiquissima sumus; hic sacra, [5] hic genus, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, latius aedificatam patris nostri studio: qui quum esset infirma valitudine, hic fere aetatem egit in literis. Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret, et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, [6] Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse. [7]

asperitate Arpini loquitur Cicero ad Atticum Epist. II, 11, extr. Mn. — *Et versibus.* Vt Mario poëmate tuo. Tvrn.

(1) Tempore scil. aestivo.

(2) Admodum placet Handii suspicio, coniicientis: *sed nimirum me... quae te non attingit. Arr. Itane? quae tandem ista* (H. scripsit *illa*) *causa est?* coll. Or. pro Cluent. 65, 182. Mn.

(3) *Si verum dicimus.* Municipes pro germanis Romanis non habebantur: itaque Sallustius Ciceronem *irreptitium civem* appellat, accitum et paullo ante insitum urbi. Et de Aruspicum responsis sic scribit Cicero, cap. 8: *Quia quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem civitatis.* Et in Antonium: *Videte quam despiciamur omnes qui sumus e municipiis, id est, omnes plane: quotus enim quisque non est?* Tvrn.

(4) *Germana.* Vera, in qua geniti sumus: nam Roma communis patria est municipum. Ita municipibus patria est duplex, germana et communis. Tvrn.

(5) *Hic sacra.* Nam familiae sua privata sacra habebant. Cicero pro Domo, c. 13: *Quid sacra Clodiae gentis, cur intereunt, quod in te est?* Tvrn.

(6) *Vlixem* hic significat, cuius nomen etiam in Ms. Cassel. additur, nempe e glossa.

(7) Cicero de Orat. l. I, c. 44: *Cuius rei tanta vis ac natura est, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam sapientissimus vir*

II. *Att.* Ego vero istam tibi iustam causam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. [1] Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus; studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. *M.* Gaudeo igitur, me incunabula paene mea tibi ostendisse. [2] *Att.* Equidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum (idem [3]

*immortalitati anteponeret.* Hom. Odyss. A, 56: Αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι Θέλγε, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἰέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται. *Mollibus at semper dictis et lenibus ambit Demulcens, Ithaces sit ut immemor: ille sed usque Vel modo de patria salientem cernere terra Vt fumum possit, exoptat morte pacisci.* Tvan.

(1) Cicero de Finibus, lib. V, c. 1: *Natarane nobis hoc,* inquit, *datum dicam, an errore quodam, ut quum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros accoeperimus multum esse versatos, magis moveamur quam si eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus? velut ego nunc moveor,* et deinceps quae sequuntur. Tvan.

(2) *Incunabula.* Per metaphoram dicuntur origines familiae et gentis; proprie est lectulus, culcita, pulvinar, in quibus ponitur infans, ipsae fasciae, quibus involvitur; at *cunae* sunt ipsae vas ligneum, sive alterius materiae, cui lectus cum infante imponitur. Ma.

(3) *Id enim* corrigendum putat Goerenzius. Non male. Sed tamen vulgatum defendi potest hoc sensu: *idem* (nempe *germanam patriam*) audio te saepius etiam *dicere Arpinum esse,* non solum hanc villam Arpinatem. Scu. — Sed quum *germanam patriam* sequatur, non antecedat, in parenthesi ad ea verba respicere, vel potius prospicere, ratio grammatica vetat. Hoc vult Noster: Fundum Arpinatem esse quasi partem Arpini municipii, de quo cap. 1 ita loquitur: « hic sacra, hic genus (i. e. in hoc municipio habeo gentilitatem;

Digitized by Google

ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram? numquid duas habetis patrias? an est una illa patria [1] communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. [2] *M.* Ego mehercule et illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturae, alteram civitatis; ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita*que*, quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Vt vestri Attici, postquam Theseus eos demigrare ex agris, et in Astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et suae φρατρίας erant iidem et Attici: [3] sic nos et eam

quare cave corrigas *hinc*), hic maiorum multa vestigia. 1 Ergo fundum Arpinatem ipsum, ut Arpini partem, Arpinum dicere solebat. Quare, si quid mutandum, ego malim: *quem item ego te accipio dicere Arpinum.* Mn. — *Hunc locum.* Sensus est: quum ais hanc villam, quae in agro Arpinati est, patriam esse tuam; scilicet municipium Arpinum, cuius est hic ager, tuam patriam fateris. Atqui non Arpinum patria est tibi, sed Roma. Tvrn.

(1) Melius sic Goerenz. e compluribus Mss. et edd. vett. Vulgo *illa una patria.* — Excidit particula *non*; legendum *annon est illa una patria communis?* Significat ipsam urbem Romam, quasi dicat: *an vero est illa Roma non una omnium patria communis?* Wytt. — Optime quod ad sensum. Sed *an* poni pro *aut*, ἤ, quum respondeat praecedenti *numquid*, nuperrime monuit Beierus ad Cic. de Off. I, 15, 46, p. 117. Neque vero hic v. d. cum Goer. et Heusingero facit, illo Officiorum et nostro loco *an* dici pro *an non*, sed *an non*, ut necessarium in Off. l. c. cum Ern. scripsit. Codd. nostri eam firmant lectionem, quam nos exhibuimus, nisi quod in cod. Cr. deest *est*. Lectionem *una illa* pro *illa una* reperimus etiam in edd. Paris. et Comm. habentque septem codd. Goerenzii cum nostris Cr. W. et H. *An* habent veteres nostrae edd. omnes praeter Paris. et Commel. *Vna illa* est etiam in Copp. Vict. b. Mn.

(2) Hic est Cato maior, cuius unus superest liber de Re rustica, quem Cicero inducit loquentem in libro de Senectute, cuiusque vitam et a Corn. Nepote et a Plutarcho conscriptam habemus. Hic natus in municipio Tusculo Romam venit, munera cepit, eamque quasi alteram patriam nactus est. Mn.

(3) In Mss. et edd. vett. corrupte vel *et symphrantidem*, vel *et symphrantidus*, vel *simpha antidem*, vel *sui phrantidem*, aut similiter vitiose legebatur. Inde Victorius edidit *et Sunii iidem* quod Turnebus, Grute-

patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam praestare, [1] *quae reipublicae nomine universa civitas est*, pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua omnia ponere, et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus nunquam negabo. [2]

III. *Att.* Recte igitur Magnus ille noster, me audiente, posuit in iudicio, quum pro Balbo [3] tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas

rus aliique propagaverunt. Sed iam Vrsinus monuit pro *Suuii* potius scribendum fuisse *Suuienses* (graece Σουϊτῖς); idemque malebat *Symphratores* legi. Davisio in mentem venit *et sui vici erant iidem et Attici*. Goerenzius reposuit *et simul* φράτορες *iidem et Attici*. Mihi vero propius ad vestigia corruptae in codd. scripturae accedere videbatur *et suae* φρατρίας *iidem erant et Attici*.

(1) Vulgo hic inseruntur ista: *qua rei publicae nomen universae civitatis est*, quae interpolata esse iam Goerenzius censuit, nec genuina esse mihi umquam persuaderi potest. — *Quae reipublicae nomine universa civitas est*. Sic scripsimus ex emendatione Wyttenbachii, qui in scholis addit: Eamdem sententiam expressit Cic. de Offic. I, 17, praecipue § 57, 58: *Sed quum omnia rationi animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum*. Vbi cf. Beier. pag. 136. Goerenzius ab emendando manus abstinuit, quum infinita paene corrigendi facultas praebeatur, nulla vero coniectura satisfaciat: cuiusmodi sunt: *quae reipublicae nomine universae est: quae reip. romanae universae civitas est*. Igitur ea verba in glossemate posuit, Schützius plane eiecit. Quod probat Handius in censura editionis Goerenzianae. Ern. se nullam, quae satisfaceret, correctionem reperisse fatetur. Wagnerus Lambini correctionem in notis, nihil monens, amplexus est; in contextu nolens, ut videtur, vulgatam reliquit. Mr. — Verba a Schützio eiecta in contextum reduxi, emendata tamen ex Wyttembachii sententia, Mosero quoque probata: ac profecto sine his hiulcus quodammodo locus iste auribus meis accidit. Aldinas autem formas adhibui, quae verbis dubiis repraesentandis, aliisve huiuscemodi usibus apte inserviunt. Typ.

(2) Vulgo adduntur haec: *dum illa sit maior et haec in ea contineatur*, ineptum profecto glossema, quod recte Goerenzius eiecit.

(3) Sic P. Manut. e cod. Maffei. Vulgo *Avidio*; codd. a Goerenzio collati *Ambio*; unde coniicere quis possit *Ampio*. Sed lectionem *Balbo* confirmat Cic. orat. pro *Balbo* c. 4, ub

Digitized by Google

huic municipio gratias agere posse, [1] quod ex eo duo sui conservatores exstitissent: ut iam videar adduci, hanc quoque, quae te procreavit, esse patriam. [2] *Q.* Sed ventum in insulam est. [3] Hac vero nihil est amoenius. Vt enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, [4] et tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, [5] loci! Quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem, et, quasi in patriciam familiam venerit, [6] amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. [7] Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id

Pompeium Magnum secum pro *Balbo* dixisse ait.

(1) Arpino habendam esse gratiam, quod ex eo exstitissent duo reipublicae romanae conservatores, alter Caius Marius, qui Cimbros et Teutones devicit; alter M. T. Cicero, qui rempublicam ex Catilinae coniuratione liberavit. Ma.

(2) Sic Goer. 3 codd. Brux. Vien. Gud. 2. Vulgo *quae te procreavit, esse patriam tuam.*

(3) Verba *Sed ventum*, etc. in cod. Cr. Marco adscribuntur, quem verbis *Est vero ita* excipit Atticus. Non multo melius ab Ern. et Sch. haec Quinto tribuuntur, quia videlicet Ern. supra cap. 1, § 2, servavit *primum* pro *potissimum*. Ma.

(4) *Dilapsus cito in unum confluit. Dilabi* recte dicitur Fibrenus, quia bifariam labitur, id est, insula illa in medio relicta, duplici torrente praefluit. W.

(5) Graecorum more, palaestras in villis Romani Ciceronis aetate habere coeperunt. Varro, lib. II R. R. cap. 1: *Nec putant se habere villam, nisi multis vocabulis retineant graecis: quin vocent particulatim loca*, προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον, ὀρνιθῶνα, περιστεριῶνα, ἑπωροθήκην. Est autem hic palaestra, locus ambulationes habens, ut ubi se iuventus in Graecia exercebat, et luctabatur. Palaestrae erant porticibus circumaedificatae. Tvrn.

(6) Ita meliore verborum ordine Goerenz. e cod. Brux. et Dr. 2. Vulgo *familiam patriciam.* — Qui in adoptionem arrogabatur, familiae prioris nomen relinquebat, et a patris naturalis potestate in adoptivi manum et nomen transibat; idque multo magis si ex obscura familia in nobilem transiret. Tvrn.

(7) Cf. Cellarii Geogr. ant. p. 663 (p. 821 sq) et Vib. Sequestr. p. 139,

possim ; quod in Phaedro Platonis facit Socrates. [1] *M.* Est vero ita : sed tamen huic amoenitati, quemadmodum [2] ex Quinto saepe audio, Thyamis Epirotes [3] tuus ille nihil, opinor, concesserit. *Q.* Est ita, ut dicis: cave enim putes Attici nostri Amaltheo, platanisque illis quidquam esse praeclarius. Sed, si videtur, considamus hic in umbra, atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. *M.* Praeclare exigis, Quinte (at ego effugisse arbitrabar) ; et tibi horum nihil deberi potest. [4] *Q.* Ordire igitur : nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. *A Iove Musarum primordia*, —

sicut in Arateo carmine orsi sumus. *Q.* Quorsum istud ? *M.* Quia nunc itidem ab eodem, et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. [5] *Q.* Optime vero, frater; et fieri sic decet.

IV. *M.* Videamus igitur rursus, priusquam aggrediamur ad leges singulas, vim naturamque legis,

ed. Oberlin. Hodieque Fibreno nomen est *Fiumetto della Posta*, a pago cognomine : Liri, *Garigliano*. Vide ichnographiam Arpini locorumque circumiacentium, quam exhibuit *Lelsall* in libro menstruo *the classical Journal*, Nr. XLVI, ad p. 270. Ca.

(1) Socrates in Phaedro Platonis, in fontem, qui iuxta Ilissum erat, pede immisso, frigus aquae tactu explorat. Tvrn.

(2) Sic pro *quam* cum P. Manutio et Lambino edidi (sic etiam Moserus. *T.*)

(3) Ita Turnebus emendavit vulg. *Thebanus Epirotes*, quod recte recepit Lambin. Goerenz.; Davis. coniecit *fundus Epirotes tuus Tite nihil* — —

(4) Puto non longe a veritate abesse lectionem quam subieci : *sed tibi nihil horum deberi potest*. locatur enim Cicero ; ut dicat promissorum esse valde memorem fratrem et ea solere exigere, neque pati ut diutius debeantur. Sic etiam secundam Tusculanam clausit : *Cras ergo ad clepsydram* (*sic enim dicimus*) ; *sed tibi hoc video non posse deberi*. Camer.

(5) *Agere* dicit, quia qui leges et rogationes ferebant, cum populo agere dicebantur, ad quas actiones respexit. Quum enim leges ferre instituat, tamquam cum populo agere parat. Tvrn.

ne, quum referenda sint ad eam nobis omnia, [1] labamur interdum errore sermonis, ignoremusque vim sermonis eius, quo iura nobis [2] definienda sint. *Q.* Sane quidem hercle; et est ista recta docendi via. [3] *M.* Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei: [4] ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis, ad iubendum et ad deterrendum idonea. *Q.* Aliquoties iam iste locus a te tactus [5] est: sed ante quam ad populares leges venias, vim istius caelestis legis explana, si placet: ne aestus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermonis morem usitati trahat. [6] *M.* A parvis enim, Quinte, didicimus, SI IN IUS VO-

(1) Vocem *referenda* interpretatur Wytt. accommodanda, dirigenda.

(2) Legendum opinor *vim legis eius qua iura nobis definienda sint.* Sic paullo post: *sed ante quam ad populares leges venias, vim illius caelestis legis explana* —

(3) Vt omnis institutio a definitione proficiscatur. TVRN.

(4) Intelligitur *divina necessitas*, i. e. naturalis vis, ratione praedita, omnium rerum dominans. Vid. Lactant. I, 5, 20 seq. Engelbronnerus qui l. c. p. 25, sine dubio ex memoria laudavit locum nostrum, scribens *iubentis* pro *cogentis*, quia in fine c. scribitur: *apta ad iubendum et ad vetandum.* Ceterum Stoicos de Deo magnifice omnia sensisse et dixisse, ex eorum reliquiis colligere licet et luculenter apparet ex illo eximio uno omnium maximeque sublimi Cleanthis hymno. Ms.

(5) Cod. Vien. et Cassel. cum ed. Crat. *tractatus.*

(6) Vt aestu nonnumquam in mari navigia absorbentur aut etiam de recto cursu auferuntur: inde enim translatum id est. Cicero, de Orat. lib. III, cap. 36: *Repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit.* Id est igitur: ne consuetudo nos fallat popularium legum. TVRN.

CAT, [1] atque eiusmodi alias leges nominare. Sed vero intelligi sic oportet, et hoc, et alia iussa ac vetita populorum, vim non habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius caelum atque terras tuentis et regentis dei. Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere: nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum [2] rem gessisse tantam, fortitudinis lege atque imperio, putabimus; nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, [3] et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans: quae non tum denique incipit lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est. Orta autem simul est [4] cum mente

(1) Goerenzius lectionem tenuit SI IN IVS VOCAT ATQVE EAT, *eiusmodi*, quam iam Victorius et Lambinus ediderunt, probante etiam Davisio; nimirum ut ATQVE significet i. q. statim. Gell. N. A. X, 29. — *A parvis.... Quinte.* Nam pueri olim Romae duodecim tabulas discebant. Infra: *Discebamus enim pueri Duodecim ut carmen necessarium, quas iam nemo discit.* TVRN.

(2) *Illam* Victor. probante Davisio. Et sic codd. nonnulli; quod tamen vulgatae haud praeferendum esse vidit Goerenz. — *Fortitudinis lege*, ita graece ἀνδρίας νόμῳ.

(3) *Rerum natura.* Naturam omnium auctorem et parentem esse existimant. Ergo hic naturam vocat summi numinis rationem cui parent sola terrarum, cui reliqui obediunt caelites, et in quem, ut supra dixi de Chrysippi sententia et Cleanthis, consumuntur in exustione pereuntes. T.

(4) Vulgo additur *est*, quod ignorant codd. Brux. Vien. alii post *orta*, alii ante *simul* ponunt. Itaque recte delevit Goer. — Goer. et Sch. quum abesse vidissent voculam istam in duobus codd. Mss., plane abiecerunt eam. In quo vereor, ut aures usu Ciceroniano tritos potius, quam memoriam, quae illius voculae omissae exempla suppeditabat, consuluerint.

Digitized by Google

divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Iovis.

V. *Q.* Assentior, frater, ut, quod est rectum, verum [1] quoque sit, neque cum literis, quibus scita scribuntur, aut oriatur aut occidat. *M.* Ergo ut illa divina mens, summa lex est; item, quum in homine est, perfecta [2] est in mente sapientis. Quae sunt autem varie, et ad tempus descripta populis, favore magis, [3] quam re, [4] legum nomen tenent. Omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit,

Ad sententiam explicandam Wytt. haec: » Hoc non ita accipiendum est, ac si mens divina et summus Deus aliquando orti fuisse existimentur: sed dicitur per metaphoram, hanc legem *aeque aeternam* non magis ab initio ortam esse, quam ipsum Iovem. Hic enim solus ab omni aeternitate fuit, et ad omnem aeternitatem erit, mundumque creavit, qui est civitas deorum et hominum. Hoc est Stoicorum placitum. « Ca.

(1) Sine causa idonea Davisius malebat *aeternum*. Recte enim monuit Goerenzius *verum* referri ad id quod Marcus paullo ante dixerat *lex vera... ratio est recta summi Iovis*. — *Rectum* et bonum refertur ad actiones: *verum* refertur ad cogitationes. Igitur *rectum*, i. e. iuris, iusti, aequi, officii fontes positi sunt in vero, et eiusdem sunt necessitatis et aeternitatis. *Honestum*, tamquam genus, continet tres partes, verum, pulchrum, bonum: et huic omnia, quatenus appetenda aut fugienda sunt, subiiciuntur. Ma.

(2) Sic Davis. Ern. Goerenz. e Mss. Vulgo *perfectum*. — Lectionem vulgatam retineo. Nihil enim verius esse videtur, quam eum hominem sapientem esse, in quo homine perfecta lex absolutaque est, quae eadem est sapientia habenda. Bavt. — Schefferus ait: *Sententia haec est: Sicut summa lex est in mente divina, ita eadem est in mente sapientis summa perfectaque, quando est in homine.* Verb. cum Grutero edidit: *item, quum in homine est perfectum, est in mente sapientis.* Rathius, Sturmii distinctionem (quam apud eum solum reperiri existimat) probans, ita sensum explicat: *Summa haec lex, si in homine non inchoata ponitur, sed perfecta, in mente sapientis est.* Idem Aldum exhibere ait: *item quod in homine est perfectum, est in mente sapientis.* Wagn. nostram lectionem ita explicat: » i. e. eodem modo, quum in homine lex est, ea perfecta reperitur in mente sapientis. Cf. supra lib. I, c. 6. « Quam ego explicationem verissimam puto. Ma.

(3) *Favore*. Suffragio et assensu, et opinione hominum. Tvan.

(4) Davis. conj. *quam iure*. Sed *re* est i. q. *re vera*.

esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. [1] Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam et beatam, inventas esse leges; eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque, honeste beateque viverent: quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciosa et iniusta populis iussa [2] descripserint, quum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando [3] inesse vim et sententiam iusti et iuris legendi. [4] Quaero igitur a te, Quinte, sicut illi solent: Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? *Q.* Ac maximis quidem. *M.* Lege autem carens civitas, anne ob id ipsum [5] habenda nullo loco? [6] *Q.* Dici aliter

(1) *Docent*, Philosophi, ut Stoici. Hic disputat legem numerandam in rebus bonis, quod proprium est virtutis; nam solam virtutem in rebus bonis numerant Stoici: ut quum saepenumero populorum leges a virtute recedant, in legibus habendae non sint. Tvrn.

(2) *Iussa* Ernestio videbatur e glossa insertum.

(3) Ernestio displicebat *interpretando*; ut id abesse mallet. Defendit tamen Goerenzius hoc sensu: *si nomen recte interpreteris*.

(4) «*Iuris legendi*. Si notationem verbi sequamur, intelligemus sententiam inesse iuris legendi, id est, deligendi, ut in lege delectus, quemadmodum dixit libro primo, insit. *Sententiam* dicit, sensum, argumentum, potestatem, significationem. Iustum more graeco dixit τὸ δίκαιον, ut et Terent. Phorm. II, 1, 50, *tua iusta*, pro *tua iura*. Tvrn. — *Et iuris legendi*. Cannegieter. de Notis, p. 334: » Supra lib. I, cap. 6, Legem dixit Noster dictam videri a *legendo*, quod in ea insit *vis delectus*. Interpretor itaque *ius legendum* eligendum. » Ca.

(5) Lambinus sequentibus aliis inseruit *id*, quod tamen abest Mss. Itaque Goerenzius delevit. Hoc loco tamen servandum illud videtur, ut paullo ante *ob eam ipsam causam*.

(6) *Habenda nullo loco?* Idem est, quod modo dictum erat; pro *nihilo*

non potest. *M.* Necesse est igitur, legem haberi in rebus optimis. *Q.* Prorsus assentior. *M.* Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua consessu suo sanxerint? Nam neque medicorum praecepta dici vere possint,[1] si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam[2] si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex, iustorum iniustorumque distinctio,[3] ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam,[4] ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. *Q.* Praeclare intelligo: nec vero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. *M.* Igitur tu Titias et Apuleias[5] leges nullas putas? *Q.* Ego vero ne Livias[6] quidem. *M.* Et recte, quae praesertim uno versiculo senatus,[7] puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cuius vim explicavi, neque tolli, neque abrogari po-

*habenda.* Est graecismus μηδαμοῦ εἶναι, *nusquam esse*, pro nihili esse, contemni, nihil numerari. W.

(1) Ita recte Goerenz. pro vulg. *possent* e cod. Vien. et Oxon. E.

(2) In his verbis Ern. voc. *etiam*, Goerenzius totum illud *etiam si perniciosum — acceperit* uncis inclusit. Sed hac ratione *cuicuimodi fuerit illa* nimis infinite dictum esset. Itaque mihi potius totum illud *neque in populo lex — acceperit* adiectum esse videtur ab aliquo, qui putaret illi *neque* ante *medicorum* respondere debere alterum membrum a *neque* incipiens.

(3) Sc. *et hominum et factorum*. Est enim in legis nomine significatio eligendi. Vid. supra cap. 5, et lib. I, c. 6. Ma.

(4) *Expressa.* Omnes humanae leges, si vere nomine legis appellandae sunt, debent esse expressae ex lege naturae: veluti nummi legitimi debent esse expressi ex archetypo seu forma et sigillo publice constituto. W

(5) Sex. Titii trib. pl. A. V. 654 et L. Apuleii Saturnini trib. pl. A. V. 658.

(6) Livii Drusi tr. pl. A. V. 662.

(7) Scil. formula *viderent coss. ne quid res publica detrimenti caperet.*

test. *Q.* Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae numquam abrogentur. *M.* Certe, si modo acceptae a vobis duobus erunt.

Sed, ut vir doctissimus fecit Plato, atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit, idemque separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciendum, ut priusquam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam. Quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse *video*; quamquam [1] quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis conscripserunt. [2] Quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. *Q.* Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus? [3] *M.* At Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia melior multo, nominat: [4] commemorant vero ipsius cives, nostri clientes, Locri. Sed sive fuit, sive non fuit, nihil ad rem. Loquimur, quod traditum est.

(1) Hoc e cod. Brux. recepit Goerenz. Vulgo *quum quidem*.

(2) *Conscripserunt* e compluribus codd. Mss. dederunt Davis. et Goer. Vulgo *scripserunt*.

(3) Timaeus historicus acerbissimus in omnes conviciator fuit. Aristotelem omni genere contumeliae vexavit, eoque progressus vesaniae est maledicendo, ut pro Timaeo, a reprehendendo, Epitimaeus diceretur. Is acriter Theophrastum reprehenderat, quod Locrorum legislatorem Zaleucum fuisse scripsisset: quem nullum omnino fuisse contendebat. Cicero, lib. VI ad Att. epist. 1: *Quis Zaleucum leges Locris conscripsisse non dixit? Num igitur iacet Theophrastus, si id a Timaeo tuo familiari reprehensum est?* Sed Theophrasti sententiam et auctoritatem Cicero pluris quam Timaei facit. Tvrn.

(4) Ita h. l. corrigendum censui, vulgo sic editum: *At Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia; meliorem multi nominant: commemorant*, etc. Lipsius Varr. Lectt. II, 11 corrigebat: *At.... melior eum multis nominat.* Davis. *At.... melior; eum et multi nominant.* Goerenzius: *ait... sententia... meliorem multi nominant.* — Corruptum hunc locum pronuntiare omnes, quotquot vidi, commentatores, miror vehementer; ellipsi vulgatissima sic expono: umquam extitisse Zaleucum negat Timaeus, at

VII. Sit igitur hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine, [1] eosdemque optime de genere hominum mereri, et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, [2] qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt [3] ab utili, et a vera sententia. [3] Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in caelo mundoque non putet? [4] aut ut ea, quae vix summa ingenii ratione [5] comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruen-

Theophrastus, auctor Timaeo non postponendus, me quidem iudice, immo vero ex sententia multorum etiam melior, commemorat eum fuisse, commemorant denique Zaleuci cives. Sin hoc displiceat, per geminationem refer: *commemorat: commemorant vero ipsius cives*, etc. Cgnrc.

(1) Recte Goerenzius revocavit lectionem omnium codd. Mss. Vulgo inde a Turnebo *geri vi, ditione ac numine*, vel *geri ditione ac numine*.

(2) *Quid admittat* dicit, facinora, scelera, et maleficia intelligens, quae admitti et committi dicuntur. Tvrn.

(3) Davis. et Ern. receperunt e cod. nonnullis *ab utili ac vera sententia*. Goerenzius vero reduxit lectionem, quam meliores Mss. tuentur. — Recte eiectam praepositionem reduxerunt Goer. et Sch. Mn.

(4) Probat Deum esse argumento Stoicorum. Nam si in homine inest ratio, multo magis in mundo: ratio autem illa et mens Deus est, eamque mentem Posidonius Stoicus per omnes mundi partes pervadere et pertinere existimabat. Tvrn.

(5) Nescio quid sibi velit *ingenii ratio*. Lego *summa ingenii contentione*. Dav. — *Summa ingenii ratione*. Wagnerus haec ita explicat: i. e. quae cogitandi vis ingenio a natura insita et arte ac meditatione subacta sit; laudatque Minuc. Fel. Octav. p. 130 (c. 17, § 8, p. 52, ed. Cellar.): « intelligi sine summa sollertia et ratione non possunt », quem ex Cicerone hausisse existimat. Rathius correxit: *summa ingenia... comprehendant*, ex Plaut. ut ait, ubi Capt. I, 2, 62, est: *ut saepe summa ingenia in occulto latent!* Quasi vero Plauto ad tale inventum opus sit! Ceterum mihi non magis, quam Davisio, probatur lectio vulgata, et pro *ratione* malim vel *acie*, vel *intentione*.

dum, non gratum esse cogant; hunc hominem omnino numerari [1] qui decet? Quumque omnia, quae rationem habent, praestent iis, quae sunt rationis expertia, nefasque sit dicere, ullam rem praestare naturae omnium rerum; rationem inesse in ea confitendum est. Vtiles esse autem opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones; quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?

VIII. Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. *Q.* Habeo vero, frater; et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus, aliisque sententiis versaris, atque ille. Nihil enim tam dissimile, [2] quam vel ea, quae ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Vnum illud mihi videris imitari, orationis genus. *M.* Vellem fortasse: quis enim id potest, aut umquam poterit imitari? [3] nam sententias interpretari perfacile est. Quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus. [4] Quid enim negotii est, eadem,

Quae sequuntur: *comprehendat, nulla ratione* omittuntur in codd. Cr. et W. oculo scriptoris aberrante. Ma.

(1) Ita Goerenz post Davisium e codd. Brux. Vien. Gud. 2. aliis. Vulgo *numerare*.

(2) Vulgo additur *est*, quod quum multis codd. absit, Goerenzius delevit. — Atqui primum Platonis prooemium non quidem universis legibus, sed legi nuptiali praemittitur, lib. IV, p. 62, neque hoc dissimile est huic exordio Ciceronis. Similius etiam est Platonis exordium de cultu et religione, lib. IX, p. 664, unde apparet, Quintum fratrem haec uberius quam verius, dicere. Wyt. — Eodem, ut h. l. modo loquutus est Noster in Brut. 56, 204: *Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio.* Ma.

(3) Eloquentiam Platonis summis laudibus extulere Veteres. Hinc εὐφωνότατος τῶν ἐμῶν dicitur Maximo Tyrio, Diss. 1. Dav.

(4) Huic opponitur *alienum esse*, i. e. non suum et proprium sibi, sed alterius imitatorem: hinc imitatores dicuntur servi ab Horatio: *O imitato-*

prope verbis iisdem conversa, dicere? *Q.* Prorsus assentior. Verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. *M.* Expromam equidem, ut potero: et, quoniam et locus, et sermo familiaris est, legum leges voce proponam. [1] *Q.* Quidnam id est? *M.* Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus XII, sacratisque legibus; [2] et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae; nam esset infinitum: sed ipsae summae re-

*ris, servum pecus!* Epp. I, 19, 19. Mn.

(1) *Legum leges voce proponam.* Goerenzio *legis* scribenti pro *leges* merito non obsequutus est Sch. Cur enim alibi semper *leges* scribamus, ut ipse v. c. fecit Goer. huius libri § 44, illam autem formam hoc tantum loco, neque aliis, recipiamus? Equidem certe, si libri addicerent, ne ordinem quidem verborum ita contortum relinquerem, qui Ciceronem non sapit; rescriberem potius *leges legum voce*, vel *legum voce leges*. Libri variant. Mn.

(2) Schefferus ad h. l. ita: » Alii hic aliter coniiciunt. Cuiacius *veteribus XII*. Gulielmus, *veteribus ex XII*. Puto ego scribendum esse, *in veteribus SCtis, sacratisque legibus*. Vetera senatusconsulta intelligit facta primis consulum temporibus. Illud *S* in senatusconsultis deletum videtur propter *S* praecedens in priore vocabulo.« Quam coniecturam Goer. merito ingeniosam appellat. Wytt. in scholis haec: » *in veteribus XII*, disiungendum commate a proximis; nam *duodecim* per se dicuntur, subaudiendo *Tabulis*. Sacratae autem leges dicuntur omnes leges, quibus sanctio addita est. Vid. Fest. p. 469 (p. 232 ed. Scalig.).« Goerenzius de veritate lectionis dubitat, in primis quia leges sacratae postponantur, quae plusquam XL annos ante istas XII Tabularum scriptae sint. Mavult (cum Turnebo): *veteribus regiis sacratisque legibus*, improbante Handio loc. citat. Beierus quoque ad Cicer. de Offic. III, 41, 111, p. 394, iisdem, quibus Goerenz rationibus motus coniecit: *in veteribus illis sacratisque legibus*, ut *que* adiungat explicationem. Sed vide ipsum plura disputantem. Equidem fateor, me ipsum mirari, quomodo XII Tabulae, quae librariis non poterant esse incognitae, ita plane obliterari potuerint, si a Cicerone profectus est numerus, ut in nullo codice vestigium eius scriptionis appareat. Quamquam numerus XII facile haberi potuit pro verbis *ex iis*. Sed defendi etiam posse videtur lectio nunc recepta contra Goerenzii rationes, si vel cum Gernhardo ad Cic. de Off. l. c. dicas, ideo praepositas esse

rum atque sententiae. *Q.* Ita vero necesse est: quare audiamus. [1]

IX. « *M.* Ad divos adeunto caste; pietatem adhibento; opeis amovento. Qui secus faxit, deus ipse vindex erit. Separatim nemo habessit deos; neve novos, sive advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto. Constructa a patribus delubra in urbibus habento. [2] Lucos in agris habento, et Larum sedes. Ritus familiae patrumque servanto. Divos, et eos, qui caelestes semper habiti, colunto, et ollos, quos endo caelo [3] merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum: ast olla, [4] propter quae datur homini adscensus in caelum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto; *neve* ulla vitiorum sacra solemnia obeunto. Feriis iurgia amovento, easque in famulis, [5] operibus patratis, habento.

XII Tabulas sacratis legibus, quod latius pateat XII Tabularum vis: vel ut *sacratisque legibus* positum dicas pro *adeoque sacratis legibus*, vel pro *et sacratio etiam legibus*; quo facto commode essent antiquiores leges secundo loco positae. Mn.

(1) Olim hic addebatur *verba legis*, expulsum a recentioribus; deest in scriptis plurimis, et in editt. nonnullis vett. Typ.

(2) *Constructa a patribus*. Nefarium censet, quod quidam populi, ut Persae, existimaverunt esse verissimum et religiosissimum, Deos, quorum mundus templum esset, delubris non esse includendos. Itaque templa a patribus constructa haberi praecipit. Tvrn. — *Lucos*. Silvae erant fere in conspectu villae fundique incaeduae Diis consecratae, quas ferro temerare nefas erat. Tvrn.

(3) *Endo* pro *in* veteres usurpabant: sic *endoitium* pro *initio*, et *endoplorato* pro *imploranto*, et *endo procinctu* pro *in procinctu* dicebant. Tvrn.

(4) Merito non audivit Ernestum Goer. iubentem scribere *atque*, quia *ast* non habeat coniungendi vim; quum tamen plane ita ponatur in lege regia: *sei puer parenteis verberit, ast oloe plorasint*, etc. Mn. — *Earumque laudum*, ait Wytt. antique dictum est pro *earumque virtutum*. Cf Cic. de N. D. II, 31, 79, in primis II, 23, 61 p. 297 sq. Cn.

(5) *Easque in famulis*. Familiam servorum feriari sinant absolutis operibus rusticis: ut Compitalibus, quum rem divinam in compito aut foco fa-

Itaque ut ita cadat in annuis amfractibus,[1] descriptum esto. Certasque fruges,[2] certasque baccas sacerdotes publice libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itemque alios ad dies ubertatem lactis feturaeque servanto;[3] idque ne committi possit, ad eam rem, rationem,[4] cursus annuos sacerdotes finiunto: quaeque quoique divo decorae grataeque sint hostiae,

ci ebant: ut Saturnalibus: ut quum daps pollucebatur utraque semente: ut aliis denique feriis: nefas enim est tum familiam operosam habere. *Habet eas in famulis*, qui famulis indulget ferias. Simile est dicendi genus *lessum funeris ergo habere*. Tvrn.

(1) In anni curriculis et fastis. Sic in VI de Rep. *Nam quum aetas tua septenos octies solis amfractus reditusque converterit*, id est, annos. Tvrn.

(2) *Certasque fruges.* Antiqui certis frugibus in sacrificiis utebantur, ut fere adoreo farre, ex quo libum persaepe, struem aut molam conficiebant: quae etiam tamquam προθύματα in quibusdam sacris erant. Adde quod Plinius scribit, Hist. Nat. XVIII, 2: *Numam instituisse Deos fruge colere et mola salsa supplicare, atque far torrere, quoniam tostum cibo salubri esset: idque uno modo consequutum, statuendo non esse aptum ad rem divinam, nisi tostum: et eum Fornacalia instituisse farris torrendi ferias.* Quin Iovi prodigiali mola salsa ex farre et thure solum litabatur. Sed et Veteres quum perceperant fruges, antequam eis vescerentur, Diis libare instituerant. Tibullus etiam scribit, lib. I, Eleg. I, 17: *Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante Deum. Flava Ceres tibi sit nostro de rure corona Spicea, quae templi pendeat ante fores.* Sacris etiam quibusdam puls fritilla adhibebatur et fabata: sed et faba refriva. Tvrn.

(3) Legendum est cum Davisio: *itemque alios dies ad ubertatem lactis feturaeque servanto*, i. e. alios festos dies observent, quibus libent diis primitias feturae et lactis. Est autem fetura proventus ex partu pecudum. W.

(4) Probanda videtur Goer. ratio in ed. mai. suspicantis, scribendum esse *eam rerum rationem* (neque vero *earum rerum*, ut dixit Schützius). Vnice animum explet Wyttenbachii lectio et explicatio, qui ita ad hunc locum: « *Sacerdotes finiunto annuos cursus ratione*, i. e. pontifices describant ac distribuant annum in suas partes, menses, dies, ratione, i. e. *computatione*. » Idem etiam ad marg. ed. Goer. min. adnotavit: *ratione* legendum, i. e. computo. Codd. Mss. nihil variant, sc[illegible]d. In edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Ald. Car. Steph. Brut. Lamb. Gothofr. Lip. est *rem et rationem*. Vnus Sturm. omisit *rem*, una Comm. habet *ratione*; in edd. Paris. Verb. Ern. Wagn. Dav. Goer. et Sch. servata est librorum Mss. lectio: quod asyndeton stare posse salvo sensu salvaque ratione grammatica nemo mihi facile persuadebit, quamquam in proxime subsequentibus facile ferrem lectionem Victorianam *decorae, gratae sint* pro *decorae gra-*

providento. Divisque aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. [1] Virginesque Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum. [2] Quoque haec privatim et publice modo rituque fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem duo genera sunto: [3] unum, quod praesit caerimoniis et sacris; alterum, quod interpretetur fatidicorum et vatum effata incognita, quorum [4] senatus populusque adsciverit. Interpretes autem Iovis optimi maximi, publici augures, signis et auspiciis postea vidento, disciplinam tenento. [5] Sacerdotes-

*taeque sint.* Pro *finiunto* legitur *sumpto* in cod. M. Mn.

(1) *Divisque aliis sacerdotes.* Nam Pontifex omnibus religionibus ac caerimoniis publicis privatisque, nec non sacris ac rebus omnino divinis praeest. Flamen autem unius dei est sacerdos, ut Dialis, Vulcanalis, Quirinalis. Erant praeterea alii sacerdotes nec Flamines, nec Pontifices, ut Salii, et alii. Sed et sacerdotes erant illis diis, quibus suus flamen. Tacitus, Ann. I, 10: *Quum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet.* Ordo autem is erat sacerdotum, ut omnium maximus rex esset, deinde Dialis, post hunc Martialis, mox Quirinalis, quinto loco Pontifex Max. qui iudex et arbiter habebatur rerum divinarum et humanarum. T.

(2) *Ignem foci.* Focus domiciliorum sacer est Vestae, et in eo res divina Laribus plerumque fiebat. Eodem modo civitatem suum habere focum voluerunt, in quo perpetuus ignis a virginibus servaretur. Infra: *Quumque Vesta quasi focum urbis, ut graeco nomine est appellata, quod nos prope idem graecum interpretatum nomen habemus, complexa sit.* Sex autem erant Vestales, quarum una dicebatur maxima, quae et aetate et dignitate praestabat. Valerius lib. I, cap. I, 7: *Maximae vero virginis Aemiliae disciplinam, exstincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestae numen praestitit.* Suetonius in Iulio, cap. 83: *Demandaverat virgini Vestali maximae.* Tvrn.

(3) Goer. e cod. Gud. 2 vestigiis suspicatur legendum esse. *Eorum autem genera sunto tria* Tertium nimirum genus est *augurum*, quod sequitur. — *Eorum autem duo genera sunto.* Alii sacerdotes placandis diis praesunt, ut Pontifices: alii praedictionibus interpretandis, quas *effata* vocat, ut Decemviri, qui, quoties senatus decreverat, libros Sibyllinos adibant, et Sibyllae effata interpretabantur. Sunt etiam *effata*, novissimae preces Augurum, quas post fines auspiciorum effabantur. Tvrn.

(4) *Quorum* (scil. *effata*) recepit Goerenz. e codd. suis, quinque Davisianis et al. Vulgo *quum senatus.*

(5) Wytt. ad h. l. ita: » *Interpretes*, etc. Hi sunt augures, interpretes non

Digitized by Google

que vineta, virgetaque, et salutem populi auguranto; quique agent rem duelli, quique popularem, auspicium praemonento, ollique obtemperanto; di-

Apollinis et oraculorum, sed signorum et alitum a Iove O. M. missorum: hi signis et auspiciis vidento *postera* i. e. *res futuras*: ita enim Cic. scripsit, ut docent Lambinus et Davisius, non, ut editur, *postea*.» «Sed, ait Goer. augures non tam *postera* curabant, quam modo agendis prospiciebant.» Hoc vero est argutari: cur enim in hoc sermone, quae *agenda* sunt, dici non possint *postera*? Rathius adoptat *postera*: «sed, addit, aliud superesse videtur, quod consideres velim. Iubentur augures signis et auspiciis *postera* videre. Hoc si eorum munus fuit, sumitur, eos eam artem calluisse. Inepte itaque additum videri possit istud *disciplinam tenento* (sed v. Wytt. horum verborum interpretationem, quam subiecimus· Mr.). Vnde corrigo: *publici augures signis et auspiciis postera videndi disciplinam tenento*.» Quod certe magis placet Goerenzii ratione, qui mavult *posita*, i. e. τεθέντα, ad agendum proposita, quod prisce scriptum fuerit *posta*, unde factum sit *postea*. Neque vero probavit *posita*, sive umquam hoc sensu esse dictum, sive ita dictum intelligi posse. Verba *disciplinam tenento* Wytt. ita explicat: «debet esse certa ars et scientia, prodita e libris auguralibus, a Numa sancitis.» Neque vero praeterennda nobis est ingeniosa F. C. Frenzelii coniectura, qui in Bibl. Crit. Seebodii, 1824—6, in hanc sententiam de loco nostro disputat: «Non satisfaciunt interpretum coniecturae. Legendum videtur: *Augures signis et auspiciis populi salutem vidento, disciplinam tenento: Sacerdotesque vineta virgetaque auguranto*. Scriptum fuit fortasse compendio PO.SA. quod compendium quum librarius aliquis non intelligeret, correxit POSTEA. Illa ipsa autem verba *salutem populi* plane sunt supervacanea post *vineta virgetaque*. Fortasse aliquis illud scribendi compendium (*po. sa.*) in margine verbis *salutem populi* explicaverat, quam veram interpretationem ineptus quidam librarius alieno loco in verborum seriem recepit». Libri nihil variant, nisi quod in cod. M. omnium, quos vidi, corruptissimo, scribitur *pulpiti* pro *publici*. Mr. — *Sacerdotes*: Sententia est, sacerdotes augurio capto divos exorent, ut novelleta et virgulta, vitesque fauste succrescant, a deisque salutem augurio precibusque populo impetrent. Sic Cato in lib. de Re Rustica, c. 141: *Mars pater, te precor, ut tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque, prohibessis, defendas, averruncesque: utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas*. Virgetorum nomine arbores et frutices significantur, ut apud Maronem nomine virgultorum, Georg. II, 2: *Nunc te, Bacche, canam, necnon silvestria tecum Virgulta*. Salutis autem augurium erat huiusmodi, ut si deus annueret, populo salutem peterent. Perinde ac si nefas esset, vel salutem petere, nisi explorata per auguria numinis voluntate. Meminit in historiis Dio. Suetonius in Augusto, cap. 31: *Nonnulla etiam ex antiquis caerimoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale*

vorumque iras providento, iisque apparento; caelique fulgura [1] regionibus ratis temperanto; urbemque, et agros, et templa liberata et effata habento; quae-

*flaminium*. Festus: *Quia augurum decretum est, quod in Salutis augurio praetores maiores et minores appellantur: non ad aetatem, sed ad vim imperii pertinere.* Cicero, de Div. I, 47: *Tibi P. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato Salutis augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore.* Tvrn. — *Auspicium pr.* Eos ante vere docebat Augures vel pullarii, qualia sint auspicia. Nam apud Livium, X, 40, a. V. C. 459: *Pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit.* Satis autem erat ad rem gerendam *silentium* esse: nam aliud est sinistrum auspicium, aliud silentium. Sinistrum auspicium hortatur ad agendum, silentium vitio caret, et ad agendum non impedit. Silentioque surgere dicebatur, qui quo minus rem gereret non impediebatur auspicio. Cicero, de Divin. lib. II, cap. 34: *Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit intelligat: id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere perfecti auguris est.* Sacerdotes autem dixit, quia non per augures tantum, sed etiam per alios sacerdotes interdum ista administrabantur. Tvrn. — *Apparento.* Id est, parento, ut nihil geratur deo irato. Sic supra *aseiverit* pro *sciverit*, more prisco. Interdum per exta voluntatem deorum ante res gerendas explorabant, idque res consulere et impetrare vocabant. Cicero, de Divin. I, 2: *Quamque magna vis videretur esse et impetrandis consulendisque rebus, et in Monstris interpretandis et procurandis.* Atque id *impetritum* appellabant. Tvrn.

(2) Tuscorum literae in sedecim partes caelum divisere, ex quibus octo ab exortu sinistras dixere; totidem e regione, dextras: ab illis prospera, ab his infausta fulgura mittuntur. Ad augures autem, de quibus hic agitur, id etiam pertinet. Cicero, lib. III de Leg. cap. 19, de augure: *Caelique partes sibi definitas esse traditas.* In templis etiam augurum partes sunt quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. In fulguribus autem ea aruspices et augures considerabant, quae Lucretius attigit his versibus, lib. IV, 86: *Vnde volans ignis pervenerit, aut in utram se Verterit hinc partem, quo pacto per loca septa Insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se.* Tvrn. — *Temperanto.* Distinguunto. Tvrn. — *Vrbemque, et agros.* Vrbana auspicia definiuntur pomoerio: et ex arce in urbe saepe augures augurium agebant. Idem quinque agrorum genera ex auspiciis distinguebant, Romanum, Gabinum, Peregrinum, Hosticum, Incertum. Vrbem igitur et agros eis ad auspicandum dat: praeterea templa effata tribuit. Templa autem quemadmodum auspicandi causa finire solebant, ita Varro scribit L. L. lib. VI, p. 67: *In aree enim sic, Tesca a me ita: sunto, quoad ego ea velim, quam nuncupavero: olla terra, arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tectum quavis esto in sinistrum.* Deinde subiicit, *In hoc templo*

Digitized by Google

que augur iniusta, nefasta, [1] vitiosa, dira defixerit, irrita et infecta sunto: [2] quique non paruerit, capital esto. Foederum, pacis, belli, induciarum oratores, fetiales, iudicesve sunto: [3] bella disceptanto. Prodigia, portenta [4] ad Etruscos aruspices, si sena-

*faciundo arbores constitui fines apparet, et intra eas regiones, qua oculi conspiciant.* Tvrn. — *Templa liberata et effata.* Templa regiones sunt aut agri, certo carmine ab augure lituo finiti et notati, unde in omnes caeli partes ad augurium captandum liber erat aspectus. *Liberata*, inquit Festus, *antiqui pro effata, id est, locuta, dixere.* Hic tantum pro liberis et parentibus accipi potest. Festus Pompeius item *minora templa esse*, ait, *quam ab auguribus loca aliqua tabulis, aut linteis, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita sunt.* In templis autem liber quoquoversum aspectus erat, ut interdum augures ea quorum altitudo auspiciis obesset, demoliri iuberent. Ideoque summissiorem aliis aedem Honoris C. Marius fecit, ne si forte officeret publicis auspiciis, augures eam demoliri cogerent. De effatis sic Varro L. L. lib. V, c. 7: *Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum caelestium extra urbem agri sunt effati.* Tvrn.

(1) *Iniusta.* Non iure nec rite facta. — *Nefasta.* Inauspicata: a nefastis diebus qui erant non solum contrarii fastis, verum etiam religiosi et omine aliquo infames. In quo tamen reprehendit consuetudinem Gellius. — *Vitiosa.* Quae contra auspicia, in quo vitium ponitur. Cicero, de Divin. I, 16: *Classes magnas perdiderunt quod vitio navigassent.* Vitio autem *silentium* opponitur in auspiciis. — *Dira.* Detestanda, abominanda; a dirarum obnuntiatione ducto verbo, quibus nihil magis horrebant. Tvrn. — *Defixerit.* Verbum male ominosum dirumque, quod, ut opinor, a sagis quibusdam ductum est, carmine et veneficio, vel nomina hominum, vel speciem defigentibus ad noxam. Ovidius, Amor. lib. III, Eleg. VII, 29: *Sagaque Phoenicea defixit nomina cera Et medium tenues in iecur urget acus.* Seneca, de Beneficiis, lib. VI, cap. 35: *Exsecraris enim illum, et caput sanctum dira imprecatione defigis.* Plinius, H. N. XXVIII, 2: *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* Tvrn.

(2) Libri scripti hic *infesta* non *infecta* habent. Infestum autem hic est non festum, infaustum, dirum; ut incestum, non castum. Itaque *infestum* quam *infectum* malim. Tvrn.— *Irrita et infecta sunto.* Sic Schutz. In aliis, *irrita infectaque sunto.* T.

(3) Sic Goerenz. e cod. Brux. Vulgo *iudices duo sunto.* — *Oratores, fetiales, iudicesve sunto.* Hanc recepi ex uno Goerenzii libro lectionem, cum Goerenz. et Schützio, non quod animum plane expleat, sed quia proxime ad librorum scriptionem accedit et ferri potest. Mr.

(4) Particulam *et* addunt etiam codd. Cr. W. M. Copp. Vict. b. ed. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Paris. Ald. Sturm. Brut. Car. Stephan. Lambin. Gothofr. Comm. Omiserunt eam post Davis. nonnisi Goerenz. et Sch. Ceterum scribitur in cod. M. *ad carusos et aru-*

tus iussit, [1] deferunto: Etruriaeque principes disciplinam docento. Quibus divis creverint, [2] procuranto: iidemque fulgura atque obstita pianto. [3] Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, [4] quae pro populo rite fient: neve initianto, [5] nisi, ut assolet Cereri, graeco sacro. [6] Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto: [7] quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto. Ludis publicis, [8] quod sine curriculo et sine certatione

*spices*, in Copp. Victt. b. *ad Aetruscos et aruspices*. Mn.

(1) Ita Goerenz. cum multis codd. Mss. Vulgo *iusserit*.

(2) Id est, decreverint, constituerint. Varro de Ling. Latina, lib. VI, p. 81: *Apud Plautum, Quum ego antea te amavi, et mihi amicam esse crevi; valet constitui. Itaque haeres, quum constituit se haeredem esse, dicitur cernere, et quum id fecerit, crevisse. Apud eumdem, Ita omnibus relictis mihi frequentem operam dedistis: valet assiduam. Itaque qui adest, adsiduus: ferre quem oportet, is frequens appellari solet. Itaque illud eadem mulierculae dicunt, Isto quidem nos pretio Facile est tibi frequentare utilesque habere, Ita lepide ac nitide in prandio accepisti: Apparet dicere, facile est tibi curare ut adsimus, quum tam bene nos accipias.* Haec omnia adscripsi ut Varroni lacero et mutilo hic opem ferrem; in quo ex Cistellaria sic locum hunc restituendum existimo. Tvrn. — *Procuranto*. Sacrificium quod fit ad depulsionem et expiationem monstrorum et portentorum, procuratio dicitur: et ea gratia rem divinam facere est monstra procurare. T.

(3) *Fulgura*. Sic Aruns Etruscus apud Lucanum, lib. I, v. 606, fulmen colligit et componit, locumque consecrat, quod bidental dicitur: .... *Aruns*, inquit, *dispersos fulminis ignes Colligit, et terrae moesto cum murmure condit, Datque locis numen.* — *Obstita. Obstitum* Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt violatum tactumque de caelo, quae significatio hic convenit. Cincius eum qui deo deaeque obstiterit, id est, qui viderit quod videri nefas est. Est et *obstitum* obliquum et mendosum. Lucretius, IV, 549: *Omnia mendose fieri atque obstita necesse est.* Tvrn.

(4) Praeter sacrificium Bonae Deae quod noctu pro populo fiebat. Tvrn.

(5) Sic Goer. e Mss. Vulgo *fiant, neve quem initianto*.

(6) « Graeca sacra, inquit Festus, Cereris festa sunt ex Graecia translata, quae ob inventionem Proserpinae matronae colebant. » Tvrn. — *Sacrum commissum*. Peccatur in sacra diesque festos, prudenter vel imprudenter. Prudentia impia est nec expiari potest: contemptum enim habet religionis et scelus. Imprudentia expiatur. Tvrn.

(7) Bene sic Goerenz. Vulgo *commissum est*.

(8) *Ludis publicis*. Id est, in ludis publicis, theatralibus. Ludos autem

Digitized by Google

corporum fiat, popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto, eamque cum divum honore iungunto. Ex patriis ritibus optuma colunto. Praeter Idaeae matris famulos, eosque iustis diebus, ne quis stipem cogito. [1] Sacrum, sacrove commendatum qui cleperit, rapsitque, parricida esto. Periurii poena divina, exitium; [2] humana, dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. [3] Caute vota red-

publicos more romano circo et cavea dividit: qua in re, extra curricula circensia et pugilationem luctationemque, quae circi sunt, approbat: in theatralibus et scenicis ludicris, quae sunt caveae, moderationem adhibendam musicae censet, ne illius corruptela animi effeminentur et depraventur. Sic Graeci dividunt ludos in gymnicos et musicos. In gymnicis est luctatio et pugilatio et curricula: in musicis comoedia et tragoedia et alia. Legem autem hanc a Platone sumpsit. Tvrn. — *Quod sine curriculo et sine certatione corp. fiat.* Quatenus in illis non cursu et pugilatu certatur. Ma.

(1) *Praeter Idææ matris famulos, eosque iustis* etc. Sic appellabatur Mater magna ab Ida monte. Lucret. II, 611: *Idaeam vocitant matrem, Phrygiasque catervas Dant comites.* Stipem lex summovet, quoniam superstitione animos implet et exhaurit domos. Olim namque Isidis sacerdotes, aliique divinatione quadam et caerimonia non exiguum aes colligebant, et pravam religionem inducebant, quod genus homines Aeruscatores fere vocabant. In huiusmodi homines Plato X de Legibus animadvertit. Idaeam autem matrem ex Pessinunte advectam Nasica hospitio excepit. Megalensibus eius famuli Galli stipem cogebant. Huius stipis sic Varro meminit, L. L. lib. IV, pag. 42: *Id apparet, quod ut alias, tum institutum etiam nunc, diis cum thesauris asses dant, stipem dicunt.* Lucretius eadem de re, II, 626: *Aere atque argento sternunt iter, omnia circum Largifica stipe ditantes.* Tertullianus in Apol. c. 42: *Certe, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt. Stipes quotus quisque iam iactat? Non sufficimus et hominibus, et diis vestris mendicantibus opem ferre.* Ovidius, Fast. IV, 350: *Dic, inquam, parva cur stipe quaerat opus? Contulit aes populus, de quo delubra Metellus Fecit, ait: dandae mos stipis inde manet.* Tvrn.

(2) Periuri et exitium a diis immortalibus exspectare debent, et infamiam et ignominiam a magistratibus et civibus. Gellius lib. VII, c. 18, refert eos qui neglecto iureiurando, quo obligati erant, ad Annibalem reversi non fuerant, infames ignominiososque vulgo fuisse, denique a censoribus omnium notarum damnis et ignominiis affectos. Sancte enim et inviolate iusiurandum Romani colebant. Et olim qui iuratus falsum testimonium dixerat, de saxo Tarpeio deiiciebatur. Tvrn.

(3) Diis dona ferantur, ita tamen,

dunto. Poena violati iuris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato.[1] Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. Sacra privata, perpetua manento. Deorum manium iura, sancta sunto.[2] Sos[3] leto datos, divos habento: sumptum in ollos luctumque minuunto. »

X. *Att.* Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi: et, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. *M.* An censes, quum in illis de republica[4] libris persuadere videatur Africanus, omnium rerumpublicarum nostram, veterem illam, fuisse optimam, non necesse esse optimae reipublicae leges dare consentaneas? *Att.* Immo

ne impius ea det, nec putet, se per ea deorum vindictam effugere. Et si quis diis aliquid vovit, id caute solvat, i. e. diligenter et iuste, nec alterius cuiusquam ius violet, nec iustam aliorum possessionem diis consecret. Conferenda est explicatio legum c. 46 et 47. W.

(1) Agri consecrati sunt aut sacri, ut quae hodie vocamus praedia ecclesiastica et sacra. Clodius domum Ciceronis consecravit. L. Ninnius omnia bona P. Clodii consecravit: imperatores saepe agros captos consecrarunt, etiam urbes, ut Carthaginem Africanus. Interdum Cereri caput cum bonis sacrabatur. Lex Papiria vetuit ne cuius aedes iniussu populi consecrarentur. Nunc ne agri consecrentur cavet Cicero, a Platone sumpta lege. Tvrn.

(2) Augustinus, de Civitate Dei, lib. IX, cap. 11, Platonicos ait, *animos hominum daemonas esse arbitrari, et ex hominibus fieri Lares, si meriti sunt boni: Lemures seu Larvas, si mali: Manes autem deos dici, quum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum.* Hic tamen deos Manes, animos humanos corpore liberatos appellat, ut sepulchris inscribebatur D. M. Nam Veterum opinio mortuorum animos consecravit, eisque parentavit denicalibus feriis, quas nunc lex et sepulturae iura sancit. T.

(3) Sic recte Goer. antiqua forma pro *suos*. Vulgo vel *nos* vel *hos*. — *Hos leto datos, divos habento.* Manes, sive animas defunctorum familiarium, consanguineorum, eorum, qui veluti in mari perierunt, quibusque adeo iusta a familia praesentibus fieri non potuerunt, quorumque ossa terra obtegi ab iis nequiverunt, divos tamen habento, atque in larario ponunto, colunto. Canneg.

(4) Hanc usitatiorem scripturam sequi malo, quam *re publica*, disiunctis vocibus, cum Schutzio, quem interdum pene invitus sequutus sum, ne Operis labor adaugeretur. Typ.

Digitized by Google

prorsus ita censeo. *M.* Ergo adeo expectate leges, quae genus illud optimum reipublicae contineant: et, si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra republica, nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum; qui tum, ut lex, valebat. *Att.* Suade igitur,[1] si placet, istam ipsam legem, ut ego VTEI ROGAS possim dicere. *M.* Ain' tandem, Attice, non es dicturus aliter? *Att.* Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter.[2] In minoribus, si voles, remittam hoc tibi. *Q.* Atque haec mea quidem sententia est.[3] *M.* At ne longum fiat, videte.[4] *Att.* Vtinam quidem! quid enim agere malumus?

*M.* Caste iubet lex adire ad deos: animo videlicet,[5] in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori praestet, observeturque, ut casta corpora adhibeantur,[6] multo esse in animis id servan-

(1) *Suade igitur*, etc. Tota reliqua pars libri est *suasio* harum legum et *explicatio*. Nam magistratus, qui legem esset laturus, eam per trinundinum in publico proponebat, ut quivis eam cognoscere posset: tum concionem habebat, in qua hanc legem suaderet oratione: oratione finita *rogabat* concionem, an hanc legem *sciscere* vellent, id est, assumere, sancire. Si eam assumerent, respondebant: *uti rogas*. W.

(2) Vox *aliter* utrobique ponitur pro *alia conditione*, sc. *quam si suaserim* (*suaseris*) *legem*. Mr. — *Remittam hoc tibi*. Id est, non exigam a te, ut illa formula rogandi utaris, et ego tibi ea formula *uti rogas* respondere debeam. W.

(3) Fortasse legendum *atque haec mea quoque sententia est*: vel *atque haec eadem mea sententia est*.

(4) Hoc idem est ac: *vereor ne vobis disputatio mea longitudine molesta sit*.

(5) Optime Tertullianus de Orat. cap. 13: *Quae ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire? quando et ipsis manibus spiritales munditiae sint necessariae, ut a falso, a caede, a veneficiis, ab idololatria ceterisque maculis, quae spiritu conceptae manuum opera transiguntur, purae alleventur. Hae sunt verae munditiae, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes*. Dav.

(6) Ita Davis. Ern. Goerenz. e melioribus codd. In aliis scriptis et editis *ut casto corpore adeatur*.

dum magis. Nam illud incestum[1] vel aspersione aquae,[2] vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate evanescere, nec amnibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri iubet, significat, probitatem[3] gratam esse deo, sumptum esse removendum. Quid est enim, quum paupertatem divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam, sumptu ad sacra addito, deorum aditu arceamus? praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non homo iudex,[4] sed deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur. Suosque[5] deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, et ignotas caerimonias

(1) Vulgo legebatur: *nam illud vel* .... Car. Steph. et Victor. *Nam incestum*, et sic Ern. Goerenzius vulgatam tenuit, ita tamen, ut si *incestum* legas, praemittendum esse moneat *illud*. Recte. *Illud incestum* est i. q. *illa corporis impuritas*.

(2) Huc illud Persii pertinet, Sat. II, 16: *Et noctem flumine purgas*. Et Tranquilli in Augusto, cap. 94: *Paulloque post egressum, illum expergefactum quasi a concubitu mariti purificasse se*. Antiqui autem superis sacra facturi, ablutione corporis se purgabant: inferis vero, aspersione. Quin ut castius operarentur, aliquot ante diebus secubabant: et si ante libidine polluti erant, aliquot dierum castimonia, corporis labem elui credebant. Etiam tricenarias interdum caerimonias, ut supra dixi, interdum vicenarias observabant, et se cibis quibusdam abstinebant. Tvrn.

(3) Recte hanc lectionem revocavit Goerenz. Davisius, Ven. 1471 et Victor. repetiit *pietatem*. — Ern. ad Davisii partes se applicavit. Mr.

(4) Sic Davis. e codd. Balliol. et Pall. Vulgo aberat *homo*; idque Ernestius quoque et Goerenz. omiserunt. — Non potui, quin cum Davisio et Schützio facerem, qui merito ἀντίθεσιν concinniorem existimarunt addito vocabulo *homo*, cuius vestigium servat cod. M. in quo est *non habet iudex*, quamque habent duo Goerenzii, quamquam recentiores; ita tamen, ut, si quis illam vocem cum Ernesto non plane necessariam iudicet, non admodum adverser. Ceterum etiam Wyttenbachio placuit additum in ed. Goer. min. vocabulum *homo*. Mr.

(5) *Suos*, i. e. privatim cultos, opponitur diis publice colendis. — Offenditur Wagnerus voce *suos*, quia nihil habeat, ad quod referatur. Sed

sacerdotibus. [1] Nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi. [2]

XI. Patrum [3] delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerses inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus. Melius Graeci atque nostri: qui, ut augerent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, urbes incolere voluerunt. Affert enim haec opinio religionem utilem ciuitatibus: si quidem et illud bene dictum est a Pythagora, [4] doctissimo

recte monet Goer. *suis* semper opponi *rebus publicis*. Mn.

(1) Vulgo male: *caerimonias non a sacerdotibus*. Davisius emendabat *ignotas caerimonias nostris sacerdotibus*. Et sic Ern. Lectionem a nobis receptam dedit Goerenz. e cod. Brux. et Cassel. (eamque palmariam iudicavit Handius. *T.*)

(2) *Paruerint ipsi*. Sc. patres, nec novos, nec alienigenas deos coluerint, sed ex receptis hunc istumve peculiariter coli in familia sua constituerint. Ita locum hunc intelligo, non ut enm explicavit Turnebus. Scheff. — *Paruerint*. Sc. cives legem meam probarint. Tvrn.

(3) Lambin. malebat *deorum*. Fortasse legendum *eorum*.

(4) *A Pythagora*. Hanc Pythagorae sententiam Plutarchus in libello de Superstitione sic refert: *Omninoque Pythagorae sententiam ineptam ostendit, censentis tum demum nos optimos esse quum rebus diuinis operam duremus*. Et in libro de Defectu oraculorum: *Vt mollis omnibus Pythagoras convincatur, qui pietatem in hominibus maxime versari dixit, quum ad deos accederent*. Seneca: *Pythagoras ait alium animum fieri intrantibus templum, deorumque simulacra ex vicino cernentibus, et alicuius oraculi operientibus vocem. — Et quod Thales*. Ad Pythagorae sententiam consimilem laudat Aristotelis locum Senec. Qu. Nat. VII, 30, § 4: *Egregie Aristoteles ait, numquam nos verecundiores esse debere, quam quum de diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, quum de sideribus, de stellis, de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid imprudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur*. Ad *Thales* Ern. haec: Intellige *dixit* e superioribus *a Pythagora dictum est*. Cuius generis et alia exempla sunt. Hoc melius est, quam quod Davisio placet, mox legendum esse *existimarit*, ut id ad *Thales* referatur: nam deberet esse *existimauit*. Mn.

viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus; et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia quae cernerentur, deorum esse plena; [1] fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosis. [2] Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eamdemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est tum dominis, tum famulis, posita in fundi villaeque conspectu, religio Larium, repudianda est. Iam ritus familiae patrumque servare, id est (quoniam antiquitas proxime accedit ad deos) a diis quasi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, [3] et ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immorta-

(1) Sic Gruterus h. l. constituit, ac ita dat Car. Stephani vetus, nisi quod ille paullo melius *omnia quae cernerent*. Plerique vero Mss. *homines existimare oportere omnia cernere deorum esse plena*. Vnde probabili coniectura Goerenzius legendum putat *Homines oportere omnia, cernere, deorum esse plena*. Davisio in mentem venit corrigere: *quod Thales... homines existimavit oportere omnia credere d. e. p.* in quo *existimavit* in aliquot codd. Mss. reperit. — Nos quoque servavimus cum Ern. Wagn. Goer. et Sch. Gruteri lectionem, quamquam eam non plane probemus. Librorum nostrorum lectiones valde variant. Ma. — Editio Caroli Steph. 1554 aliaeque vett. habent: *existimare oportere, deos omnia cernere, deorum omnia esse plena*. Typ.

(2) Turnebi coniectura, *velutique in fanis essent, maxime religiosos*, non placet: nam hoc *maxime religiosos* ad homines relatum duriusculum est, quum religiosi dicantur fere a Latinis ἔνορκοι, hoc est, qui iusiurandum servant. *Fanis religiosis* autem usitate et eleganter dictum est: nam fana, delubra, templa, *loca religiosa* dicuntur a Latinis, quae hominibus religionem afferunt; seu, quae homines, qui ea adeunt, religionis implent; seu quae sua vi religionem quamdam continent, ut qui ea adeunt, non possint non religiose in eis versari. Lamb.

(3) Romulus sacra Herculis ab Evandro instituta suscepit, et Herculi ritu graeco sacra fieri voluit, *fautor immortalitatis virtute partae, ad quam eum sua fata ducebant*, ut ait Livius, I, 7. Athenienses autem, ut Aristides scribit tom. II, p. 120, primi omnium Herculem colere consecrareque coeperunt. Tvrn.

Digitized by Google

les esse, sed fortium bonorumque divinos. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecratur: [1] quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt, ut, illas qui habeant [2] (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. [3] Nam illud vitiosum Athenis, quod, Cylonio scelere expiato, [4] Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae. Virtutes enim, non vitia consecrare decet. Araque quae vetustissima est in Palatio, Febris: et altera Esquiliis, Malae Fortunae, de-

(1) Vulgo *consecratur manu*; quod sane posset referri ad ritum templorum consecrandorum, quo is, qui consecraret, postem forium manu tenebat. At enim in his verbis non de ipso consecrationis actu, sed de lege supra a Cicerone proposita agitur. Itaque assentior Davisio qui *manu* delendum censuit. — Frigida videntur quae in medium proferunt, qui *manu* vindicare student. Vnam *M* positam fuisse suspicor; denotat autem litera haec et *manum* et *memoriam*. Praeferam ergo *memoria*, vel *in memoria*: sacrosancta habetur in memoria hominum. Cn.

(2) Sic auctore Davisio rescripsi pro vulg. *ut illa qui habeant*, ne ambiguitatem pariat enallage generis.

(3) Hic excidisse videntur ista, quae Lactantius lib. I, cap. 20 divinar. Institutt. ex Cicerone affert: *Magnum audaxque consilium suscepit Graecia, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecravit.* Addit enim post alia quaedam interiecta: *Et ideo huic sententiae tamquam Graecos prudentia vinceret adiecit:* »*Virtutes enim oportere non vitia consecrari*« quae ipsa Ciceronis verba hic proxime sequuntur.

(4) Historiam ita scribit Thucydides, lib. I: *Cylon quidam Atheniensis fuit Olympionices, vetusta nobilitate, magnaque potentia. Ipsi Delphis oraculum consulenti respondit Deus, uti maximis Iovis feriis Athenarum arcem occuparet. Is postquam Olympia quae in Peloponneso celebrantur advenere, arcem invasit. Quod ubi cognitum est, Athenienses ex agris populariter in eum ad opem urbi ferendam concurrerunt, ac sedentes iuxta obsederunt. Ceterum qui cum Cylone obsessi erant, et ab annona et ab aqua misere conflictabantur. Cylon igitur eiusque frater clam fugam faciunt: reliqui ad aram, quae in arce erat, supplices considunt: quos sedibus extractos Atheniensium custodes, ut in aede iamiamque animam acturos viderunt, ne quid sceleris admitterent, extra abductos obtruncarunt; sed et quosdam, qui ad Eumenidum aras consederant, in transitu iugularunt. Inde piaculares deaeque sacri ipsi posterique eorum vocati sunt. Igitur et Athenienses illos exegerunt, et Lacedaemonius postea Cleomenes cum Atheniensibus per seditionem; vivosque non solum pepulere, sed et sublata mortuorum ossa abiecere.* Ceterum Epime-

testataque omnia eiusmodi repudianda sunt. [1] Quod si fingenda nomina, Vicepotae potius, atque Statae, cognominaque [2] Statoris, et Invicti Iovis; rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriae: quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes consecrata est: Fortunaque sit vel Huiusce diei, nam valet in omnes dies; vel Respiciens, ad opem ferendam; vel Fors, in quo incerti casus significantur magis; vel Primigenia a gignendo, Comes; tum .....

nides Athenas scelere Cylonio expiavit XLIV Olympiade. Huius rei meminit primo Leg. Plato, pag. 572: *Sic etenim forte inaudisti, Epimenidem, qui ex nostra familia fuit, virum fuisse divinum, eum vero decem ante res Persicas annis, ad vos profectum, ex Dei oraculo sacra quaedam obiisse.* Tvan.

(1) Sic h. l. constituit Goerenzius juvantibus codd. Mss. Nonnulli, ut Davisius receperunt hanc lectionem: *Araque vetus stat in Palatio Febris, et altera Esquiliis Malae Fortunae, detestataeque: quae omnia eiusmodi repudianda sunt.* Ipse tamen Davisius in annotationibus [illegible] malebat: *Malae Fortunae. Detestataque omnia*, etc. Muretus legi volebat: *Araque quae vetus stat in Palatio .... detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt.*

(2) Vulgo sic edebatur: *Quod si fingenda nomina, Vicepotae potius vincendi atque potiundi statassandique cognomina*: quod I. Gronovius ita corrigendum censuit: *si fingenda nomina, Vicae potae potius vincendi atque potiundi. Statae standi, cognominaque Statoris*; isque hactenus verum vidit, nisi quod Goerenz. monuit verba illa *vincendi, potiundi*, et *standi* e glossa accessisse, ideoque ea uncis inclusit. Ad *Statam* quod attinet, Gron. locum excitavit e Festo: *Statae matris simulacrum in foro colebatur, postquam id collustravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quosque vicos retulerunt eius deae cultum.* Scu. — *Quod si fingenda nomina, Vicae potae potius (vincendi) atque (potiundi) Statae (standi): cognominaque Statoris, et Invicti Iovis*, etc. Ita, servatis librorum Mss. vestigiis, scribendum duximus cum Goerenzio, quamquam vocabula parenthesibus inclusa cum eodem interpolatorum esse credimus, quae Schützius plane ex orationis serie eiecit. Inierat hanc rationem Goer. iam in ed. min. eamque Wyttenbachius probavit, ita in Scholis dicens: » Sententia haec, librariorum interpolatione obscurior reddita, sic est interpretanda: Quod si fingenda sunt nomina Fortunae, Fingantur potius nomina *Fortunae Vicepotae* a vincendo et potiundo, item *Fortunae Statae* a standO, prouti est cognomen Iovis Statoris et Iovis Invicti. « Mr.

(3) *Fortunaque sit vel Huiusce diei*, subintelligendum, *recte conse-*

Digitized by Goog

XII. ..... Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et iurgiorum; in servis, operum et laborum: quas compositio [1] anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. [2] Quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur, fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est: [3] quod,

*crata est*: sive sit Fortuna, cui cognomen est *Huiusce diei*, sive *Respiciens*, sive *Fors*: nam erat Romae Fortuna Fors, unde proverbium est *forte fortuna hoc accidit*. Haec Fortuna Fors significabat incertos casus magis, quam aliquam partem vitae humanae Fortuna gubernatam. Erat etiam *Fortuna Primigenia* a gignendo, item *Fortuna Comes*. De muneribus ac frequentibus templis et honoribus huius numinis apud Romanos Plutarchus disseruit in libro de Fortuna romana, p. 318 et seqq. W. — Fortunae *Huius diei* aedem Catulus vovit Cimbrico bello, quo die cum Cimbris pugnavit. Vniverse de cultu *Fortunae* apud Romanos disseruit et in primis de *Forte Fortuna* et de *Fortuna Primigenia* agit de Rhoer. in Otio Daventriensi, cap. 17, p. 418-430. Schefferus ad h. l. haec adnotavit: » potest Fortuna coli sub cognomento *Huiusce diei*, idque propterea, quia hoc cognomentum valet non in certum tantum diem aliquem, sed in omnes dies. Vnoquovis enim die coli poterit Fortuna eius diei, sic ut qualibet die, postquam advenerit et facta fuerit hodierna, dicatur coli *Fortuna huiusce diei*. Hunc puto loci huius esse sensum verissimum. « Mosen.

(1) Cod. Victor. et Palat. 4 *compositor*, idque auctore Victorio receperunt Labin. Grut. Davis. Ern. Sed Goerenzius lectionem plurimorum codd. *compositio* idoneis argumentis defendit.

(2) In componendo anno debet ratio haberi feriarum, ut rustici et servi habeant interdum aliquid otii, sed ita, ne res rustica inde incommodum capiat, nec opera rustica possint absolvi. Ern.

(3) Sensus: diligenter observanda ratio intercalandi. Quare? quo servari possit tempus destinatum sacrificiis, servari quoque possint libamenta, in sacrificiis adhibenda, fetusque pecorum in iisdem. Puto enim praeceptum fuisse, ut sacrificarent fruges novas; at intercalandi imperitia tempus illi rei destinatum incidisse in hiemem aut primum ver. Qui potuit institui id sacrificium ex eius solennitate? Schepp. — Recte monuit Rathius, esse h. l. accusativum absolutum, ac si dicatur: *Quod ad tempus attinet, diligenter habenda ratio intercalandi est, ut sacrificiorum libamenta serventur.* Ma. — *Quod tempus.* Diligenter habenda ratio intercalandi anni. Intercalatio etenim in sacris ad duo confert: tum ut feriae anniversario et suo tempore redeant, tum ut libamenta, quae feriis quibusque offerenda sunt, suo tempore habeantur. Nam per imperitiam intercalandi, et libidinem pontificum aestivae interdum feriae, hiemales

institutum perite a Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est.[1] Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus,[2] cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes, et respondendi iuris, et confitendarum religionum facultatem afferunt.[3] Quumque Vesta quasi focum urbis, ut graeco nomine est appellata (quod nos prope idem graecum[4] nomen tenemus) complexa sit; ei colendae virgines praesint, ut advigiletur

fiebant: et hybernae, aestivae: nec tum propria reperiri libamenta poterant. Tvrn.

(1) *Pontificum negligentia.* Lenius agit Cicero quam reliqui scriptores, qui delictum non *negligentiae*, sed fraudi tribuunt. Censorinus, cap. 20: *Quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium, vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt.* Dav.

(2) *Cui maioribus.* Vt Neptuno taurus maior hostia immolatur: Robigo, lactens catellus (*Suovetaurilia* etiam *lactentia* apud Catonem R. R. c. 141, fiunt): Matri Deum, femina ut porca: Libero patri mas, ut hircus. Arnobius, lib. VII, pag. 282: » Quae est enim causa (requiram ut eadem rursus) ut ille tauris Deus, haedis alius honoretur aut ovibus, hic lactentibus porculis, alter intonsis agnis, hic virginibus buculis, capris ille cornutis, hic sterilibus vacculis, ut ille ingentibus scrophis, hic albentibus, ille atris, alter feminei generis, alter vero animantibus masculinis?« Maior hostia lactenti opponitur, quae adolevit, ut homines maiores et minores ab aetate dici solent. Tvrn.

(3) Lego: *et conficiendarum religionum*, id est, quo modo religiones, caerimonias, puta et sacra, conficere oporteat, *facultatem afferunt.* Confer ipsam de his legem in cap. 8 praecedenti. Cannec. — In *conficiendarum* assentientem habet Wyttembachium, alios, quos vide in annott. nostris. Et *iusta confecta* legimus infra II, 25, 64. Scripturam quod attinet, similiter in marmoribus obvium *contio* pro *concio.* Vid. Grut. thes. p. 506, 507. Nec aliter cod. Vatic. de Republica I, 4 init. *in contione*, et contra idem ib. cap. medio *condicionem*, ne plura congeram in re satis vulgata. Cr. — *Quasi focum urbis.* Alii, *quasi focus urbis*; et paullo post, *conspecta sit*, Verburg. *focus... conspecta sit.* Typ.

(4) Vulgo hic addebatur *interpretatum* recte iam a Goerenzio uncis

Digitized by Google

facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres, naturam [1] feminarum omnem castitatem pati.

Quod sequitur vero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine his, qui sacris publice praesint, religioni privatae satisfacere non possint. Continet enim, reipublicae consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere: [2] descriptioque[3] sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris praesint sollemnibus; ad interpretanda alii praedicta vatum; neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset. Maximum autem et praestantissimum in republica ius est augurum, cum auctoritate coniunctum. [4] Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. [5] Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus co-

inclusum. Davisius tria verba *Graecum interpretatum nomen* excludenda esse censuit. Sane si abessent, nemo aliquid requireret.

(1) Ita cum Goerenzio e Lipsii emendatione edidi. Vulgo *in natura.*

(2) *Continet enim.* Dicitur exquisite; i. e. ille locus in tabula legum continet hanc sententiam, significat hoc. W. — Goer. non explicat primum vocabulum, sed de sequentibus dicit *consilium reipublicae* id ipsum esse, quod *auctoritas optimatium*, i. e. senatus, qui reipublicae consulit; *populum* vero cum Wagnero de privatis intelligit. Quae explicationes triumvirorum coniunctae mihi quidem satis placent. Ms.

(3) I. e. distributio, divisio sacerdotum in varia genera.

(4) Car. Steph. *quum est auctoritati coniunctum.* Davis. legere mavult, *summae auct. conj.* T.

(5) Goer. et quem idem habere solet saepe nimis obsequentem, Schützius, ex sex codd. quibus accedit noster cod. M. ediderunt *existimari*, quia, vulgata si vera esset, Cicero scripsisset *existimare nos necesse est.* Sed, si quid aliud, hoc est argutari. Neque Handium l. c. p. 568, Goerenzius adsentientem nactus est, quum *sic* ante *existimare*, ex usu linguae lat. positum, vulgatam defendat. Ms.

mitiatus et concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? [1] Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur ALIO DIE [2] dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? [3] Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius, aut dare, aut non dare? [4] Quid? legem, si non iure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii; ut Livias, consilio Philippi, consulis et auguris: nihil domi, nihil

(1) *Comitiatus.* Vulgo accipitur, quasi idem sit, quod *comitia:* et sic est infra lib. III, cap. 12 et 19. Proprie differunt vi terminationis, ut *comitia* sint conventus populi ad aliquid sciscendum: *comitiatus* autem tota actio comitiorum. Plerumque tamen promiscue dicuntur, veluti sic dixit Messala apud Gellium, l. XIII, cap. 15, ubi vid. Gronov. p. 599. Ma. — *Concilia.* Laelius Felix apud Gellium, XV, 27, sic sit: *Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia, sed concilium edicere debet.* In omnibus autem conciliis et comitiis augur praesto erat magistratui, omniaque ista augurato fiebant. Varro L. L. lib. V, § 9: *Augur consuli adest tum quum exercitus imperatur, ac praeit quid eum oporteat dicere: consul auguri imperare solet, ut inlicium vocet, non accenso aut praeconi.* Sed et impediebat augur rem nuntiatione. Tvan.

(2) Goerenzius quum in cod. Brux: scriptum sit *auguratio*, in Gud. 2 *augulario*, in Cass. *augurato*, vocabulum *die* expunxit; negatque id in hac formula solemni addi solere. At idem additur Philipp. II, 33 (ubi scriptum est: *confitere te, quum* alio die *dixeris, sobrium non fuisse*: ubi immota et sine lectionis varietate stat illa formula. Quod vero vox *die* nostro loco in nullo libro legitur, inde factum puto, quia prima proximi vocabuli syllaba eam absorpsit; verae autem lectionis vestigia optime in Copp. Victt. b. apparent Ma.)

(3) Cicero lib. II de Nat. Deorum de Tiberio Graccho, cap. 4: *Post autem e provincia literas ad collegium misit, se, quum legeret libros, recordatum esse vitio sibi captum tabernaculum fuisse in hortis Scipionis: quod quum pomoerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, quum idem pomoerium transisset, auspicari esset oblitus. Itaque vitio creatos consules esse. Augures rem ad senatum: senatus ut abdicarent coss. Abdicaverunt.* Sic apud Livium tribuni quidam vitio creati magistratu se abdicant. Tvan.

(4) *Agere cum plebe, agere cum populo* dicitur magistratus, qui comitia habet iisque praeest. Cum toto *populo* agitur comitiis *centuriatis*, cum *plebe* comitiis *tributis*. Cf. Dion. Hal. IX, p. 598 Sylb. W.

militiae, [1] per magistratus gestum, sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

XIII. *Att.* Age, iam ista video, fateorque esse magna: sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio; nam eorum ego in libros incidi: quum alteri placeat, auspicia ista ad utilitatem esse reipublicae composita; alteri disciplina vestra quasi divinare videatur prorsus posse. Hac tu de re, quaero, quid sentias. *M.* Egone? divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, esse censeo, et huius hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis disciplinae nostrae; quod, quum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorundem benignitatem hominum consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video cur esse divinationem negem. [2] Sunt autem ea, quae posui; ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. Iam vero permultorum exemplorum et nostra est plena respublica, et omnia regna, omnesque populi, cunctaeque gentes; augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset; neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cili-

(1) Recte *militiae* revocavit Goer. quod est in Mss. compluribus et edd. ante Ernestium, qui quum in aliis codd. falso legeretur *familiae*, rescripsit *foris*.

(2) Argumenta, quibus divinationem h. l. tuetur, magis reipublicae, quam veritatis, causa probat. Similia sunt de Divin. I, 1, 2, 41 et 42, de populis divinationem colentibus item de argumentis ibidem lib. I, cap. 5 et 6, et lib. II, cap. 17. W. — *Ceterisque signis*. Signa observabantur, e caelo, ex avibus, tripudiis, quadrupedibus, et diris. Tvrn.

cum, maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisset. Nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset,[1] neque Attii Navii nomen memoria floreret tam diu, nisi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin haec disciplina et ars augurum evanuerit iam et vetustate, et negligentia. Ita neque[2] illi assentior, qui hanc scientiam negat umquam in nostro collegio fuisse; neque illi, qui esse etiam nunc putat: quae mihi videtur apud maiores fuisse dupliciter,[3] ut ad reipublicae tempus[4] nonnumquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. *Att.* Credo, hercle, ita esse, istique rationi potissimum assentior. Sed redde cetera.

XIV. *M.* Reddam vero, et, si potero,[5] brevi. Sequitur enim de iure belli: in quo et suscipiendo, et gerendo, et deponendo, ius plurimum[6] valet et fides: horumque ut publici interpretes essent, lege sanximus. Iam de haruspicum religione,[7] de expia-

(1) *Auspicato urbem condidisset.* Sc. *auspiciis ante captis.* Cicero de Nat. Deor. loc. cit. de Divinatione I, 2 et 48. Mn.

(2) Sic cod. Gud. 2 et Ball. probante Goerenaio. Vulgo *itaque neque.* — *Itaque neque illi.* Marcellus negabat divinandi scientiam in augurum collegio umquam fuisse: Appius etiam aetate sua esse affirmabat, quum tamen exolevisset et ignoraretur. Tvrn.

(3) *Duplex* codd. nonnulli; quod recepit Davis. Recte autem Ernestius vulgatum defendit.

(4) *Ad reip. tempus*, id est, ad utilitatem reipublicae adhiberetur divinatio, quamquam de eius veritate dubitaretur; ita ut iis, quae decrevissent magistratus, deorum auctoritas ad speciem accederet. *Ad agendi consilium*, id est, ut etiam valeret ad propositum agendi, ad actionem suscipiendam; ita ut de divinationis veritate non dubitaretur. W.

(5) Schutz. *et ipsa si potero*: unde explicaverit pronomen *ipsa* mihi haud liquet; abest utique ab editionibus quas inspexi. *T.*

(6) Ernestius delevit *ut* vulgo ante *plurimum* insertum. Goerenzius tamen idem vindicat, positum scil. existimans cum superlativo pro *quam*; ut Cluent. c. 26 *ut blandissime.*

(7) In impetrandis consulendisque rebus per exta, diisque placandis, in interpretandis prodigiis et monstris procurandis, in obstitis et fulguribus expiandis. Tvrn.

Digitized by Google

tionibus, et procurationibus satis superque in ipsa lege dictum puto. *Att.* Assentior, quoniam omnis haec in religione versatur oratio. *M.* At vero, quod sequitur, quomodo aut tu assentiare, aut ego reprehendam, sane quaero, Tite. *Att.* Quid tandem id est? *M.* De nocturnis sacrificiis mulierum. *Att.* Ego vero assentior; excepto praesertim in ipsa lege solemni sacrificio ac publico. [1] *M.* Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidaeque nostri, [2] et augusta illa mysteria, [3] si quidem sacra nocturna tollimus? Non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. [4] *Att.* Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. *M.* Ego vero excipiam. Nam mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vita [5] hominum attulisse, tum nihil

(1) I. e. mysteriis Bonae Deae. Hanc de sacris nocturnis legem alii regibus tribuerunt, alii decemviris, sive XII Tabulis. Ca.

(2) Eumolpus Eleusinius, Musaei poëtae filius, Orphei discipulus, versificator fuit. Hic initiandi ritum invenit, et de sacris Cereris, et mysteriis conscripsit. Ab eo Eumolpidae, mysteriorum illorum sacerdotes, vocantur. Per Iacchum vero initia intelligit, in quibus etiam Iacchus, id est, Liber colebatur. Tvrn.

(3) Sc. *Eleusinia.*

(4) Antequam Ernesti notam ad h. l. legeram, me ipsum quoque, ut ille, offendisse fateor in epitheto *firmis*, quod alibi cum *populis* coniungi non memineram. *Firmis*, ait Ern. videtur *bene constitutis*, si quidem sine vitio est. Goer. respondet: at *firma civitas* eo saepius dicitur. Hoc procul dubio haud ignorabat Ern. sed nihil id ad hunc locum explicandum firmandumque facere videbat. Leges enim dat Marcus non iis populis, qui habent rempublicam iam constitutam et firmatam, sed fingit, a se in his libris esse leges scribendas populo vel populis bene constituendis. Quid multa? Equidem desidero *bene firmandis*, vel eiusmodi quid. Sed in tanto librorum consensu nihil moveo. Ma.

(5) *In vita hominum.* Hanc codicum omnium scriptionem, quam non sollicitant edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Paris. Ald. Car. Steph. Brut. Sturm. Comm. sed nonnisi Lamb. Dav. et Ern. mutaverunt, cum Goer. et Sch. restituimus, quum sit Ciceroni haec structura satis frequens, modo ab illis triumviris saepe obliterata, cuius unum idque insigne laudat Goerenz. exemplum ex Tusc. III, 11, 25: *His autem perturbationibus, quas in vita hominum stultitia quasi quasdam furias*

melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita, exculti ad humanitatem et mitigati sumus: Initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus; neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.[1] Quid autem mihi displiceat in nocturnis, poëtae indicant comici. Qua licentia Romae data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam[2] quidem oculorum adiici fas fuit? *Att.* Tu vero istam Romae legem rogato: nobis nostras ne ademeris.

XV. *M.* Ad nostra igitur revertor:[3] quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. Quo in genere severitatem maiorum senatus vetus auctoritas

*immittit et inoitat.* Cf. Voss. de Arte Grammatica, lib. VII de Construct. p. 251 sq. Ma.

(1) Ad virtutem bonosque mores adstricti videbantur hisce sacris initiati. Quin et post mortem beatioris sortis compotes fore videbantur; quum apud inferos in luto coenoque volverentur ἀμύητοι. Vide I. Meursium, Eleus. c. 4, 17, 18, et Th. Burnetium de fide et offic. Christian. cap. 5, p. 79. Dav. — *Quibus ex agresti*, etc. Ex his initiis i. e. initiationibus Eleusiniis, quae ita dicuntur, quia ex iis vera principia vitae cognovimus, ex his igitur accepimus, i. e. didicimus, rationem, i. e. scientiam non solum laete vivendi (vid. Aristoph. Ran. 454 sqq.), sed etiam moriendi cum meliore spe. De hac laude et efficacia mysteriorum ad contemptum mortis et spem meliorem moriendi, egregie disseruit Isocrates in Paneg. § 6 (c. 6, p. 47 ed. Mor.), unde Cicero haec sumpsisse videtur, et nos quaedam monuimus hanc in rem in Epistola Critica, p. 33. W. — Vid. *Saintecroix, Recherches sur les Mystères*, p. 396, ed. *Sylvestre de Sacy*; Dionysum nostrum, p. 236 sq. et Mytholog. nostr. IV, p. 518 sqq. edd. alter. Cr.

(2) Codd. nonnulli et edd. vett. *impudentiam.* Vulgatum bene defendit Goerenz. *ille qui*, est Clodius. — Lactantius, Div. Inst. lib. III, c. 20, 3: *Romae et in plerisque urbibus scimus esse quaedam sacra, quae aspici a viris nefas habetur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet: et si forte vel errore, vel casu quopiam vir aspexerit; primo poena eius, deinde instauratione sacrificii scelus expiatur.* Dav.

(3) Ern. sine libris, contextu, ut

de Bacchanalibus,[1] et consulum, exercitu adhibito, quaestio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Graecia Diagondas[2] Thebanus lege perpetua sustulit.[3] Novos vero deos, et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes,[4] facetissimus poëta veteris comoediae, vexat, ut apud eum Sabazius, et quidam alii dii peregrini iudicati, e civitate eiiciantur. Publicus autem sacerdos, imprudentiam consilio expiatam metu liberet; audaciam in admittendis religionibus foedis damnet, atque impiam iudicet.

Iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationes, cursu et pugilatione, luctatione, curriculisque equorum usque ad certam victoriam in circo: in cavea, cantus[5] voce, ac fidi-

existimabat, postulante, Goerenzius ex tribus codd. et post eum Schützius dederunt *nostras*, quod ego, etiamsi tot libri consentirent, quot nunc dissentiunt (reliqui enim Goerenzii et nostri omnes a vulgata stant), correctoris esse dicerem, anxie ad normam proxime antecedentis *nostras* hunc locum corrigentis, quo merito non offenderunt priores editores. Consulto, credo, scripsit Cicero *nostra*, i. e. ad nostra instituta, ad ea, quae ad nos pertinent. *Nostras*, nisi me fallit opinio, magistelli est, ad grammaticae suae normam Ciceronem castigantis. Ms.

(1) I. e. vetus senatusconsultum adversus cultum Bacchanalium: quod hodieque exstat in aenea tabula, reperta priore seculo, et Vindobonae in museo Caesareo asservata. Editum est a Masseo in *Istoria Diplomatica*, itemque cum Matth. Aegyptii commentario aliorumque annott. exhibetur in Livio Drakenborch. Ipse Liv. narrat historiam, lib. XXXIX, 9-20. W.

(2) *Pagondas* malebat Meursius Lectt. Att. III, 23 sine causa idonea.

(3) I. e. generali, universali. Cf. Ern. in Clavi et Brissonius de Verb. Signif. in v. *perpetuus*. W.

(4) Hic quidem Sabazium aliquoties memorat; sed hic locus, qui a Cicerone significatur, fuit in deperdita comoedia, quae inscribebatur Lemnii. W.

(5) Vulgo legebatur *in circo constitutis*: *cavea, cantu*. Recte vero Wagnerus emendavit, ut edidi. Goerenzius maluit: *sint corporum certationis, cursu.... victoriam circo; cavea cantus* ut scil. *cantus* sit genitivus. — *Cantu*. Est cantus in voce, in nervis, in tibiis. Censorinus quae de musica scribit, c. 12, hic adscribam ut non omnino aliena: *Nec vero incredibile est*, inquit, *ad nostros natales musicam*

bus, et tibiis; dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos: quorum, dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem.[1] Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum servare[2] modum: quarum mores lapsi ad mollitiem,[3] pariter sunt immutati cum cantibus; aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant; aut, quum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus, animis mutatis,[4] etiam huic mutationi locus.

*pertinere: haec enim sive in voce tantummodo est, ut Socrates ait, sive, ut Aristoxenus, in voce et corporis motu: sive in his et praeterea in animi motu, ut putat Theophrastus, certe multum obtinet divinitatis, et animis permovendis plurimum valet. Nam nisi grata esset immortalibus diis, qui ex anima constant divina, profecto ludi scenici placandorum deorum causa instituti non essent: nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris aedibus adhiberetur: non cum tibicine triumphus ageretur Marti: non Apollini cithara, non Musis tibiae, ceteraque id generis attributa essent: non tibicinibus, per quos numina placantur, esset permissum aut ludos publice facere, aut vesci in Capitolio, aut Quinquatribus minusculis, id est, idibus iuniis urbes vestitu quo vellent, personatis temulentisque pervagari.* Tvan.

(1) Ad incitandum et languefaciendum, ad remittendum et contrahendum: plurimum ad leniendos concitandosque affectus musica valet. *Pythagoras*, ut ait Quintilianus, Inst. Orat. I, 10, *concitatos ad vim pudicae domui afferendam iuvenes, iussa mutare in spondeum modos tibicina, composuit.* Commovet igitur et concitat languentes, et commotos concitatosque componit. Exhilarat tristes, et qui hilares sunt, eos reddit severos et tristes. Id enim hic est animos remittere et contrahere. Tvan.

(2) Davis. Goerenz. Schutz. cum multis Mss. et edd. *conservare.*

(3) *Mores lapsi.* Nam in civitatibus pro ratione morum, varii quoque musices modi exorti sunt. Hinc melos Aeolium, simplex est: Asium, varium: Lydium, querulum: Ionium, floridum et molle: Phrygium, religiosum: Dorium, bellicosum. Simplicem autem probat musicam Plato et antiquam: nihilque in ea innovari permittit. Tvan.

(4) Recte sic auctoritate cod. Gud. 2 rescripsit Goerenz. pro vulg. *animisque mut.*

Digitized by Google

Quamobrem ille quidem sapientissimus Graeciae vir, longeque doctissimus, valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine *im*mutatione legum publicarum. Ego *autem* nec tam valde id timendum, nec plane contemnendum puto.[1] Illa quidem,[2] quae solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis,[3] nunc, ut eadem exsultant! ut cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent! Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens, quam sensim pernicies illapsa civium animos,[4] malis studiis, malisque doctrinis repente totas civitates everteret: si quidem illa severa Lacedaemon nervos ius-

(1) Typis italicis scripta addita sunt a Schützio.

(2) *Illa*. Goerenzius de fabulis scenicis earumque modulatione intelligi vult, quae repletae fuerint modis cum severitate iucundis; quae item quum Ciceronis tempore adhibita recenti modulatione ederentur, factum esse, ait, ut actores exsultarent, i. e. modum excederent, et cervices oculosque torquerent. Schützius credit excidisse h. l. *theatra*. Spectatores videlicet olim severitate modorum Livianorum et Naevianorum delectatos fuisse, nunc autem mollioribus modorum flexionibus sic deliniri, ut in iis audiendis exsultent et pariter cum iis cervices oculosque torqueant. In hanc sententiam, quae mihi quidem prae ceteris probatur, disputat etiam Wyttenbachius in Scholis: »Subaudiendum est *theatra*, i. e. spectatores, qui quondam solebant compleri, i. e. contenti esse iucunda severitate, quae erat in modis Livianis et Naevianis, l. e. in melodiis tragoediarum Livii et Naevii.« Idem tamen W. ad marginem ed. Goerenz. min. ad verba *Illa quidem* adscripsit: »*sedilia* addimus.« Ma.

(3) *Livianis et Naevianis*. Vt Plato Aegyptios laudat, apud quos neque pictura, neque choreae, nec musica immutabatur, sed Isidis poëmata semper canebantur: sic Cicero quoque modos antiquos probat, quales a Livio Andronico et Naevio, antiquis poëtis, compositi erant. Ii enim cantica scripserant, quae in ludis publicis et supplicationibus quandoque cani solebant. — *Modis*. Cantibus et modulationibus. Modi a numeris differunt, quod numeri sunt in productione et brevitate, modi in elatione et demissione, id est in modulatione. Itaque *facere modos* apud Terentium est canere. Tvrn.

(4) Lambin. *illapsa in civium animos*. Ed. Ven. 1470, *illapsa civium animo*.

sit, quos plures quam septem haberet[1] in Timothei fidibus, demi.[2]

XVI. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optumi: de quo quum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, *eas, quae essent in more maiorum.* Quo quum iterum venissent, maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum, quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis; respondit, *optimum.* Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et Deo proximum, quod sit optimum. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus: implet enim superstitione animos, et exhaurit domos. Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum; quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur;[3]

(1) Ita sensu et ratione grammatica flagitante ex coniectura Davisii scripsimus cum Wagn. Goer. et Sch. Mn. — Nervos, ait, demi iussit Lacedaemon, causa, quod haberet plures quam septem. At docet nos Athenaeus, quod superfluos tantum nervos voluerit tolli, reliquos servari. Quare locum totum sic constituendum arbitror: *Nervos iussit, quot plures quam septem haberet, in Timothei fidibus scindi.* Altera relativa est omissa, id quod turbas peperit, *iussit scindi, quot* pro *iussit scindi tot, quot. Scindi* quoque positum pro *rescindi* vel *abscindi.* In quo primam literam absorpsit ultima vocabuli antecedentis, dein ex reliquo *indi* sciolus fecit *inde*, cui velut mutilo adiectum ad postremum *demi*, ut sic sensus integer existeret. Τῷ *scindere* sic alio quoque loco usus est de capillis. Et Virgilius, Aeneid. XII: *Infelix crines scindit Iuturna solutos.* Cf. Cic. Tusc. III, 26, 62, ubi versus est Accii: *scindens dolore identidem intonsam comam.* Schey. — Constructio Davisii, *quos* reponentis, elegantior est. Ita Q. Cicero de Petit. Consulat. 6: *nedum ii, quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos, non intelligant* etc. Mn.

(2) *In Timothei.* Timotheus Milesius fidicen, decimam et undecimam chordam lyrae adiecit, et priscam musicam mollitie effeminavit. Vixit Euripidis et Philippi Macedonis aetate. Tvrn.

(3) *Apud Solos.* Ita Ciliciae urbs

et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periuriis, de incestis nihil sane hoc quidem loco disputandum est. Donis impii ne placare audeant deos; Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus Deus, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit. Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, qua obligamur deo.

XVII. Poena vero violatae religionis iustam recusationem non habet. [1] Quid ego hic sceleratorum utar

iuxta Issum vocatur. Solebant autem veteres suas templis divitias committere: quasi et religione, et Deum fide servarentur. Herodianus quum Romae templum Pacis, Commodo regnante, arsisset, multis ex opulentis egenos esse factos refert, lib. I, cap. 14. In eos autem qui rem sacro commendatam abstulissent, quum sacrilegii poena olim constituta esset, Antoninus postea voluit, ut dumtaxat furti poena animadverteretur. Hic alii *apud Solem* legunt, id est, delubro Solis. Tvrn. — *Clisthenes*, nobilis Atheniensis, a contraria factione in exsilium expulsus anno ante Chr. 506, proximo anno in patriam redux, libertatem ac leges Solonis restituit. Vid. Herod. lib. V, c. 70 et sqq. W.

(1) *Poena vero violatae religionis.* Quum in lege dicatur *poena violati iuris*, ius intelligendum est divinum, quod, si locum consideres, proxime ad *vota* refertur, nostro autem loco a Cicerone ad omnem religionem, atque adeo ad omnia ea extenditur, quae quum nefarie contra ipsum facta contendit, eo ipso religionem violasse affirmat. Vt enim Cicero in se laudando solet esse paullo verbosior, ita in recenti propter exsilium dolore ea ipsa, quae ab inimicis passus fuerat, ita exaggerat, ut iniuriam, qua ipse affectus erat, deorum iura, religionesque evertisse in sequentibus pronuntiet. Quare facere non possum cum Wagnero eiusque censore Halensi l. l. qui, quum Cicero h. l. non agat de eorum poenis, qui vota non solverint, sed de eorum, qui ipsum in exsilium egerint, totum hunc locum usque ad finem cap. 17, non quidem Ciceroni plane abiudicant, sed alieno plane loco infertum iudicant; videlicet, ut Cicero hanc de suis rebus digressionem in margine adpinxerit, postea iusto loco, cap. 10, 25, post *Quod autem non homo iudex... confirmari videtur* inserendam; quam librarius, quum Cicero ipse hos libros non perpoliverit, minus commode hic assuenda esse censuerit. Ma. — *Poena*, etc. I. e. qui religionem violavit, is non iustam excusationem invenire potest, quo minus poenam luat. W.

exemplis, quorum sunt plenae tragoediae? [1] Quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur; tamen, quoniam mihi sermo est apud deos, [2] nihil reticebo; velimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius videri, quam grave. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt; [3] vexati nostri Lares familiares; in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae; [4] pulsus a delubris is, qui illa servarat. [5] Circumspicite celeriter animo [6] (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem urbis, [7] omnibus ere-

(1) Aiax Oileus ob temeratum fanum Minervae poenas luit morte, et Aiax Telamonius ad Troiam militaturus dearum spreto auxilio impiam superbiam capitalem sensit. Tvan.

(2) Sic Goerens. cum plerisque codd. Ernestius e coniectura Ranconeti dedit *vos*; alii *eos*.

(3) *Omnia tum*, etc. *Tum* universe continuandae narrationi inservit, eoque immerito offensus est Wagn. Ma. — *Discessu meo*. Est i. q. exsilio meo. Ita enim honoris causa suum exsilium vocare solet. Neque Cicero debebat dicere *me expulso*, quamquam hoc cogitabat. Certus enim erat, se ab amicis ita intelligi, ut intelligi volebat. Eam ipsam ob causam, quia videlicet coram amicis se loqui fingit, et iniuriam, qua affectus fuerat, et rem universam, ut diximus, exaggerat. De constructione loci vid. Wopk. Lectt. Tull. p. 156. Ma.

(4) Contumeliose sic vocat templum Libertati a Clodio in area domus Ciceronis, quam incenderat, exstructum.

(5) Ego, ait, pulsus sum a templis romanis, qui illa servaveram ex incendio coniurationis Catilinariae. W.

(6) Sic Victorius edidit. In Mss. est *circumspicit haec celeriter animus*. Davisius malebat *circumspicite celeriter animis*. Rathius transposito vocabulo *celeriter*, legendum coniicit, *circumspicite animo.... qui sint rerum exitus celeriter consecuti*. — Nullus hic est locus celeritati mentis; adverbium suo loco reponendum in fine: *qui sint rerum exitus celeriter consequuti*. Wtt. — Quod quo diutius considero, eo magis adducor, ut verum censeam. Cur enim *celeriter* circumspiciant potius, quam alio quocumque modo? Neque eo aliquid proficitur, quod Goerens. *celeriter* graece vertit ἐν τάχει. Nam eadem sententia exit, ad quam merito W. scripsit, nullus hic est locus celeritati. Ma.

(7) I. e. statuam Minervae πολιούχου, quasi urbem tenentis, quam Cicero domi religiose colebat, deposuit in templo *Patris ipsius*, id est

ptis nostris rebus ac perditis, violari ab impiis pass; non sumus, eamque ex nostra domo *in* ipsius patris domum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium, conservatae patriae consecuti sumus. [1] Quo quid accidere potuit homini praeclarius? Quorum scelere religiones tum prostratae afflictaeque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent: qui vero ex his et horum scelerum principes fuerunt, et praeter ceteros in omni religione impii, non solum vita, cruciati [2] dedecore, verum etiam sepultura ac iustis exsequiarum caruerunt. [3] *Q.* Equidem ista

Iovis Capitolini, antequam exsulatum abiret. W.

(2) Saepe sic auctor genitivos cum duplici relatione ponit. Tusc. II, 15, 35: *Labor est, functio quaedam vel animi, vel corporis gravioris operis et muneris.* Tuscul. III, 18, 39: *Habes formam Epicuri vitae beatae.* Ibid. IV, 6, 13: *Praesentis autem mali, sapientis affectio, nulla est.* Commata hoc loco tollenda sunt. Hi genitivi duplices ex Graecorum ratione positi sunt, vide Matthiae Grammat. Graec. § 314. *G.*

(2) *Vita cruciati atque dedecore*) Sic Vulgo. — Recte Goerenzius *atque* vulgo hic inculcatum delendum censuit. Lambinus probante Davisio correxerat *non solum vitae cum cruciatu atque dedecore privati sunt.* Pearcius *vitae cruciati dedecore.* Rathius *non solum vitae cruciati infamia atque dedecore sunt.* — *Non solum vita, cruciati dedecore, verum etiam.* Ita probante Handio l. c. corrigendum censuit Goerenz. et dedit Schütz. quum libri Mss. omnes incommodum illud *atque* inferciant, duobus exceptis apud Goer. in quibus nonnisi *ac* interponitur. Ernestus, cui neque Lambini, neque Pearcii ratio satis placet, et huius quidem, quia debeat hic esse nomen, quod coniungatur cum *caruerunt:* „Si tamen, pergit, intelligi potest *sunt*, legam: *non solum vivi cruciati dedecore*: in altero intelligi (adde *debet*) *mortui*, quod fortasse excidit." Goerenz. in edit. min. ediderat *non solum vita, cruciati atque cum dedecore.* Censor Wagner. ed. Halensis vulgatam defendit, ut sit *vita cruciati atque dedecore*, figura, quam vocant ἐν διὰ δυοῖν, pro *vitae dedecore cruciati.* Egregie scilicet! Mn. — *Non solum vita cruciati atque dedecore, verum*, etc. Desideratur non modo sententiae absolutio, sed etiam copia et concinnitas. Sensus est: *non solum vivi cruciatu animi cum dedecoris infamia vexati obrutique sunt, sed etiam in morte caruerunt sepultura et iustis exsequiarum.* Pertinent haec ad P. Clodium, qui talem exitum habuit. Conf. Cicer. in orat. pro Milone, c. 13. W. — Vides, Wyttenbachio Ernesti lectionem et explicationem probari; quod aperte significavit ad marg. ed. Goer. min. Mn.

(3) *Iustis exsequiarum.* Id ob Clodii

agnosco, frater, et meritas diis gratias ago: sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere. *M.* Non enim, Quinte, recte existimamus, quae poena divina sit; et opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus; morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicii,[1] hominum miserias ponderamus; quae fateor humana esse, et multis bonis viris accidisse: sceleris est poena tristis,[2] et praeter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, nunquam inimici nobis fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia:[3] quid agerent, modo timentes: vicissim contemnentes religiones:[4] iudicia perrupta ab iisdem; corrupta hominum,[5] non deorum.

cadaver ait, quod sine imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, semiustulatum, dilaniandum prope canibus relictum est: ut in oratione pro Milone scribit. Tvrn.

(1) *Offensione iudicii.* Quum homines male de nobis iudicant et existimant. Alibi est *offensio existimationis hominum.* Ern. — *Offensione iudicii* dictum ait Wagn. pro damnatione in iudicio, ut *offensio belli* pro clade in bello accepta; orat. pro lege Manil. 9. Cum Ernest. facit Goerenz. Sed Beierus ad Cic. de Off. III, 8, 36, ait: » *offensio iudicii*, quidquid obloquatur Goerenz. est *ignominia et calamitas ex condemnatione*, qualis accidit e. g. P. Rutilio Rufo.« Quo mihi nihil videtur certius. Mn.

(2) Est hoc a Platone et Stoicis sumptum, ipsum sibi peccatum, ipsam iniustitiam maximam esse poenam. Quo de argumento disserit Plutarchus in libro de sera Numinis Vindicta, p. 24 sqq. W. — Vir doctus in Miscell. Obss. III, 1, p. 68: » Sensus loci facit ut credam forte legendum esse: *Sceleris scelus est poena tristis.*« Adiicit verba Senecae a Davisio laudata (Epist. 97) et deinde addit: *Hoc pro dubia emendatione offero.* Cn. — Schützio quoque valde arridet haec viri illius docti suspicio, propter verba Senecae: *Sceleris in scelere supplicium est.* (Vid. huius volum. pag. 31 ad calc.).

(3) Tria enarrantur, quae torquent homines sceleratos: *cupiditas*, quae numquam satiatur; *metus* ne prava consilia sint irrita, et ipsi scelere suo in perniciem ruant; *conscientia* denique male factorum furiarum faces admovens, et deos iratos iis oboculos ponens. Mn.

(4) Goerenz. et Sch. e cod. Brux. Vien. Gud. utroque, *religionis.*

(5) *Perrupta* refertur ad vim, *corrupta* ad pecuniam. Sensus est: evasere poenas iudiciorum vi aut pecuniis, sed non divinas. Mn. — Goeren-

Digitized by Google

**Reprimam iam me,** [1] **et non insequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo, quam petivi. Tantum ponam, crimini** [2] **duplicem poenam esse divinam,**

zio placet legi *corrupta.... at hominum non deorum.* Ego vero potius deleto verbo *perrupta,* sic legendum opinor: *iudicia ab iisdem corrupta hominum non deorum.* Scuvtz. — Hoc vero est vim inferre et sententiae, et verbis. Mr. — Vir doctus in Miscell. Obss. III, 1, p. 69: » Clodius in hac causa non *perrumpebat*, sed *corrumpebat* iudicia. Hoc et tota periodi constructio, in qua Ciceronis stylum non agnoscas, ansam praebet coniecturae, legendum esse: *iura perrupta ab iisdem; corrupta iudicia hominum, non deorum.* Alia hic sunt, quae emendationem desiderant, ut videre licet in Davisii notis. Quum Ciceronis libri de Legibus corruptissimi sint, maior concedi debet licentia coniecturis. Cr.

(1) Vulgo *reprimam iam.* Pro quo Davis. legi volebat *reprimam iram.* Melius Vict. Turn. Lamb. Goerenz. *reprimam iam me.* — Quum nihil facilius fieri potuerit, quam ut inter *m* et *e* absorberentur eaedem literae, i. e. vocula *me*, eam cum Goerenz. et Schütz. recipiendam censui, ut fecit praeter Vict. Turneb. Lamb. etiam Sturm. qui deinde *nec* scripsit pro *et non.* Pro *reprimam* est *deprimam* in cod. M. *Se reprimere ab aliqua re*, dixit Plinius, Panegyric. LXXXIII, p. 425 ed. Schwarz. Codd. Cr. et W. *sequar* pro *insequar.* Mr.

(2) *Ponam brevi*) Ita iam Lambinus corrigendum censuit vulgatum *erui.* Iac. Gronov. malebat *meriti.* Davis. c. cod. Balliol. *tantum ponam, rebus duplicem.* — Antequam meam qualemcumque sententiam exponam, age virorum doctorum sententias proferam, quae non in ed. Dav. continentur. Primum operae pretium est Turnebi sententiam exponere, quam prodidit in Commentario primo. Ita igitur ille: » *Tanta poena merui:* Quamquam hic mendi suspicio subest, tamen ex veteri ita legendum censeo: *tantum poenam Erebi duplicem ponam esse divinam.* Hoc siquidem Platonicum est. Aiunt enim binos esse inferos: alteros, ad quos post fata impiorum animi migrent, ut illic suppliciis plectantur: alteros in corpore, quo animus inclusus, ut in carcere tenebricoso, supplicia perfert. Nam illic et erroribus fluctuat, et ira ebullit, et tristitia contrahitur, et lacrimis liquescit, et odio maceratur. Ad haec conscientia lancinat, avaritia incubat, fortuna rotat, metus deiicit, spes erigit, voluptas liquefacit, dolor fodicat. «

Schefferus: » Est ex Palatinis, qui exhibet *metui*, quod vix dubito, quin sit rectum. Totum porro locum ita censeo scribendum: *Tantum ponam, metui duplicem poenam esse divinam; quod constat et ex vexandis vivorum animis*, etc. *Metui esse* dicitur, quod metum incutit, quomodo dicitur *esse gaudio, esse voluptati.* Illud *quod* non est causale, ut vulgo arbitrantur, sed pronomen generis neutrius, et refertur ad *metui esse.* Hoc, haec res, timeri scilicet duplicem poenam, constat et ex eo, quoniam sceleratorum animi, quamdiu vivunt, vexantur, estque haec una poena divina, malae scilicet conscientiae; deinde et ex eo, quoniam post mortem

quae constet [1] et ex vexandis vivorum animis, et ea

dicuntur apud inferos cruciari, estque haec poena altera divina, supplicii scilicet infernalis. » — Bruto Lambini lectio placebat, itemque Rathio. Pearcius cum Aldo Manutio facit, vocem *erui* eiiciente, itemque Ernestus, in quam sententiam Wagn. quoque inclinat, qui tamen totum hunc locum, inde a verbis » Quid ego hic sceleratorum utar exemplis, » quia et multa insint, quae displiceant, et cum serie legum non cohaereat, a Cicerone profectum esse non credit. Ad haec ego iam respondi ad cap. 16, § 41.

Wyttenbachius ad ed. Goer. min. ubi est *metui*, haec: delendum est *metui*, utpote ortum ex varia lectione verbi *petivi*, pro quo aliquis annotator in margine posuerat *merui* (ut enotavimus ex Copp. Victt. a.) — Vides Wyttenbachium Aldi partibus accedere.

Hülsemannus coniecit: » sceleri duplicem esse poenam... constet, etc. » Quod ad sensum optime; sed si ita scripsit Cic. depravationis causa non apparet. Goerenzius vulgatam quidem servavit (*erui*); sed ea merito ei displicet. *Metui* in ed. mai. reprobat, sive dictum velis pro *conscientia*, sive passive *quo quis timetur*. Ipse tandem suam profert coniecturam, videlicet ut legatur: » Tantum ponam, cerni, dupl. poenam esse, etc. » quam iam occupaverat censor Wagneri Halensis (1806, 15, p. 119), nisi idem Goerenzius est, de quo tamen valde dubito.

Ego, dudum e codicum lectionibus sanam esse nullam existimans, statim animadvertere mihi visus sum, in nulla alia, quam in illa apud Carolum Stephanum lectione variante, *erui*, veram lectionem latere. Conieci primum: » Id tantum ponam: crevi (i. e. cognovi, intellexi) duplicem esse, etc. » Sed statim abieci hoc commentum, reputans, illud perfectum hac significatione a Cicerone vix umquam esse positum. In mentem tum venit *crimini*, pro quo, quum compendio scripturae scriberetur *crni*, facillime totidem literis fieri potuit *erui*; librarii vero, hoc depravatum sentientes, magis etiam obliteraverunt antiquam et veram lectionem, ultima praecedentis vocabuli litera huic assuta, ut fieret *merui*. Reliquas loci depravationes non attinet explicare, quum et per se clarae sint et frequentissimae, et librarii, semel recto tramite relicto, ad alia potius omnia digredi, quam ad veritatem regredi soleant. Mn.

(1) *Quod constat*) Sic Goerenz. cum codd. Vien. et Gud. 2. Vulgo *quod constaret*. Ern. malebat *constet*. — *Quae constet et ex vexandis*) *Quae* scripsimus ex eod. M. ed. Sturm. et sententia Ernesti; ex eiusdem et Wagneri *constet*, cum Aldo nepote, quod ratio grammatica flagitabat, quamvis Goer. multis locis post acc. c. inf. indicativum sequi contendat. Scio id quidem: sed id tum tantum fieri solet, quum id, quod sequitur accusativum c. inf. ut certum et ita ponitur, ut eius veritas aliunde et dicenti et audienti sit cognita, neque ita cohaeret cum eo, quod oratione obliqua effertur, ut inde pendeat. Mn. — In tanta varietate sententiarum, magis mihi arridet Moseri lectio, eamque Schutzianae substitui. Tyr.

fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio vivorum, et gaudio comprobetur. [1]

XVIII. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior: qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: « Terra igitur, ut focus domici- » lii, [2] sacra deorum omnium est. Quocirca ne quis » iterum idem [3] consecrato. Aurum autem et argen- » tum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa » res est. Tum ebur ex inani [4] corpore extractum, » haud satis castum donum deo. Iam aes atque fer- » rum, duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem, » quodque [5] voluerit, uno e ligno dedicato, itemque » lapideum, in delubris communibus. Textile ne ope- » rosius, quam mulieris opus menstruum. Color au- » tem albus praecipue decorus deo est, [6] quum in » ceteris, tum maxime in textili. Tincta vero absint, » nisi a bellicis insignibus. Divinissima autem dona, » aves et formae ab uno pictore uno absolutae die: » itemque cetera huius exempli dona sunto. » [7] Haec

(1) Totus hic locus a verbis *Quid ego hic sceleratorum* usque ad *gaudio comprobetur* spurius visus est Wagnero. Sane Cicero haec melius omisisset. Ceterum eius manum cum Goerenzio agnosco. (Vid. Moseri not. p. 143).

(2) Vere sic corrigendum censuit Goerenzius comparato Platonis loco γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσα πάντων θεῶν de Legg. XII. Vulgo *domiciliorum*.

(3) *Idem* abest cod. Brux. Gud. utroque.

(4) P. Manut. ex uno cod. it. Lambin. Wagn. *inanimo*. et sic Hemsterhusius ad Polluc. Onom. X, 176. — Lectionem *inanimo* glossatori deberi praeter Davisium recte censuerunt Ern. et praeter Wagnerum, post eum editores omnes; quare non est, quod loca Veterum laudemus ad hunc usum verbi *inanis* probandum; Ciceronis loca commode attulit Goer. Verr. II, 66, 160; V, 50, 131. Ma.

(5) Sic Mss. omnes, idque idem est ac *quodcumque*. Ernestius, Wagn. et Bip. dederunt *quod quis* cum Lambino, videlicet ut respondeat graeco ὅ τι...τις, Davisius vero auctore Turnebo *quod qui*. Ed. Crat. Asc. 1. 2. et Herw. *quodcunque*.

(6) Albus enim color faustus est, infecta omnia sunt impura. Sic quum rem divinam faciebant, albati erant, et diebus festis. Proinde scripsit Ovidius, Fast. I, 80: *Et populus festo concolor ipse suo est.* Tvrn.

(7) Platonis verba in lib. XII de

illi placent. Sed ego cetera non tam restricte praefinio, vel hominum vitiis, vel subsidiis temporum victus. [1] Terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroque subigendam, [2] superstitionis aliquid accesserit.

*Att.* Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis, [3] et de manium iure restat. *M.* O miram memoriam, Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. *Att.* Ita credo: sed tamen hoc magis eas res et memini, et exspecto, quod et ad pontificium ius et ad civile pertinent. *M.* Vero: et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa; et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, eius ipsius generis ius civile nostrum: sed ita, locus ut ipse [4] notus sit, ex quo ducatur quae-

Legibus, quae Cicero elegantissime interpretatur: Γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήτεως ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν· μηδεὶς οὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς. Χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστὶν ἐπίφθονον κτῆμα. Ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος οὐκ εὐχερὲς ἀνάθημα. Σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς πολέμων ὄργανα. Ξύλου δὲ μονόξυλον ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, καὶ λίθου ὡσαύτως, πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά· ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον. Χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἶη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ. Θειότατα δὲ δῶρα ΟΡΝΙΘΕΣ τε καὶ ἀγάλματα ὅσα περ ἂν ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἰς ἀποτέλῃ. Καὶ τἄλλα ἔστω κατὰ τὰ τοιαῦτα ἀναθήματα μεμιμημένα.

(1) Id est, Ego haec non tam parce et accurate definio, quia vincor vel *hominum vitiis*, i. e. praesertim morum corruptione, vel *subsidiis temporum*, i. e. quia homines nunc plus pecuniae possident, quam temporibus Platonis. W.

(2) Pro *tuendam* Gulielmus probante Grutero corrigebat *ruendam*. At Davis. et Goerenz. e codd. Brux. Gud. 2. Cassel. receperunt *utendam*. Lectionem *tuendam* sic interpretatur Ernestius, ut sit: recte tractandam, ut fructus inde capiantur. Pro *subigendam*, quod ex antiquo libro dedit Manutius, quem alii secuti sunt, Goerenius revocavit lectionem *subiiciendam*, quae est in compluribus Mss. et Edd. vett.

(3) De *sacris perpetuis* vid. Excurs. ad calcem libri.

(4) Sic Goerenz. e codd. Vienn. Cassell. Gud. utroque ed. Turn. Crat. aliisque vett. Vulgo *locus ipse ut*. In Brux. *res pares*. In Vffenb. *res pars*. Edd. vett. *res et ars*. Inde Davisius

que pars iuris, ut non difficile sit, qui modo ingenio possit moveri, [1] quaecumque nova causa consultatiove acciderit, eius tenere ius, quum sciat a quo sit capite repetendum.

XIX. Sed iurisconsulti, sive erroris obiiciendi causa, quo plura et difficiliora scire videantur; sive, quod similius veri est, ignoratione docendi (nam non solum scire aliquid, artis est, sed quaedam ars est etiam docendi) saepe, quod positum est in una cognitione, [2]

conj. legi posse *res et pars*. Mihi verum videtur *quaeque pars iuris*, quum paullo post agatur de *partitione*. — *Ex quo ducatur quaeque pars iuris*. Servavimus emendationem Ranconeti, quia et paullo antecedit *locus*, qui significat argumentum universale, et paullo post agitur de partitione; quam posteriorem causam Schutz. quoque ad defendendam hanc lectionem valere vult. Ceterum admodum variant nostri quoque libri. Codices duo Goerenzii aliquid simile habent nostrae lectioni; unus *res pares*, alter *res pars*; unde coniecit Handius (Jen. Lztg. 1810, 72, p. 573), *pars iuris* esse glossam, scribendumque esse simpliciter: *ex quo ducatur quaeque res*. Quam suspicionem si quis veriorem ceteris censuerit, me non admodum adversantem habebit. Ceterum ex illa duorum librorum scriptione possis etiam coniicere *iuris pars*. Mn.

(1) Vulgo *qui paullum modo ingenio possit moveri*. Haec omnia absunt codd. Eliens. Harl. 1, 2, item Vffenb. Dresd. 1 et edd. vett. compluribus ut Asc. Crat. In cod. Brux. *qui modo ingenii possit moveri*. In cod. Gud. 2 *qui domo ingenii p. m.* In Vienn *qui homo i. p. m.* In aliis *quis homo i. p. m.* Davis. rescribendum putabat *qui modo ingenio sit mediocri*. Sed *possit moveri* facile defendi potest. *Paullum* vero cum Goerenzio expungendum censui. — Ern. de lectione nihil monet, sed interpretatur: *cuius ingenium habeat sensum veri, et amet cognitionem rerum*. Wagn. ad Manutii partes inclinat. Rathius restitutum volebat *paullum*, ut subaudiendo opponatur: *ne dicam acute*; qui sensus exibit, et recte quidem, etiamsi non addas *paullum*, quod est in nullo libro Ms. Mn. — Sensus est: quicumque non plane mente tardus et hebes sit. Sic *acute moveri* est ingenii celeritate valere, in Epist. ad Div. 15, 21; Acad. 1, 9. W.

(2) *In una cognitione*. Iurisconsultos reprehendit, qui persaepe rem simplicem, et quae uno capite comprehendi potest, quo hodie etiam tenentur errore, in infinita dividunt, et per singula, speciesque varias artem docent, quod etiam eis obiicit lib. III de Oratore: *Video enim*, inquit, *in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri quid alicui de iure viro aut mulieri responderint: credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis eausam aliquam fuisse*. Tvrn.

id in infinita dispertiuntur: [1] velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaevolae faciunt, pontifices ambo, et iidem iuris peritissimi? Saepe, inquit Publii filius, ex patre audivi, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius civile cognosset. Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem, de iure parietum, aut aquarum, aut ullo omnino? [2] Ergo, quod cum religione coniunctum est. Id autem quantulum est? De sacris, [3] credo, de votis, de feriis, de sepulcris, et si quid eiusmodi est. Cur igitur haec tanta facimus, [4] quum cetera perparva sint? [5] De sacris au-

(1) Sic Goerenz. cum quinque codd. optimis et edd. vett. compluribus. Vulgo *dispartiuntur*.

(2) *Aut tali ullo omnino* dedit Goerenzius e codd. suorum vestigiis. Vulgo *aut ullo omnino*, quod rei ipsi repugnare monuit Davis. quum ad Pontifices tantum spectent sacra, vota, feriae, quaeque sunt huiusmodi. Turnebus et Lambinus dederunt *aut luminum*. Davisius malebat *aut ullo omnino simili*. — *Aut ullo omnino*. Vir doctus in Obss Miscell. IV, 3, pag. 334: « Vera lectio haec videtur esse: *aut ullo omnino, nisi quod cum religione coniunctum est*. » Contra ea ibidem alius V. D. ita monet: « At in voce *ullo* non iure in genere, sed *iure civili* intelligendum, quatenus opponitur *iuri pontificio*. Et sic si interpretemur, mutatione nulla opus fuerit. » Ca. — His, quae postremo loco dicta sunt, commotus sum, ut in lectione vulgata acquiescerem, quum Goer. et post eum Sch. quasi vulgata ferri non possit, ediderint *aut tali ullo omnino*, quod in nullo libro est, sed placeret, nisi, recta explicatione adhibita, idem sensus posset erui. Ante *ergo* codd. plerique, nostri etiam Cr. W. Copp. Victt. b. edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Cur. Steph. Brut. Ald. addunt *si*, unde fecit Dav. *simili*, contra Ciceronis morem, qui *omnino*, ut recte observavit Goer., in clausula ponere solet. Ceterum illa voce, quamvis ad sensum probabili, non minus aequo animo carere possumus, quam ea qua Goer. Ciceronem auxit. Ern. ad vocem *ergo* recte subaudit *eo tantum*. Wyttenbachio placet Lambini coniectura. — Vulgatam reduxi cum Mosero. Plurimorum codicum consensus in particula *si*, suspicionem mihi movet, num sit legendum *Sit ergo*. Typ.

(3) Post *sacris* Goerenzius acute vidit excidisse *privatis*.

(4) Cur tam magnam putamus hanc iuris civilis cum pontificio coniunctionem, quum in his fere quae enumeravi, quae sane magna non sunt, versetur; et si quid praeterea est, perparva sit? Typn.

(5) Cod. Harl. 1, *quam cetera praecipua sint*, probante Davisio.

Digitized by Google

tem,[1] qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper, et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. Hoc posito,[2] haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret; iis *essent* ea adiuncta,[3] ad quos eiusdem morte pecunia venerit. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. Quaeruntur enim,[4] qui adstringantur sacris. Heredum causa iustissima est. Nulla est enim persona, quae ad vicem eius, qui e vita emigravit,[5] propius accedat. Deinde, qui morte testamentove[6] eius tantumdem capiat, quantum omnes

(1) De sacris privatis hoc loco disserit, quae pecuniam sequebantur, nec hominum morte interibant, sed heredibus iisve ad quos pecunia pervenisset, adiuncta erant. Ad ea sacra pertinere illud Plauti arbitror in Captivis, act. I, sc. 4, 8: *Sine sacris hereditatem sum adeptus effertissimam.* Et in Trinummo, act. II, sc. 4, 83: *Coena haec annona est, sine sacris hereditas.* Tvrn.

(2) Lambin. edidit *perpetua sint. Hoc posito, haec iura.* — Ceterum codd. et edd. variant: alii, *his positis*, vel *haec posita*; Verb. Ern. Wagn. Bip. et Sch. *Hoc uno posito*, sine librorum auctoritate; quae scriptio post quatuor lineas suo loco redit. Ego Moserum, Goer. Car. Steph. sequor. *T.*

(3) *Et esset ea adiuncta.* Ita scripsimus cum Goerenz. (nisi quod hic addidit *his*) ex edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Car. Steph. Ald. Brut. Vulgo legitur » iis essent ea adj.; « sed *esset* referendum est ad sacrorum memoriam, et legitur in tribus Goerenzii, aliisque. Schützius non recepit *et*, quod mea quidem sententia abesse nequit, quodque iam Wagn. desiderabat. Lamb. dedit *et ut iis esset.* Rathius coniecit: *ut* (ne morte patris fam. sacrorum memoria occideret) *iis essent ea* (sc. sacra) *adiuncta*, etc. Mihi aliquando in mentem venit legere: » ut (ne... occideret) iis essent ea (sc. sacra) iniuncta ad quos, etc. « Neque nunc me huius suspicionis poeniteret, si scirem, Ciceronem verbo *iniungendi* umquam esse usum. Ms.

(4) Davis. malebat *quaerunt* vel *quaeritur.*

(5) *Quae ad vicem eius.* Ad locum et munus, ut eadem prope persona videatur. Tvrn. — *Emigravit* reposuit Davis. ex octo codd. et edd. vett. plerisque. Vulgo *emigraverit.*

(6) Recte interpretatur Turn. *donatione aut legato.* Nomine *mortis* a *testamento* distincto significant eam,

heredes.[1] Id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est,[2] accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fuerint, quum moritur, usu ceperit plurimum *possidendo*.[3] Quarto, qui, si nemo sit qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius plurimum servet.[4] Extrema illa

quam iureconsulti postea nominarunt donationem mortis causa, de qua exponitur Pandect. lib. XXXIX, tit. 6, Institut. lib. II, tit. 7. W.

(1) Recte monuit Goerenzius hoc ex lege Voconia a. 585 lata explicandum esse, qua vetitum erat, *ne qui census esset, plus cuiquam legaret quam ad heredem heredesve veniret.* Poterat igitur tantum legari quantum omnes heredes simul capiebant.

(2) Davis. malebat *positum.*

(3) *Possidendo* vulgo adiectum ex interpretamento accessisse Victor. Turn. P. Manut. Davis. viderunt. — Goerenzius vocem *possidendo*, ut ex interpretamento ortum, uncinis inclusit, Sch. eum cupidius sequutus, plane delevit. Ma. — Tuetur Savigny lectionem *possidendo.* Explicationis summa haec est: *primo loco sacris adstringuntur omnes heredes, quibus altero loco aliae etiam personae adduntur. Sed, si non secundum ius civile, sed secundum ius praetorium hereditas aditur, tertio loco sacris adstringitur is bonorum possessor, qui plurimum usu ceperit possidendo. Ceterum non contendo, hoc non nisi tertio loco factum esse. Eodem enim redit, quum is, qui moritur, bona quidem, neque vero heredes* (neque civiles, neque praetorios) *relinquit.* Postea in epistola ad me data, *tuetur*, ait (si forte novo argumento res egeat), *verbum* possidendo *contra Goerenzium Gaius, II*, § 41. Conf. Gai. II, § 52-58, add. III, § 175. — Chr. Gottl. Schwarz in Plinii Panegyricum cap. 37, pag. 449 post verba »usu cepisset plurimum (ita enim scribit)« non agnoscit *possidendo*, et interpretatur: »h. e. qui maiorem bonorum partem usu cepisset, et anno vel biennio, quum pater familias sine alio herede moreretur, possedisset.« Deinde ita pergit: »ad haec *si nemo esset, qui ullam rem cepisset*, is in sacra familiae transibat *de creditoribus mortui, qui plurimum servaret.* Denique et *is, qui ei, qui mortuus esset, pecuniam debuisset, neminique eam solvisset*, proinde habebatur, quasi eam pecuniam (ex hereditate) *ceperit*; adeoque sacris iisdem obnoxius erat, quibus creditor fuerat adstrictus.« Exponit denique causas onerosae hereditatis, nimirum sumptus in sacra privata quotannis faciendos; quae in vulgus nota sunt. Cs.

(4) Sic Goerenzius auctoritate Mss. locum constituit. Vulgata inde a Turnebo: *Quarto, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum servet. — Servare* dicitur creditor, si ex debitoris sui bonis vel totum debitum, vel partem eius recipit. Ita Paulus Digest. lib. XVII, tit. 45. Conf Brissonius de verb. signif. p. 326, in v. *servare ab aliquo.* W.

persona est, [1] ut his, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, proinde [2] habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Haec nos a Scaevola didicimus, non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis sacris adstringi: hereditate; aut, si maiorem partem pecuniae capiat; aut, si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit. [3] Sed pontificem sequamur. Videtis igitur

(1) Savign. Zeitschr. pag. 377 sqq. »Si neque heres adest, neque bonorum possessor, neque alius quispiam aliquid ex facultatibus (pro suo) usu cepit, neque creditorum fit concursus: tum quidem debitores eius, qui mortuus est, quippe debitis iam liberati, sacris adstringuntur creditoris sui. Fingitur enim, pecuniam, quam debuerint, ex facultatibus herede carentibus, in debitorum bona transiisse, proinde ac si eam pecuniam ceperint. Probatur hoc loco, verissimum esse, ante legem Iuliam antiquo iure bona, quorum heres non exstaret, vacua fuisse domino. Vlpian. XXVIII, 7: *Si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit.... populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria.*« Cr.

(2) Sic Davis. Goerenz. Mss. et edd. vett. Ern. et Wagner c. aliis *perinde*. — Conf. de his vocabulis Ruhnk. ad Rutil. Lup. I, 8, 31. Ma.

(3) Secundum doctrinam antiquiorem tres erant modos, secundum quos aliquis adstringebatur sacris defunctis servandis. Primum adstringebantur heredes omnes, deinde cum his legatarii quidam, denique, si nemo esset heres, is, qui rei familiaris defuncti plurimum usu ceperat. — De h. l. Savigny (l. c. p. 378-380) haec est sententia: »Cicero, postquam exposuit, qui adstringantur sacris hominis mortui, addit, eos Iureconsultos, qui iidem fuerint pontifices, in primis Scaevolas, distinctionum acuminibus illas regulas migrare studuisse, operamque dedisse, ut personas, qui iure adstringerentur sacris, ab hoc officio sive munere liberarent. Primum illud erat artificium, ut testator ei legatario, cui tantumdem, quantum heredibus omnibus, relinquere vellet, quique eo (secundo loco) sacris adstrictus fuisset, paullo minus, quam heredibus daret: quo facto re ipsa aequae erant portiones, numero tantum et nomine differebant, legatarius autem sacris non adstringebatur, quia non plane tantumdem, quantum heredes, acceperat. Accedebat huic consilio illud, ut, si testator ea cautione non esset usus, ipse legatarius eam suppleret, heredibus aliquanto plus concedens, quam ipse auferret.

Alterum artificium in eo vertebatur, ut legatarius tum modo sacris adstringeretur, si legatarii nomine bona testatoris acciperet. Consilium igitur ei dabant, ut heredibus legatum redderet, idem vero statim re-

omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi volunt, iisdemque ferias et caerimonias adscribendas putant. [1] Atque etiam dant hoc Scaevolae, quod est partitionis caput: [2] ut, si in testamento *deducta* scripta non sit, ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc iidem secus interpretantur: [3] et quod paterfamilias in eius do-

ciperet, obligatis stipulatione heredibus, ut tantumdem legatario solverent, quantum legatum fuisset. Qua pecunia stipulatione, neque vero legato, accepta, sacris liberatus erat Qua in re, quod ad iuris prudentiam attinet, duo sunt memorabilia. Primum illud, quod liberatio fiebat per aes et libram; ideo, ut videtur, quia etiam obligatio legati aere et libra (videlicet testamento cum mancipatione) facta erat. Deinde, quod universe liberatione praeterea opus erat (quod est in iuris fontibus indeque hausta doctrina) sola stipulatio (utpote novatio) ad priores obligationes solvendas sufficiat.

Vniverse hic Cicero de eo tantum loquitur, si morte eius, qui sacris esset adstrictus, sacra vacua fierent. Sed poterat etiam nemine mortuo fieri successio per universitatem; arrogatione videlicet, venditione bonorum in concursu debitoris viventis, etc. Veri etiam est simillimum, quodcumque ex his acciderit, sacra ab eo, qui iis esset adstrictus, transiisse in eum, qui facultates alterius per universitatem acciperet. Quod ita se habere inde probabile fit, quia in his rebus aliquid est hereditatis simile, et quia ipse Noster supra dixit: *sacra cum pecunia coniuncta sunt.* s Ms.

(1) *Iisdemque ferias.* Id est, iisdem pecuniis seu possessoribus pecuniarum defuncti volunt adiungi sacra, adscribique eiusdem defuncti ferias et caerimonias, quas colere solebat. W. — *Etiam dant.* De suo afferunt, ab antiquis non traditum pontificibus. Tvan.

(2) Vulgo *quod est partitio.* Lambinus et Gronov. de Sest. IV, 7, emendarunt *partitionis caput*, quod recepi. Goerenzius malebat *quod est partitionis.* — *Deducta.* Ea pars, quae deducta est ab herede, quo minus caperet quam ceteris heredibus relinqueretur. P. Manvt. — Engelbron. *Si deductio scripta non esset*: sic omnino legendum est: vide Bachium ad Brisson. de formulis p. 118. Ms.

(3) *Secus.* Dissentiunt a se ipsis: in testamento enim, quod scriptum non est, probant tamen. In donatione vero filii familias, si donavit insciente patre, non probant. P. Manvt. — Cicero videtur non simpliciter *donationem testamento*, sed testamentum filii familias donationi filii familias opposuisse: nam in his demum est repugnantia. Atque idem sequentes retinuerunt iureconsulti: nam, ut ait Gaius Pandect. lib. XVIII, tit. 1, *de filio familias*, qui in potestate patris est, testamenti faciendi ius non habet, adeo ut, quamvis pater ei permittat, testari non possit. Et tamen

natione, qui in ipsius potestate esset, approbavit, ratum est; et quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. His propositis, [1] quaestiunculae multae nascuntur; quas qui intelligat, [2] non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur; ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset; eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, [3] quam heredibus omnibus esset relicta: qui eam pecuniam exegisset, solum sine coheredibus, sacris alligari. Quin etiam cavent, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, [4] is per aes et libram heredem testamenti solvat, [5] propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

certis conditionibus, patre permittente, donare potest secundum Iulianum et Vlpianum. Pandect. lib. XXXIX, tit. 5, *de donationibus*. W.

(1) Davis. malebat *his positis*. Ante verba proxime antecedentia *quod eo insciente* inserui particulam *et*, quod iam Goerenzio placebat.

(2) Recte sic Goer. Sch. Moser. ex scriptis, ut vulgo olim. Dav. Ern. aliique, *quas qui non intelligat, si ad caput referat — perspiciat*. Error inde natus est, quod non viderunt editores interrogandi signum post *perspiciat* esse ponendum. Typ.

(3) *Superiore exactione*. Quam is cuius heres fuit, fecerat, qui, v. g. quatuor uncias exegerat. Tvan.

(4) Davis. coniicit *habere liceat*. — *Cui plus legatum sit* etc. Id est, ita accipere legatum vel hereditatem, omnino pecuniam defuncti, ut accipiens non adstringatur sacris. W.

(5) *Aes et libram*. Testamentum, ut ait Iustinianus, aut in pace fiebat, quod Calatis comitiis vocabatur: aut quum in praelium essent exituri, quod Procinctum dicebatur: aut per aes et libram, id est, emancipationem, nimirum imaginariam venditionem, quae fiebat praesentibus quinque testibus, libripende, et eo qui familiae emptor dicebatur. Itidem adoptio per aes et libram interdum fiebat. Suetonius in Augusto: *Caium et Lucium adoptavit domum per assem et libram emptos a patre Agrippa, teneroque adhuc ad curam reip. admovit*. Id etiam in nexu et venditione fiebat, et eadem iuris solennitate omnia ista etiam solvebantur. Sententia igitur

XXI. Hoc ego loco, multisque aliis quaero a vobis, Scaevolae, pontifices maximi, et homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quod ad ius pontificium civile appetatis. [1] Civilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia, pontificum auctoritate, nulla lege, coniuncta sunt. [2] Itaque si vos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas: sed quod iidem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illam eluditis. Placuit P. Scaevolae et Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, qui tantumdem caperet, [3] quantum omnes heredes, sacris alligari. Habeo ius pontificium. Quid huc accessit ex iure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum numi deducerentur. [4] Inventa est ratio, [5] cur pecu-

est: Quum libera quondam essent legata, si legatarius plus accepisset quam sine sacrorum legatione capere posset, quum legata ab herede praestanda sint, soluto per aes et libram herede, et stipulatione interposita, iam non ut legata, quum ab herede non praestentur, sed ut stipulata capiet, et sacrorum onere liberabitur. Tvrn. — *Heredem testamenti solvere* recte monet Goerenz. esse i. q. eum obligatione testamenti solvere. Mr.

(1) *Civile appetatis.* Cuius quadam subtilitate ius pontificium evertitis: nam quum pontifices velint eum sacris alligatum esse qui tantumdem capiat, quantum omnes heredes: vos calumniam quamdam iuris civilis adhibuistis, et legatarium onere sacrorum liberastis. Tvrn.

(2) Id est, pendet conservatio sacrorum ex ratione pecuniae acceptae per hereditatem. Lex tantum sacris conservandis cavet: pontifices e pecuniae ratione iudicari volunt, qui sacris adstringantur. Ern.

(3) *Caperet* recte codd. Brux. Vienn. Gud. 1, Dresd. 2 et edd. ante Davispleraeque; qui invexit *caperent*, ut est in cod. Cassel. et Dresd. 1.

(4) *Partitionis caput* est i. q. *partitio*, vel *id quod ad partitionem attinet.* Ita Cicero voce *caput* non semel utitur. Vide Cic. in Verr. act. II, lib. I, cap. 46, § 118, *in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus*; ib. Ascon. Pedian. *proprie iuris capita dicuntur.* Ceterum, quid sit *partitio*, supra a Wyttenbachio expositum est. Mr.

(5) Post *est* additur in cod. Vienn. *se*, in quo Goerenzius latere existimat *scilicet.* In proximis legitur *quid si hoc*, unde idem totum locum sic refingi posse arbitratur: *Quid huc accessit ex iure civili partitionis caput, scriptum caute ut centum nummi deducerentur? Inventa est scilicet ratio,*

Digitized by Google

nia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet iurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. *Superiores* dicebant, [1] quicquid cepisset, adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium ius, et e medio est iure civili, [2] ut per aes et libram heredem testamenti solvant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non

*car pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quid? si hoc qui* etc.

(1) Vulgo olim *super dicebant*. At Turnebus et Lambinus viderunt corrigendum esse *superiores*; idque cum Goer. aliisque recepi. — *Quicquid*) Ita Victor. Ald. Lamb. al. idque recte Goerenzius restituit, quum Ern. aliique vulgassent *qui quid*. — Codd. omnes tuentur lectionem *super*, excepto M. in quo est *simile*, et cod. W. in quo haec omnia *super.... liberantur* omissa sunt. Sed etiam lectio *quicquid* omnes libros occupat. Offensi hac lectione editores varia tentaverunt. Turnebus in primo commentario haec: » *Supra* legendum. Dixerat enim supra, tribus modis hereditatem sacris adstringi: aut si maiorem quis pecuniae partem capiat: aut si maior pecuniae pars legata sit, aut si quis quippiam inde ceperit. Nunc autem a Scaevolis sacris liberatur, qui quippiam ceperit. « Idem postea coniecit *superiores*. Videlicet quia supra cap. 20, § 49, est *antiqui docebant*, ut referatur ad pontifices a Scaevolis elusos. Ita Goer. et Sch. lidem servant *quicquid*, quod explicat Goer. *si vel tantillum cepisset*. Brutus coniecit *insuper*, quod Hüls. intelligi vult in lectione *super*, explicat enim *praeterea, porro, ceterum*. Mihi semper placuit Schefferi ratio, qui ita in notis: » dubitant de hoc loco. Turnebus iudicat scribendum *superiores*. Ego censeo connectendum cum sequenti *cepisset*, hoc ordine ac sensu: *quicquid* (in hoc ab eo discedo: lego enim *qui quid*) *cepisset super*, sc. quam omnibus heredibus relinquatur. *Super capere* sic dictum, ut *super habere* in illo notissimo *satis superque habere* pro habere plus quam satis. Ita plane hoc loco. « Melius etiam Wyttenbachius rem explicat: » Cicero scripsit *super*: nectitur cum antecedentibus hac constructione: dicebant, eum adstringi sacris, *qui* accepisset *quid super*, quam omnibus heredibus relinqueretur. « Ita est ap. Livium, XXVII, 20: *Marcellus etiam adverso rumore esse, super quam quod primo male pugnaverat*. Scriptio *quicquid* pro *qui quid* orta videtur inde, quod scribae dictantem non recte intellexerunt. Mox cod. M. *sic* pro *sacris* Mn.

(2) *Et e medio iure*, etc. Nam ius civile in nexis et mancipiis libram et aes adhibebat, quod huc Scaevolae transferunt. Tvan. — *Sacras* porro *leges*, quibus confarreationis forma praescribebatur, illas fuisse putamus,

esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea non ******[1]
(doctum hominem sane:[2] cuius fuit Attius perfamiliaris): sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare,[3] pietati esse adiunctum putabat.

XXII. Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extera sacra,[4] et gentem, inferri fas negent esse: idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit. Nec vero tam denicales,[5] quae a nece

quae cum aliis pontificio iure continebantur, adeoque a iure civili distinguebantur. Cr.

(1) Lambinus hanc lacunam, ut ait, ex codicis pervetusti vestigiis coll. Plut. Quaest. Rom. p. 272 his verbis explevit: *alligata sacris. Venio nunc ad manium iura, quae maiores nostri et sapientissime instituerunt, et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. Cuius ego rei causam, quum mecum quaererem, Brutum reperiebam iccirco a more maiorum discessisse, (nam Sisennam video causam cur is vetus institutum non servaret ignorare) Brutum autem maiorum institutum temere neglexisse, non fit mihi verisimile.* Equidem Goerenzio assentior, cui supplementum hoc genuinum haud videtur.

(2) *Doctum hominem sane* scil. D. Brutum ad quem haec pertinere intelligitur ex Plutarchi l. l. Comparavit etiam Goerenz. Brut. c. 28 et 47.

(3) Ove, quae maxima fuit hostia, sed non maxima victima. Ma. — *Hostia maxima*, id est, ex genere ovili, ut Paulus, epitomator Festi, refert p. 232. Scaliger ad h. l. p. xc ed. Santandr. 1593, ait, *victimas* de maioribus animalibus dici, *hostias* de minoribus; quam sententiam probat *de la Cerda* ad Virgil. Georg. II, 146. — *Parentare* est mortuis, seu diis manibus, sacrificare. W. — De *hostiis* et *victimis* vid. etiam Fronto de differentiis vocabulorum, t. II, p. 482 ed. A. Mai. Mediol. Cr.

(4) Sic legendum esse Pearcius vidit. Idem confirmat cod. Brux. Gud. 2. Cassel. et receperunt edd. Oxon. Goerenz. (et Moser.) Vulgo *extra sacra*. — Ad *gentem* suppl. ex anteced. *exteram*.

(5) *Denicales*. Sic hunc locum primus omnium quod sciam, restituit Aemarus Ranconetus, vir clarissimus et eruditissimus: » Denicales, inquit Festus, feriae colebantur, quum hominis mortui causa familia purgabatur. « Gellius, XVI, 4: *Nisi harumce quae causa erit, funus familiare,*

appellatae sunt, quia residentur mortuis, quam ceterorum caelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre ius, [1] ut ne ipsius neque publicae feriae sint: totaque huius iuris compositio pontificalis magnam re-

*feriae denicales. Calendaeque, quae non eius rei causa in eum diem collatae sint.* Sunt autem hae feriae privatae, ut Feralia et Parentalia, de quibus supra egimus, publicae. Festus: *Privatae feriae vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, et operationes denicales.* Tvrn. — *Quia residentur.* Id est, quia feriamur mortuis. Residere enim feriari est, a quiete feriarum ducto vocabulo. Plautus in Captivis, act. III, sc. 4, 8: *Ita venter gutturque resident esuriales ferias.* Sed et *sedere* idem quoque declarat. Varro L. L. lib. V, p. 46: *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi.* Quinetiam possidere ferias, ab eadem est origine. Plautus in Epidico, act. III, sc. IV, 33: *Tuas possidebit mulier faxo ferias.* Tvrn. — Canneg. de Notis, p. 340: « *Quia residentur mortui.* An legendum *resident*, id est, quiescunt, aut *residunt*, hoc est, in terram, in sepulchrum immittuntur tum mortui? » Cn. — *Quia residentur mortuis.* Legendum videtur, *quia residetur mortuis*, ut sit impersonale, hoc est, quia cessatur mortuis: vel *quia resident mortuis*; hoc est, quia homines resident, cessant et feriantur mortuis. Quod si quis volet retinere *residentur*, quo modo habent libri veteres, legendum *quaeque residentur mortuis*: ut sit, quae feriae residentur, id est, quasi cessantur, seu colantur cessando ac residendo mortuis. Atque haec scriptura mihi magis placet: nam haec lectio, *quae a nece appellatae sunt, quia residentur*, seu *residetur mortuis*, durior est: non enim videri possunt idcirco dictae esse denicales feriae a nece, quod residetur mortuis; sed a necando potius. Itaque putavi aliquando Ciceronem hic etymum vocis *denicales* ponere voluisse, et ita scripsisse: *quae a nece dictae sunt, quia neci dantur mortui.* Lamb. — *Mortuis* rescripsi, quod Salmasio placuit, pro vulg. *mortui*. Est enim i. q. *in honorem mortuorum.* Schvtz. — *Quia residentur mortuis.* Id est, quia feriae denicales aguntur v. coluntur cessando, i. e. residentur in honorem mortuorum. Ita cum Schütz. edidi ex sententia Salmasii ad Plaut. Epid. III, 4. Cn. — *Quam ceterorum.* Denicales non aeque ac ceterorum caelitum quieti dies, feriae nominarentur, nisi diis manes essent. Tvrn.

(1) *Eas in eos dies*, etc. *Eas*, sc. ferias denicales, ius est conferre in eos dies, sc. mensis februarii, quo omnibus mortuis parentabatur: ut hae feriae neque sint *ipsius*, id est unius (privatae) familiae, neque *publicae*, quia non publice parentabatur, sed privatim ab unaquaque familia. W. — *Vt ne ipsius.* Sic Gruterus e compluribus Mss. Vulgo *quibus neque ipsius*, ex coniectura Turnebi. Davis. *ubi neque ipsius.*

ligionem caerimoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, [1] quod genus sacrificii lare [2] vervecibus fiat; quemadmodum os resectum [3] terrae obtegatur; quaeque in porca contracta iura sint; [4] quo tempore incipiat sepulcrum esse, et religione teneatur. Ac mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud [5] fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. [6] Redditur enim

(1) Id est, quando luctus desinat. *Familia funesta* dicitur ea, quae in luctu est propter mortem hominis cognati vel affinis. W.

(2) Recte sic Goerenz. pro vulg. *lare*. — Servavimus scriptionem *Lare*, quum nullus liber habeat *Lari*; neque vero ut ablativum casum, sed ut antiquam ex sermone vulgari a Cicerone receptam dativi formam, de qua vid. K. L. Schneid. *Latein. Forment.* I, p. 200-203. Scripsi item antiquo more *verbecibus*, quum ita exhibeant quinque Goerenzii libri, et plures *verberibus*. Ernestus immerito verbis *quod genus* offenditur, quum sint i. q. cuius generis sacrificium. Goerenz. edidit *Lari*, quod etiam volebat Schützius; sed hoc quoque loco, ut sexcenties, contextus cum notis non consentit. — Dissensionem fere ubique sustulimus; hic tamen Moserum sequimur. Typ.

(3) Vere hoc Goerenzius, auctore Lambino, reposuit pro vulg. *reiecto*. Cf. Ind. Lat voc. *resectus*. — *Os res. terra obtegatur*. Ita dedi cum Goer. contra codd. omnium auctoritatem, quum vulgata, utcumque se torqueant interpretes, sensum non habeat. Wagnerum cum Turnebo *os* de *ore* s. de capite accipientem, refellit Goer in Excursu I. Videlicet a cadavere igne cremando digitus rescindebatur, qui reliquo corpore combusto terrae mandaretur, quoque demum ritu sepultura compleretur. De qua re Veterum loca congessit Kirchmannus de Funeribus Romanorum, III, 7, p. 234 sqq. Ms.

(4) Qui iusta defuncto non fecerunt aut in faciendo peccarunt, iis *porca contrahitur*, quam singulis annis immolari oporteat. Ea vero *praecidanea* vocabatur, quod antea caederetur, quam novas fruges gustarent. Dav. — *Quaeque in p. c. iura sint*) *Ius contrahitur in porca* dictio est, ut in fine capitis *porcam heredi esse contractam*, i. e. suscipere sacrificium porcae, tamquam debitum solvendum. Ita est apud Liv. lib. V, c. 44, *nefas contrahere*, id est, committere nefarium facinus poena expiandum Conf. idem lib. V, cap. 52, et Papinianus, Digest. lib. VI, tit. 5, Leg. 31, 2, *contrahere culpam*. W. — *Incipiat sepulcrum* Non ante incipit sepulcrum esse, quam est iniecta gleba, ut mox dicet, nec ante religione tenetur, quam corpus ustum est, reliquiaeque conditae. Tvan.

(5) *Illud* reposuit Goerenz. e quinque suis et omnibus Davisii codd. Vulgo *id*.

(6) *Apud Xenophontem Cyrus*. Sic enim apud Xenophontem, Cyrop. lib. VIII, cap. 7, humari se praecipit

terrae corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur:[1] eodemque ritu in eo sepulcro, quo haud procul a Fonti ara,[2] regem nostrum Numam conditum accepimus; gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor, acerbiore odio

Cyrus, Τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτ' ἐν χρυσῷ, μήτ' ἐν ἀργύρῳ, μηδ' ἐν ἄλλῳ μηδενὶ θῆτε, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε· τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ τῇ γῇ μιχθῆναι, ἡ πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ τἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει. Id est, *Meum autem corpus, filii, quum e vita migraro, neque in auro, neque in argento, neque alio quopiam loculo condatis, verum terrae quamprimum reddatis; quid enim praestabilius ac beatius, quam eum humo misceri, quae omnia pulchra, omnia bona parit et educat?* Apparet utrumque genus sepulturae Xenophontis aetate in usu fuisse, sed a Xenophonte humationem praeferri. Sic Crito in Phaedone Socratem interrogat, quomodo sepeliri vellet, id est, urine an humari: et Socrates in Phaedone utrumque genus complectitur, quum dicit: Καὶ μὴ ὁρῶν μου τὸ σῶμα ἢ καιόμενον, ἢ κατορυττόμενον ἀγανακτῇ. Id est, *Ne aegre ferat Crito corpus meum uri aut humari cernens.* Humationem etiam Cicero ustioni anteponere fere videtur. Tvan. — Xenophonteo loco adiunge hunc Platon. in Menex. pag. 237, p. 383 ed. Bekkeri: ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς τῆς χώρας ἐν ᾗ ᾤκουν, καὶ νῦν κεῖσθαι τελευτήσαντας ἐν οἰκείοις τόποις τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης καὶ ὑποδεξαμένης. Cr. — *Redditur enim terrae corpus*) Quo humationis genere, diu a nobis exoptato, iam tandem vivi fruimur. Tvr.

(1) Nam terra novissime complexa gremio iam a reliqua natura abnegatos, tum maxime, ut mater, operit. *D.*

(2) Ita partim ex codicum vestigiis, partim ex coniectura restituendum esse existimavi hunc locum a multis tentatum, necdum ad liquidum perductum. Vulgo, *quod procul ad Fontis aras. Quo* recepi ex Copp. Vict. a. *haud* ex litera *d*, quae in omnibus fere libris voci *quo* adhaeret, *procul* est in libris omnibus (quod stare non posse absque negatione bene viderunt edd. quare vel *non* addiderunt, vel *prope* scripserunt, vel eam vocem induxerunt); *a* et *ara* in plurimis codd. esse testatur Dav. *ara.* Turn. reperit in uno: et *a* est in codd. Cr. W. M. Copp. Victt. a. denique *Fonti* recepi ex egregia Wagneri coniectura, cui ansam dedit locus Arnobii adv. Gentes, III, p. 69: *Ianum ferunt Caelo atque Hercule procreatum in Italia regnasse primum, Ianiculi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Iuturnae maritum.* Inde coniecit Wagner. nimis certe libere, *quod prope Ianiculum ad Fonti aras.* Nostram vero lectionem etiam illud firmat (quod iam Wagn. animadvertit), quod nunc cum Plutarcho in Numa, cap. 22, et Livio, XL, 29, convenit Nostro; illi enim in Iani-

incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens. [1] Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, [2] primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Declarat etenim Ennius de Africano, [3] *Hic est ille situs.* Vere: nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta, et corpus ingestum [4] est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut

culo sepultum esse narrant Numam; ibidem autem Fonti, qui fuit Iani filius, aram fuisse consentaneum est. Accedit: quod fere aliter fieri non potuit, quam ut librarii *Fonti* nomen, quod ne fando quidem umquam audiverant, facillima (ut opinabantur) medela in *Fontis* mutarent. Rathius coniecit: *quod non procul a Fontis ara erat.* Goerenzius aliquando se coniecisse ait *quod ad Iani aras*; dedit autem *quod* (*procul*) *ad Fontis aras*; Sch. cum Dav. vocem *procul*, incommodam scilicet, plane eiecit. Ma. — Cann. l. l. legi vult: *quod haud procul a Fontis ara est.* Cr.

(1) Id est, quam incitatus fuisset si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens. Tyrr. — *Quam fuit felix.* Sic malo quam *vehemens*, quod antea legebatur. Malo autem, quia et in antiquo sic est, et habet quiddam, quod magis cum sententia congruere videatur. P. Man.

(2) Codd. complures *an timens suo corpori posset accidere.* Lambinus emendavit, *timens ne corpori suo posset accidere*; nec dubitari potest, quin illa recta sit loquendi ratio. Altera tamen contra fidem codicum non est respuenda; quod paullo pluribus confirmatum dabo. Lucret. III, 774: *An metuit conclusa manere in corpore putri?* Virgilius in Ciri, vs. 360: *Namque ipso verita est orbari moesta parente.* Horatius, lib. III, Od. xi, 10: *Ludit exsultim, metuitque tangi.* Et lib. I, Ep. xvi, 60: *Labra movet metuens audiri.* Dav. — Haec satis superque sunt, ne reliqua a Davisio allata hic transcribam. Typ. — Recte Goerenz. contra Lambinum vulgatam probam esse contendit, neque vero Davisii longa demonstratione opus fuisse ait, ut probetur, Ciceronem cum poëtis esse loquutum. *Timens* enim si ponitur pro *existimans*, non magis, quam hoc, respuit accusativ. cum inf. quamquam ea lectione nihil mendosius esse posse contendat Rathius. Ma.

(3) Versus sunt Ennii apud Senecam ep. 109. *Hic est ille situs, quoi nemo civi' neque hostis Quivit pro factis reddere oprae pretium.*

(4) Ita cum Guer. et Sch. scripsimus ex Davisii emendatione, ad quam proxime accedit codicis Pal. lectio *intestum*, et duorum ap. Goer. *incestum. Incensum* stare nequit, quia de humandis corporibus sermo est. Ma. — Vir doctus in Miscell. Obss. III, 4, p. 70: „Coniectura lego *et corpus intectum est*, hoc est *tectum*; idque probabilius mihi videtur, quoniam verbum *intectum* ab aliquo mu-

humati dicantur,[1] id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contegeret ; eumque morem ius pontificale confirmat. Nam priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Iniecta gleba , tum et illic humatus est, et gleba vocatur;[2] ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Itaque in eo , qui in navi necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram , quod os supra terram non exstaret : porcam , heredi esse contra-

tatum esse potuit, qui credidit, *intectum* tantummodo significare posse *apertum*, *non tectum*. » Ca. — Equidem, ut verum fatear, vel propter lectionem cod. Pal. *intestum*, hanc viri docti coniecturam prae Davisii emendatione amplexus essem, nisi scirem, verbo *intego*, *intectus*, Ciceronem, in his quidem libris, qui exstant, non esse usum. Wagnerus, qui offensus voce *tamen*, haec omnia *nec tamen... est* eiecta vult, non est audiendus, quia in iure et legibus, ne ambiguitati sit locus, saepe aliquid additur, quod alibi facile sua sponte intelligatur. Ma.

(1) Sic Turn. Lamb. Goerenz. (et Moser). Codd. Mss. *penitus humati dicantur*. — Perperam ed. parvula (Goerenz. minor): *in omnibus sepultis venit*. Nam simpliciter *venit* non dicitur pro *usu venit*, *contingit*, *usurpatur*. Turnebus ex veteri lectione *penitus* sagaciter restituit : *in omnibus sepultis ponitur*, *ut humati dicantur*. Nam verbum *ponere* praecipue dicitur de nominibus pro *imponere*. W.— Ita Noster de N. D. I, 17, 44: *sunt enim rebus novis nova ponenda nomina*. Ceterum non diffiteor, mihi dudum esse visum in voce *penitus* latere lectionem *venit usu*. Ita etiam, inverso ordine usitato, neque *usu venire*, legitur in edd. nonnullis vett. apud Nostrum de Fin. I, 3, 8: *sed ex eo credo quibusdam venire in usu, ut abhorreant a Latinis*. Ma.

(2) Davisius verba *humatus est et gleba vocatur* insititia esse existimat. Sed illa *humatus est* recte defendit Goerenz., etsi quae sequuntur *et gleba vocatur* speciem habent glossematis. Lambinus e Memmiano dedit *et humatus est et tumulus vocatur*. — *Priusquam in os iniecta gleba est*. Os illud resectum, seu amputatum ex mortui corpore, tegebatur gleba. Iam reliquo corpore cremato, locus, ubi corpus erat crematum, nihil habebat religionis, nisi illi ossi iniecta erat gleba : et tum demum ille locus dicebatur *tumulus*. W. — *Tum et illic humatus est, et gleba vocatur*. Nihil muto, ne violentius agere videar, quamquam neque hanc vulgatam, neque alicuius libri veteris lectionem sanam puto. Cur placere non possit, satis, credo, Dav. exposuit. Equidem desidero : *Iniecta gleba tum et illic humatus est et conditus vocatur*; ut supra ait : *nam siti dicuntur, qui conditi sunt*. Vocis *conditus* primam syl-

ctam, habendas [1] triduum ferias, et porco femina piaculum pati. Si in mari mortuus esset, eadem, praeter piaculum et ferias.

XXIII. *Att.* Video, quae sint in pontificio iure. Sed quaero, quidnam sit in legibus. *M.* Pauca sane, Tite, et, uti arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum. *Hominem mortuum*, inquit lex in XII, [2] *in urbe ne sepelito, neve urito.* Credo, [3] vel propter ignis periculum. Quod autem addit, *neve urito*, indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. *Att.* Quid? qui post XII in urbe sepulti sunt, clari viri? [4] *M.* Credo, Tite, fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt; aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt. [5] Sed

labam agnoscere possis in prima litera vocis *gleba*. Compendium enim vocis *con* in multis libris, etiam in cod. nostro Cr. mox in voce *contra* figuram habet literae *g* simillimam. Mr.

(1) Vulgo *et habendas*. Sed copulam recte Goerenzius eiecit. — Lemaerii editio habet: *non exstaret: contra, porcam heredi esse contractam, et habendas* etc. Typ.

(2) Vulgo addebatur *tabulis*, quod in Brux. Vien. Gud. utroque omissum Davisius et Goerenz. expunxerunt. (omisit et Moserus.)

(3) Ante *vel* Davisius excidisse putat *vel propter cadaverum foetorem* aut aliquid in eandem sententiam. Sed assentior Goerenzio, qui illud *vel* dictum putat pro *vel maxime*.

(4) *In urbe sepulti*. Initio quisque in suis aedibus sepeliebatur: hanc ob causam Lares coluerunt. Id deinde lege XII Tabul. prohibitum fuit, quae vetuit ne quis in urbe sepeliretur. Cineres tamen virorum triumphalium, imperatorum, summorum ducum, virginum Vestalium in foro condi licebat. Plutarchus in Quaestionibus Romanis etiam ius fuisse hominis triumphalis ossa in urbem inferri, et sepeliri ait: quod idem imperatoribus eximiis et viris praestantissimis concessum fuisse scribit: eorumque etiam posteros ius idem usurpasse, ut in foro sepelirentur. Ita sepultum Valerium, et solutum legibus fuisse Fabricium, eorumque posteros id ita tenuisse, ut illato in forum cadaveri facem supponerent: deinde extra urbem efferrent, satis habentes sine invidia in speciem id sibi vindicare. T.

(5) Verba *soluti legibus* a tribus Goerenzii nostrisque codd. Cr. W.

Digitized by Google

in urbe sepeliri lex vetat. Sic decretum a pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulcrum. Nostis extra portam Collinam aedem Honoris: et aram [1] in eo loco fuisse, memoriae proditum est. Ad eam quum lamina esset inventa, et in ea scriptum lamina: HONORIS: [2] ea causa fuit aedis huius dedicandae. Sed quum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt: [3] statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari. Iam cetera in XII, minuendi [4] sumptus lamentationesque

absunt: » ex vitio, ait Goer, opponuntur enim praegressis *ante hanc legem.* « Sed quum Fabricii nomen audivisset Atticûs; qui quando vixerit eum certe non fugiebat, temporis significatione repetita sane non opus fuit. Ego quidem, quum in Copp. Victt. b. reperissem *non sequuti* pro *consequuti*, et in cod. M. (cuius scriptorem de suo ingenio aliquid attulisse nemo suspicabitur) legissem: *virtutis causa soluti legimus, non sequuti sunt*; mihi orta est suspicio Ciceronem scripsisse: » aut eos, si qui hoc (i. e. illa lege, quae, ne quis in urbe sepeliatur, vetat) ut C. Fabricius, virtutis causa soluti sunt. « Erat enim in quibusdam libris perperam scriptum *sequuti*: quod quum falsum esse vidisset alius, in margine adscripsit: *soluti leginus, non sequuti.* Quam glossam quum homo quidam, qualis fuit scriptor codicis M. in contexta recepisset, ne quid perire sineret, acutior eum insecutus mutavit *legimus* in *legibus*, et, ut opus compleret, verba *non secuti*, quae iam sensu carebant, mutavit in *consequuti*. Ex eodem fonte fluxit etiam, quod est in Copp. Victt. b. *solutis legibus* Ma.

(1) Pro *et aram* Vict. Turneb. P. Manut. al. electa copula, *aram*.

(2) Vulgo *domina honoris*. Sed *domina* prorsus inutile esse docuit Goerenzius, idque uncis inclusit. — *Et in ea scriptum lamina: honoris*. Ita, neque vero scribendo *lamina honoris*, ut voluerunt Turnebus et Lambinus, restitutum credo locum. Eodem modo supra Noster substantivum repetit, I, 2: *Tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent.* Frustra Goer. in ed. min. scripsit *dominai honoris*, quam lectionem postea silentio pressit et in ed. mai. vocem *domina* uncinis inclusit, ut eiiciendam. Et quamvis non facile aliquis dixerit, qui fieri potuerit, ut, si huius vocabuli loco nihil scripsisset Cicero, vocabulum tam ineptum irreperet, Schützius tamen Goerenzio ita obtemperavit, ut eam vocem eiicere, quam corrigere mallet. Ma.

(3) Id factum est, ut ostenderetur locum religione non teneri; quod nefas fuisset, si locus religiosus fuisset. Qui locum in quo cineres patris erant ararat, in eum dictum esse mordaciter legimus, Id esse sepulchrum patris colere. Tvrn.

(4) *Sunt* vulgo omissum cum Goe-

funeris, translata de Solonis fere legibus. *Hoc plus*, inquit, *ne facito.* [1] *Rogum ascia ne polito.* Nostis quae sequuntur: discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium: quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis, [2] et vinclis purpurae, [3] et decem tibicinibus, [4] tollit etiam lamentationem: *Mulieres genas ne radunto*, [5] *neve lessum funeris ergo habento.* Hoc veteres interpretes, Sex. Aelius,

renzio addidimus, quod agnoscunt praeter codd. ab eo collatos, Davisiani duo Oxx. et edd. vett. complures.

(1) I. e. ne facias, inquit lex, plus, quam hoc, sc. quod lege concessum est. W. — *Rogum ascia ne polito.* Ascia dolabrae genus poliendis lignis aptum. Ne autem ex politis fiat lignis pyra lex cavet. Sic ἀσκίπαρνον θάκον dixit Sophocles, impolitum sedile, non exasciatum, ascia non politum. Tvrn.

(2) Ricinium, inquit Festus, omne vestimentum quadratum. Hi qui Duodecim interpretati sunt, dixere togam qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo. Ricinium autem dictum putat, quod eo uterentur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum iaciebant, a reiiciendo. Solon quoque mulieres cum tribus dumtaxat vestibus ad pompam funebrem exire voluit: nimirum ut lamentatio et sumptus tolleretur. Plutarchi verba sunt, Οὐδὲ συντίθναι πλέον ἱματίων τριῶν. Proinde locum hunc de vestimentis muliebribus intelligo: cui interpretationi suffragatur Varro apud Nonium his verbis: *Vt dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso, pullis palliis amictae.* Rursus Varro: *Et quum mulieres in adversis rebus ac luctibus omnem vestitum delicatiorem et luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumant.* Sunt igitur *ricinia* vestimenta mulierum lugubria. *Recinium* multi scribunt, quibus adstipulatur etymologia Festi. Tvrn.

(3) Pro *vinclis purpurae*, codd. plerique *vincla purpurae* Vrsin. conj. *rica p.* Turn. *tunicula purpurea.* Dav. *clavatis purpura.*

(4) Vrsinus corrigendum putabat *siticinibus.* — Malim *demptis tibicinibus*, id est, deminuto eorum numero. *Purpurae vincula* interpretor, limbos purpureos. Canneg.

(5) Id est, ne lanianto, ne laceranto. Solon, inquit Plutarchus in Solone, pag. 90: Ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν. Id est, *Lacerationes plangentium sustulit.* T. — *Neve lessum.* Cicero, Tusc. II, cap. 22: *Et hic nimirum est fletus, quem XII Tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt.* Lessus autem eiulationem significat, voxque est fictitia per onomatopoeiam. Plautus, Trucul. act. IV, sc. II, 18: *Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio. Lessum* autem *habere*, ea dicitur forma, qua *ferias habere*, *habere comitia*, ut quum hera familiae lamentationem toti imperat, aut praeficam adhibet, quae et ipsa lamentetur, et ceteris det modum plangendi. Tvrn.

Digitized by Google

L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris; L. Aelius, lessum, quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat. [1] Quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis [2] id ipsum vetat. Haec laudabilia, et locupletibus fere cum plebe communia. Quod quidem maxime e natura est, tolli fortunae discrimen in morte.

XXIV. Cetera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerunt. *Homini*, inquit, *mortuo ne ossa legito*, [3] *quo post funus faciat.* Excipit bellicam peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus: *servilis unctura* tollitur, [4] omnisque *circumportatio*, [5] quae et recte tolluntur, neque

(1) Nempe a *le*, *ie*, i. q. *ĕ*, *ē*, eiulantium voce.

(2) Apud Plutarchum in Solone pag. καὶ τὸ κοπτύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν.

(3) *Homini mortuo.* Lex praecipit, ut quo in loco quis ustus fuerit, ibidem statim sepeliatur, quod Bustum appellat Festus: ut quum alibi quis uritur, alibi sepelitur, Vatrinam: aut ut ossa lecta sine exsequiis terrae mandentur. Id autem vetat ne duplicentur impensae, si usto cadavere ossa legantur, deinde aliis exsequiis sepeliantur. Excipit tamen eos qui vel peregre, vel militiae perierunt, ac usti sunt: quorum reliquias maiorum sepulcris inferri pium est. — *Quo post funus.* Legat ut in urna condat, non ut alias exsequias paret. T.

(4) Vulgo: *in legibus de unctura; quibus servilis unctura tollitur.* Sed verba *de unctura quibus* melius absunt, quod viderunt Davisius (qui tamen etiam *servilis* tollendum censebat) et Goerenzius, qui Davisio hactenus assensus est, ut *servilis* movendum esse negaret. — *Servilis unctura* est ea, quae servis adhibebatur. Alii (male) accipiunt de unctione, quae fit a servis. W. — *De unctura.* Tollit uncturam qua cadavera a pollinctorum familia, ex quo servilem eam appellat, ungebantur. Nam et a iurisconsulto scribitur, *Si Libitinarius servum pollinctorem habuerit.* Lex tamen XII Tab. non observabatur, praesertim quum tam saepe *pollinctorum* Plautus meminerit. TVRN.

(5) Vere sic emendavit Goerenz. e cod. Brux. Vien. Gud. 1. Dresd. al. vulgatum *circumpotatio.* — *Circumpotatio.* Convivium funebre interpretantur, quod Graeci περίδειπνον et τάφον vocant, et Latini, ut quidam censent, silicernium. In eo, ut opinor, invitatio quaedam in orbem fiebat obba. Tertullianus Apol. cap. 13: *Quo differt ab epulo Iovis silicernium? a simpulo obba? ab aruspice pollinctor?*

tollerentur, nisi fuissent: ne *sumptuosa respersio*; [1] ne *longae coronae*, nec *acerrae* praetereantur. [2] Illa iam significatio est, [3] laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod *coronam virtute partam*, et ei, qui peperisset, et eius parenti, sine fraude esse lex impositam iubet: [4] credo, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur,

Coenam funeris vocat Persius, Satir. VI, 33: ....*sed coenam funeris heres Negliget iratus*. Quem tamen locum etiam exponunt de epulis quae rogo inferebantur: de quibus Plinius ita scribit H. N. lib. X, c. 12: *Notatam in iis rapacissimam et semper famelicam alitem nihil esculenti umquam rapere e funerum ferculis*. Sed et nono die sacrificium fiebat novemdiale, conviviumque dabatur, eoque die parentalia concludebantur. Sed circumpotatio dicebatur fortasse, quod, antequam cadaver efferretur, ut ordo verborum Ciceronis indicat, in orbem biberetur, quod Graeci περισοβεῖν τὴν κύλικα dicebant. Sed et feralibus ad sepulcra epulae ferebantur, quae erant publicae feriae, ut diximus. Tvrn.

(1) Vnguentis rogum adspergebant, aliisque liquoribus, ut vino; vinum olim quoque respersum dicebatur, quo sepulcrum respergebatur. Tvrn.

(2) *Longae coronae*. Quae sepulcris imponebantur, ut docet Plinius, et in funere ferebantur. Eius verba sunt: « Et iam nunc coronae deorum honos erant, et Larum publicorum privatorumque ac sepulcrorum, ac manium. » *Longas* lemniscatas et taenias habentes interpretantur. Ego autem *longas*, magnas et grandes. Maiores enim fiebant quam quibus uti in consuetudine solebant. Sic magnae erant donaticae, quibus victores in ludis donabantur, quae, magnificentiae causa, institutae erant supra modum aptum capitibus, qua amplitudine fiebant quum Lares ornabantur. Sed et Aesculapio magnas coronas fieri solitas scribit Aristides. Eius verba sunt, Εδόκουν στέφανον πέμπειν τῷ θεῷ τῶν μακρῶν, οἷοί εἰσιν οὓς ἰδίᾳ τῷ Ασκληπιῷ κομίζουσι. *Videbar coronam mittere Deo longam, quales Aesculapio offerunt.* Tvrn. — *Acerrae*. Acerrae, auctore Pompeio, arae erant ante mortuum poni solitae, in quibus odores incendebant: quamquam alii arculam thurariam interpretantur. Tvrn. — Pro *nec acerrae* mallem *neve acerrae*. Expono: Verba legis, hoc, si sensum perspexeris, iubentis, ne *sumptuosa fiat respersio*, *ne multae coronae*, *neve acerrae*, praetereantur a nobis silentio.

(3) Lex quae civicam coronam aut obsidionalem imponi permittit ei, qui eam sit virtute meritus, significat satis ornamenta virtutis non ad vivos tantum, sed etiam ad mortuos pertinere. Tvrn.

(4) *Sine fraude*. Sine poena, sine periculo. Vide Servium in Aen. X, 72; XI, 708, ac interpretes ad Sallustii Catil. cap. 36. Dav. — *Sine fraude*. Id est, *sine noxa*, *sine damno*. Vid. Hor. Carm II, 19, 20. Ca.

Digitized by Google

idque ne fieret, lege sanctum est. [1] Qua in lege quum esset, *neve aurum addito*, quam humane excipit altera lex, *quoi auro dentes vincti escunt*, [2] *ast im cum illo sepelire urereve, se fraude esto*, et simul illud videtote, aliud habitum esse, sepelire et urere. Duae sunt praeterea leges de sepulcris. Quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavet. Nam quod *rogum bustumve novum* vetat *propius sexaginta pedes adiici aedes alienas, invito domino*, incendium veretur acerbum. [3] Quod autem *forum*, id est, vestibulum sepulcri, *bustumve usucapi* vetat, tuetur ius sepulcrorum. Haec habemus in Duodecim, sane secundum naturam; quae norma legis est. Reliqua sunt in more: funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. [4] *Honoratorum virorum laudes in*

(1) Ita h. l. constituit Goerenzius. Vulgo *credoque — plures sternerentur, id quoque ne fieret, lege sanctum est.* Et *insternerentur* est in cod. Brux. Vien.

(2) *Quoi auro.* Quidam sibi dentes eburneos inserebant, et auro vinciebant. Martialis: *Sic dentata sibi videtur Aegle Emptis ossibus Indicoque cornu.* Lucianus: Τέτταρας ἔτι λοιποὺς ὀδόντας ἐχούσης, χρυσίῳ καὶ τούτους ἐνδεδιμένους. Id est, *Quae quatuor modo reliquos dentes haberet, eosque auro vinctos.* Tvrn. — *Escunt.* Id est, erunt. Lamb. — *Im* antiquo more *eum* dicit. Tvrn. — *Se fraude.* Antiquo more, pro sine fraude. Tvrn.

(3) *Incendium veretur acerbum.* Nihil mutavi, quum nostri quoque, ut Goerenzii, libri in vulgata conspirent, nisi quod cod. M. ut Davisii Paris. habet *vetat* post *acerbum.* Numquam tamen mihi persuadere potuerit Goer. locum sanum esse, quia fortasse nescio quid superstitionis in eiusmodi incendio posuerint Veteres. Mihi cum Wytteubachio (in scholis) placet Lambini lectio: *incendium videtur arcere.* Idem tamen Wyttenbachius ad marg. edit. Goer. min. coniecit *incendium veretur ad urbem.* Fortasse etiam aliquis coniiciat *incendium (eo) arcetur ad urbem*, vel *ab urbe.* Ma.

(4) *Accenso.* Ministri sunt magistratuum accensi, qui populum vocabant, ab *acciendo* vocati ut alii censent, quod initio ad censum populum vocarent. — *Lictoribus.* Ad prehendendum, tenendum, abducendum, plectendum lictoribus utebantur magistratus qui lictores habebant. Conceditur domino funeris lictor, ut in multitudine coërcere possit insolentiores et ferociores. Nam qui ludos faciebant, propemodum in magistratu

*concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur:* [1] cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur.

XXV. *Q.* Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari; maiorumque sapientia admodum delector. *M.* Sed credo, [2] Quinte, ut ceteri sumptus, [3] sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa exstarent exempla maiorum. Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur [4] sumptus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligunt in primis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. [5] Nec

quodam constituti videbantur: hisque ius praetextae ferendae erat, ut magistratibus. Tvrn.

(1) *Memorantor... prosequitor* bene restituit Goerenzius adiuvantibus etiam codd. nonnullis et edd. vett. pro vulg. *memorentur.... prosequatur.* — Valde placet Wyttenbachii ratio, qui ita ad h. l. « Praestat veterem lectionem retinere *memorentur... prosequatur*: non enim pars legis XII Tabb. haec est, sed *moris*, pendetque ab antecedentibus: *reliqua sunt in more... ut*, etc. De laudationibus funebribus Romanorum vid. Quintil. Instit. Orat. lib. III, c. 7; Tuscul. Quaest. lib. I, cap. 2, ib. Davis. *Honorati viri* dicuntur, qui honores gesserunt, i. e. maxima reipublicae munera, praeturam, consulatum, censuram. Ms.

(2) *Sed credo, Quinte.* Ita pergit Marcus oratione continuata, quasi Quintus nihil dixerit; quod est in dialogis usitatum. Hoc monere volui, quia video nonnullos de mendo suspicari, offensos, ut puto, particula *sed*. Dav.

(3) Ita Victor. Turn. P. Manut. Davis. Oliv. it. Goerenz. e quinque suis codd. et duobus Oxx. *ceteri sumptus* genitivi sunt. Male alii, ut Ernestius, *ceteros sumptus.*

(4) Davis. conj. *iubemur.* — Wagn. quoque vel *iubemur* desiderat, vel *iubent*. Prius placet etiam Wyttenbachio ad marg. ed. Goerenz. min. Et accuratius certe loqueretur Noster; quam vero ἀκρίβειαν nimiam appellat Goer.: fortasse in lectione cod. M. *iubentis* vera auctoris manus latet, ut pro *quo* legendum sit *eodem*. Ms.

(5) Sepulchrorum modum apud Romanos arguunt haud pauci tituli mediocritatem excusantes. Hinc huiusce modi formulae: *pro paupertate sua; ex sua paupertate; e mediocritate sua; quod potuit.... fecit*, et similes, itidemque deminutiva, ut *casula*, *memoriola*, *ariola*, *atriolum*, *aedificiolum*, etc. Rarum illud, quod apud

Digitized by Google

haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos [1] a Cecrope, ut aiunt, permansit, *ocius* terra humandi: quam quum proximi iniecerant, [2] obductaque terra erat, frugibus obserebatur, [3] ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur; solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati: [4] apud quas de mortui laude quum, si quid veri, erat praedicatum (nam

Muratorium legitur, pag. 1405: *Oblitus mediocritatis suae hoc monumentum instituit*, docente Marinio in Actis Fratrum Arvall. I, p. 184 sq. Cs.

(1) *Iam olim more* coniecit Roeverus probante Valkenario ad Ammon. *ocius* e Mss. Goerenz. edidit. Vulgo *hoc ius*. — *A Cecrope*. Cecrops, natione Aegyptius, Athenas venit, illicque regnavit. Biformem fuisse in fabulis relatum est. Is, ut Arnobius ex Antiocho refert, Athenis in Minervio sepultus fuit: ac mos humandi ab illo ad Draconem et Solonem, qui leges Atheniensibus scripserunt, permansit. Atque, ut refert Aelianus, V. H. VII, 19, corpora humare Athenienses solebant in occasum conversa, quo argumento contra Megarenses Lacedaemoniis iudicibus Solonem usum refert. Thucydidis aetate cadavera cremabant Athenienses: sic enim lib. II scribit: Επὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον. Tvan. — Inter Graecos mortuorum tam cremandorum, quam terra condendorum mos obtinuit. Multo tamen frequentior erat crematio; cuius solius apud Homerum superest memoria. Adeantur Everardi Feithii Antiq. Homer. I, 14. Eius initium ad Herculem refert Andronis fide nixus Scholiastes minor in Iliad. A, 52, repugnat autem Eustathius, pag. 32. Dav.

(2) Vulgo olim *quam quum proximi fecerant*. Manutius e coniectura *q. q. p. iniecerant*. Davis. maluit *quod quum proximi fecerant*.

(3) Frugum satu expiatum solum profanum reddebatur, ne qua religio inesset. Iaciebantur et fruges interdum honoris causa, ut Valerius ostendit de Curtio ita scribens, lib. V, cap. 6, 2: *Super quam universi cives honoris gratia certatim fruges iniecerant*. Liv. VII, 6: *Donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas*. Tvan. — *Gremium quasi matris*. Hegesippus, III, 17, p. 447: *Priventur quasi quodam matris gremio, terrae sepulchro*. Dav. — *Gremium quasi matris mortuo tribueretur*. Conf. infra cap. 27, § 67, et Livii I, 56: *terram osculo contigit: scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset*. Cs.

(4) *Inire epulas* exquisite dicitur, ut apud Ciceronem in orat. pro Roscio Amerino, cap. 17, *filius convivia cum patre non inibat*. — *Coronati*, id est, laeti, quasi non amplius in luctu essent: nam coronae non adhibebantur in luctu. W. — *De mortui*. Graeci solebant mortuos in

mentiri nefas habebatur), iusta confecta erant. [1] Postea, quum, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera, et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt: nam de tribus riciniis, et pleraque illa Solonis sunt. De lamentis vero expressa *verba* sunt. [2]

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam, *ne quis ea deleat, neve alienum inferat*; poenaque est, *si quis bustum* [3] (nam id puto appellari τύμβον) *aut monumentum* inquinaverit, [4]

convivio funebri laudare etiam qui improbi fuerant. Hinc apud eos proverbium, Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ. Id est, *Ne in funebri quidem coena laudaris*. Prisci tamen Athenienses falsis laudibus tum mortuos non solebant ornare, ut Cicero ait. Tvrn.

(1) Ita hunc locum persanavit Goerenzius vulgo sic editum: *apud quas de mortui laude, quum quid veri erat, praedicatum: nam menturi nefas habebatur. Ita iusta confecta erant.*

(2) Ita bene correxit Davisius. Vulgo *vero expressa verbis sunt*. Fortasse tamen excidit post *vero* pronomen *ipsa*, vel *ipsius*. Ceterum assentior Davisio, verba legis hic vulgo post illa *de lamentis.... sunt* adiecta: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*, quae iam supra cap. 23 commemorata erant, ab interpolatore adiecta esse existimanti. Itaque ea iam a Davisio uncis inclusa, eieci. Graeca Solonis verba commemorat Plutarchus in eius vita: ἀμυχὰς κοπτομένων καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀρτίλεν. — Mihi verba legis cum Davisio spuria videntur; sed lectio *verba* non magis, quam Ernesto, satisfacit. Mn.

(3) *Bustum*. Bustum dicitur ubi corpus ustum et sepultum est. Vt autem *bustum* ab *urendo*, item τύμβος a τύφεσθαι, quod est uri, deducitur: quamquam utrumque etiam pro sepulcro simpliciter dicitur. Sic a Catullo bustum usurpatur: *Quam teres excelso coacervatum aggere bustum*. Festus: *Nunc busta sepulcra vocamus*. Tvrn. — *Monumentum*. Quidquid mortui causa factum est, etsi ibi sepultus non est. *Monumentum*, inquit Festus, *est quod et mortui causa aedificatum est, et quidquid ob memoriam alicuius factum est, ut fana, porticus, scripta carmina. Sed monumentum quamvis mortui causa sit factum, non tamen significat ibi sepultum*. Hic quidam *bustum* ad usta cadavera referunt, *monumentum* ad sepulta. Saepe etiam monumentum a sepulcro nihil differt ut hic fortasse. Tvrn.

(4) *Aut monumentum*, inquit,) Pro *inquit*, Davis. malebat *aliquod*. — Goerenzius defendit *inquit* post parenthesin positum exemplis duobus ex Nostro (pro rege Deiotar. 12, 33, et Orat. II, 3, 13) allatis,

*aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.* Sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, *ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo.* Neque id opere tectorio [1] exornari, nec Hermas hos, [2] quos vocant, licebat imponi; nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis; [3] nec ab alio, nisi *si* qui [4] publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur: *auget* enim luctum concursus hominum. [5]

ubi *inquit* ante parenthesin positum; post parenthesin repetitur. Sed eorum locorum aliam esse rationem, ipse intelliget. Quicumque enim repetito ibi *inquit* litem moverint, eos immerito id fecisse facile largior: nostro loco offendor eo vocabulo ita, ut a Cicerone profectum credere non possim. Neque vero Davisio crediderim, *inquit* ortum esse ex *aliquod*: unde enim in vocabulo tritissimo talis error? neque Rathio, *antiquum* coniicienti: cur enim antiquis potissimum monumentis lege caveatur? Mihi veri videtur similius, antiquitus scriptum fuisse *inquinaverit*. Quod vocabulum scribendi compendio exaratum, *inqnirit*, quum semel male lectum esset, in vulgatum abire facile potuit. Mr. — Dum sincerius aliquid afferatur, censeo, Moseri coniecturam, valde mihi probabilem, τῷ inepto *inquit* esse praeferendam. Tyr.

(1) I. e. quasi tegumento, quod superficiei aedificii, muri, sepulchri inducebatur, eratque triplex, *albarium*, *arenatum*, *marmoratum*, ut refert Vitruvius de Architectura, VII, 2. De priore genere est proverbialis locutio *sepulchrum dealbatum* in Evang. Matth. 23, 27. W.

(2) *Hermas hos*, forte melius *huic*. Canneg.

(3) Publicae sepulturae sunt, quae fiunt magistratuum aut populi iussu: *publice* ad eam rem constitutus orator is est, qui vel a senatu, vel a populo, vel ab utroque ad eam rem electus est. W. — *Publicis sepulturis.* Qui bello occubuerant Athenis publice in Ceramico funerabantur, laudabanturque ab eo cui negotii hoc mandatum esset: ut Pericli apud Thucydidem, et postea Demostheni, cuius etiam ἐπιτάφιος λόγος adhuc exstat. Tyrr.

(4) Particulam *si* vulgo omissam addidit Goerenzius e cod. Brux. et Gud. 2.

(5) *Habet enim luctum concurs. hom.*) Dudum mihi displicebat istud *habet*, neque, quod cum graecis ἔχει ταῦτα λύπην nostrum locum comparat Goerenz. (cui iam accedit Beier. ad Cic. de Off. II, 6, 19, *fortuna casus rariores habet*) satisfacere visum est. Conieci igitur *auget*, quod nunc,

Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius, increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime, [1] tuendaeque civitatis peritissimus. Iste igitur sumptum [2] minuit non solum poena, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferri. [3] Sepulcris autem novis finivit modum: nam super ter-

in vetere Vrsini libro repertum, verum existimo, neque vero Davisii coniecturam *nutrit*. Neque etiam *habet* omnes libros MSS. occupat. In nullo certe nostrorum comparet. Omnes Davisii, tres Goerenzii, noster Cr. et Copp. Victt. habent *hunc*, duo Goer. et noster M. *huc*, noster W. *nunc*, marg. ed. Gothofr al. *auget*. Graecam istam formulam plane nihil huc facere, quivis statim intelliget, qui reputaverit eam significare, positum esse aliquid in natura alicuius rei, vel certe plerumque cum ea esse coniunctum; concursum vero hominum neque plerumque cum luctu esse coniunctum, multoque minus in natura eius positum esse luctum; sed, uti *augetur* laetitia in rebus laetis, quum est hominum concursus et frequentia, ita in re lugubri et tristi *augeri* etiam luctum concursu hominum. Mr. — Sincerius puto *auget*, quam *habet*; proinde illud in contextu reposui. Tyr.

(1) Vulgo hic additur *tuendaeque civitatis peritissimus*. Id abest cod. Brux estque a Goerenzio, ut glossema, uncis inclusum. Equidem nullus dubitavi e textu circumscribere. Et iam Wagnerus monuerat, Demetrium non tam ex *tuenda* quam ex *constituenda* re publica sibi laudem peperisse. Ceterum Davisio placebat *tuendae civitati paratissimus*. — Aegre patior haec abesse, quamquam fortasse haud Ciceroniana; adeoque in contextum ea reduxi. Tyr. — *Civis e rep.* est civis reip. utilis: id enim e *rep.* dicitur esse, quod ei utilitatem parit. Cicero de Orat. II, 28: *Multas etiam e republica seditiones saepe esse factas, ut quum reges essent exacti*, etc. Idem Philipp. III, cap. 15: *Colonias provinciae Galliae recte atque ordine exque rep. fecisse et facere.* Sic passim loquuntur optimi scriptores. Vide Corn. Nepotem in Attico, cap. 6. Dav.

(2) Cod. Cassel. Gud. 1, ed. Cras. *sumptus*.

(3) *Iussit efferri*. Minor ut esset celebritas et pompa in tenebris. Efferebantur autem extra urbem cadavera, quum in urbe sepelire non liceret. Tyrr. — *Ante lucem enim iussit efferri*. Haec lex prius obtinuit quam Demetrius est in lucem editus. Demosthenes adv. Macartatum, pag. 666: Νόμος.... ἐκφέρειν τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ ἢ ἂν προθῶνται, ΠΡΙΝ ΗΛΙΟΝ ΕΞΕΧΕΙΝ. Eum vero morem revocasse videtur Phalereus, postquam

Digitized by Google

rae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, [1] tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum: et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

XXVII. Haec igitur Athenienses tui. Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reiicit ad interpretes religionum: [2] quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit haec. Vetat ex agro culto, eove, qui coli possit, ullam partem [3] sumi sepulcro; sed, quae natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur: [4] quae autem terra fruges ferre, et, ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus. Exstrui autem vetat sepulcrum altius, quam quod quinque homines [5] quinque diebus absolverint, nec

fuisset longa desuetudine sepultus. Vide Cl. Petitum ad Legg. Att. pag. 498. Dav.

(1) Columellae in sepulchris excitabantur: στήλας Graeci et στηλίδας vocant. Mensae, lapides quadrati sunt in mensae formam. Sic Plutarchus ait in Isocratis sepulchro τράπεζαν γενέσθαι ἔχουσαν ποιητάς τε καὶ τοὺς διδασκάλους αὐτοῦ. Id est, *Mensam fuisse in qua poëtae essent, et eius magistri.* Labellum dicit, quod Graeci πύελον vocant, lapidem in parvi labri formam concavum. Turn. — *Mensa*, sepulchro imposita, erat genus arae seu altaris. *Labellum*, id est, parvum labrum, quod erat vas fere planum ac patulum, a similitudine labrorum humanorum dictum. Videtur graecum χερνίψ significari, quo utebantur ad inferias fundendas. Vid. Kirchmannus de Funebr. Rom. lib. I, cap. 2. W.

(2) Interpretes eos ἐξηγητάς Plato vocat. Quae *iusta* dicit, Plato θεῖα νόμιμα appellare videtur. Locus autem quem citat, est in XII Legum (p. 214 Bip.), unde quae sequuntur sumpsit omnia. Turn.

(3) Pro *partem* apud Platonem vulgo perperam legitur μνήμα. Davis. corrigebat μέρος. Sed verum est τμῆμα, quod vidit Goerenz.

(4) Subaudi *iubet*: nam ex negante verbo *vetat* elicit affirmationem; ut Famil. lib. XII, Ep. 30: *Nec mihi molestiam*, etc. Quo loco vide nostros commentarios. P. Man.

(5) *Quam quod quini diebus quinque*) Ita Goerenzius edidit pro vulg. *quod quinque diebus homines quinque.* Nam verba *homines quinque* absunt in Mss. et edd. vett. Turn. Lamb. Davis. ediderunt *quinque homines quinque diebus.* — *Quinque homines q. diebus.* Nostri quoque codd. Mss. itemque

e lapide excitari amplius, [1] nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, incisam ne plus [2] quatuor herois versibus; quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri: a quo item [3] funerum sumptus praefinitur ex censibus, a minis quinque usque ad minam. [4]

. . . . . .

edd. 1, 2, Crat. Herw. Paris. Car. Steph. Sturm. Brut. Ald. verba *quinque homines* non habent; neque tamen iis carere potest contextus. Igitur ea cum plerisque ex Platone adiecimus. Quod vero dedit Goer. et, eum sequutus, Sch. *quod quini quinque diebus abs.* id falsum et ne latinum quidem esse pronuntiat Wyttenbachius ad marg. ed. Goer. min. Ma. — Schutzius habet *quini diebus quinque*, quod elegans ac latinissimum mihi videtur; malo tamen cum Mosero, Davis. aliisque edere ut in contextu. Typ.

(1) Vulgo *excitari plus.* Codd. a Goerenzio collati *excitari prius.* Optime Davisius coniecit *excitari amplius*, quod recepi, quum statim recurrat *plus*, et apud Platonem priore loco dicatur μείζω, posteriore πλείω, quas ob causas Davisii coniectura Goerenzio quoque valde arridet.

(2) Ita primus e codd. suis edidit Davis. idem habent Gruteriani eorumque quos Goerenzius contulit quinque optimi. Accedunt edd. vett. complures ab Ern. notatae. Vulgo *non plus.*

(3) Sic e vera Wagneri coniectura edidit Goerenzius. Vulg. *iterum.*

(4) Vulgo hic sequebantur ista: *Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum.* Sed haec a Ciceronis consilio prorsus aliena sunt et inficete dicta; quod optime Goerenzius docuit. Idem hic olim in Mss. lacunam aliquot versuum fuisse statuit, quam quum Grammaticus nescio quis explere vellet, pannum illum assuerit. — *Dicit eadem illa de imm. animorum.* Quae, quaeso, sunt *eadem illa?* an eadem quae dicere solitus est? Non opinor. Lego, *deinceps dicit ea divina de immortalitate animorum*, etc. Loca Platonis huc pertinentia congessit Eusebius, Praep. Evang. XI, 27, 35; XII, 6; XIII, 16. Dav. — *Deinceps dicit eadem illa.* Non possum, quin cum Wagnero et Goerenzio haec omnia, quae uncinis inclusi, admodum suspecta et spuria etiam existimem, quum neque deinceps aliquid eiusmodi apud Platonem sequatur, et, quae antecedunt pauca (pag. 959 b. τῷ μὲν ἀγαθῷ θαρραλέον, τῷ δὲ κακῷ μάλα φοβερόν), eiusmodi sint, ut his verbis, quae uncinis inclusimus, vix uti potuerit Cicero, ut alia taceam, quae reprehenderunt duumviri illi. Schützius ea omnia plane eiecit. Si eiicias, tamen cum Goer. lacunam paucorum versuum statues, ne duo deinceps enuntiata eodem fere modo (*Habemus igitur, Habetis igitur*) incipiant. Wyttenbachius in scholis coniecit: » dicit divina illa. « Sed velim ille nobis divina illa in Platone mon-

Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionum locum. [1] *Q.* Nos vero, frater, et copiose quidem: sed perge cetera. [2] *M.* Pergam equidem: [3] et quoniam libitum est vobis me ad haec impellere, hodierno sermone conficiam, *ut* spero, [4] hoc praesertim die. Video enim Platonem idem fecisse, omnemque orationem eius de legibus, peroratam esse uno aestivo die. Sic igitur faciam, et dicam de magistratibus. Id enim est profecto, quod, constituta religione, [5] rempublicam contineat maxime. *Att.* Tu vero dic, et istam rationem, quam coepisti, tene.

stravisset, quae Plato *deinceps* dixerit. Mn.

(1) Sic Davis. et Goerenz. e cod. Paris. Brux. Cassel. Gud. utroque et Vienn. a pr. m. Vulgo *religionis*.

(2) Ita recte Goerenz. cum plerisque codd. a se collatorum. Davis. et Ern. *perge ad cetera*. Saepius illa forma utitur Cicero, ut Att. IV, 11. *Perge reliqua*. Ernestius quoque videbat ferri posse vulgatum; intelligitur enim dicere, s. explicare.

(3) Vulgo legebatur *quidem*. Melius vero *equidem*: quod Goerenz. ex edd. vett. et codd. suis recepit. — Moserus quoque praetulit *equidem*. T.

(4) Reposui *ut spero*, pro vulg. *spero*. Sic enim fere ubique Cicero in huiusmodi formulis. In codd. Brux. et Dresd. 2 abest *spero*; quod tamen non est omittendum, ne nimis secure Cicero pronuntiet illud *conficiam*. — *Hoc praesertim die*, solstitiali, qui longissimus est. Tvrn.

(5) Id est, posteaquam religio, tamquam fundamentum, constituta fuerit. W.

# EXCVRSVS

## DE SACRIS PRIVATIS

Ad ea Ciceronis verba, de Legg. lib. II, cap. 19:

*Quibus implentur iurisconsultorum libri.*

(Ex Engelbronneri Disput. pag. 63-66)

*Sacra privata* olim apud Romanos gentilia erant ac familiaria et hereditaria heredemque sequebantur. Erant autem Deorum penatium, quos et lares appellabant.—Quisque enim civis, suis in penetralibus, huius generis *Deos domesticos suos* habebat, quos et privatis feriis colerent, quibusque aras et focos consecrabant. His sacris tota familia operam dabat: quamobrem Modestinus in l. 1, ff. *de Ritu Nupt.* Nuptias, dixit, esse communicationem divini atque humani iuris. Haec vero *sacra privata Lex XII Tabb.* quam sequitur Tullius, iubebat esse *perpetua*, ut singulis in familiis sancte custodirentur. Itaque necesse fuit, ut ad heredes patrisfamilias transirent, ne morte eius simul extinguerentur. Iam vero quum multi hereditatem sine sacris acciperent, hoc est, lucrum sine onere (multos enim ob sumptus sacrorum onus molestum habebatur, ut heredes ea conservare defugerent), placuit pontificibus, ut a defuncto relicta bona sacris obligata et adstricta intelligerentur.

Quum vero nulla esset persona, quae ad vicem eius, qui e vita emigrasset, propius accederet, quam heres, pontifices, uti servitutes et pignora ac similia, ita etiam *sacra privata* sequi *res hereditarias* voluerunt. Sed multae tum quidem in hoc genere difficiles quaestiones ortae sunt, et *Muciis* propositae, quarum definitio e medio iure civili repetenda erat, quas hoc loco attingit Tullius: quare nos nunc eas, Balduino duce, quo in omni hac disquisitione usi sumus et quummaxime utimur, breviter expedire conabimur.

Docuerunt veteres *sacris adstringi*:

I. *Heredes*, neque solum *suos heredes* aut *legitimos*, sed etiam *extraneos ex testamento heredes*, quia heres succedit in omne ius, quod defunctus tempore mortis habuit, adeoque vices eius omnes agit, atqu' haec sententia ab omnibus fere posterioribus ICtis fuit frequentata: quare heredem succedere in vitia et virtutes defuncti, eamdemque cum defuncto personam sustinere, saepe dixit Iustinianus, quum alias, tum *Novella* 48, in praef. Vid. Balduinus l. c.

II. Sacris adstringebatur, qui « maiorem partem pecuniae caperet » sive, ut Scaevola dixit, « qui morte testamentove tantumdem caperet, quantum omnes heredes »: et tale *legatum* vocabatur *partitio*, cuius etiam in Digestorum et Institutionum libris crebra fit mentio, quamque ex Scaevolae traditione descendere recte existimat Balduinus. Hactenus « merum ius pontificium » sequebatur Scaevola, et cum superioribus pontificibus consentiebat; sed mox *hasce* addebat *exceptiones*:

A. « Nisi scriptum in testamento sit, ut centum nummi deducerentur ». Scilicet, sciebat Mucius, eum, qui cum herede partiri iussus esset, sacris adstringi, « Nisi testator scripserit, ut heres centum nummos deduceret »; nunc enim *legatarius* iste *partiarius* non *tantumdem* capiebat « quantum omnes heredes » atque idcirco « sacris non alligabatur » et haec quidem « prima Mucii cautio » erat.

B. Alteram invenit, qua « si quando testator nil praecepisset de Deductione » vel, uti Cicero loquitur, « si deductio in testamento scripta non esset » monebat legatarium, « ut ipse sponte minus caperet. » Quod planius interpretemur. Regula erat « eum sacris adstringi, cui maior pecuniae pars legata esset, si quidquam inde cepisset. » Scaevola vero iudicavit, *sacris* eum *liberari*, si *minus* caperet « quam omnibus heredibus relictum esset. » Id tamen Iure Digestorum non licuit; quare credibile videtur, hanc antiqui iuris partem esse commutatam.

C. *Tertia fuit cautio*, a Scaevola excogitata, de « Liberatione sacrorum » nimirum « ut legatarius totum legatum

caperet, nec tamen sacris adstringeretur: » atque haec quidem cautio mire vexavit interpretes. Locus ipse Ciceronis est mutilus ; lucem tamen ei affundere multi conantur ex orationis pro Murena capite 12, ubi ICtos traducens et exagitans Tullius, « Maiores, inquit, sacra interire noluerunt ; ICtorum ingenio senes ad coëmptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa inventi sunt : » quod sic intelligimus : nempe testamenta fiebant per imaginariam venditionem, adhibito familiae emptore et libripende, quae testamenta vocabantur *per aes et libram* ; familiae emptor diversus adhibebatur ab herede et legatario, qui dicis causa et addita sacra lege, ut ille, qui in Tabulis clausis scriptus heres esset, bonis potiretur, hereditatem *aere et libra* sibi comparabat ; ad hunc familiae mancipem quum bona testatoris morte pervenissent, auctores erant ICti , ut scriptus heres , si molestia sacrorum liberari cuperet, pecuniam, sive res hereditarias sibi ab isto familiae emptore stipularetur , ac deinde ex stipulatione acciperet. Et hac quidem ratione, totum sacrorum onus manebat apud heredem familiae mancipem, qui quidem adhibitus erat senex orbus, capularis, et de herede sibi exstituro parum sollicitus, qui certa pecunia ad impensas ferendas accepta, et lucello aliquo adspersus , sacra testatoris familiaria secum interitura administrabat. Et has quidem cautiones e medio iure civili desumptas esse Tullius monet. Sed videamus, quinam praeterea, ex Mucii sententia, *sacris adstringebantur* ; adstringebatur autem :

III. « Is , qui de bonis defuncti plurimum usuceperit , si nemo heres exstitisset. »

IV. « Creditor, qui plurimum servasset. »

V. « Defuncti debitor, si nemini, quod debebat, solvisset. » Sed satis de *sacris privatis*.

Digitized by Google

# M. TVLLII CICERONIS

DE

# LEGIBVS

## LIBER TERTIVS.

### I.

*Marcus.* Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum ; quem quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. *Att.* Platonem videlicet dicis.[1] *M.* Istum ipsum, Attice. *Att.* Tu vero eum nec nimis valde umquam, nec nimis saepe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi,[2] qui neminem, nisi suum, laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. *M.* Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius ?[3] cuius

(1) Male codd. multi et edd. vett. *diligis.* — Scheffer. conj. *dicis quem diligis.*

(2) Nempe Epicurei.

(3) *Elegantia,* non tantum refertur ad pulchritudinem morum et orationem, verum etiam ad animi moderationem in usu aliorum hominum, quae est virtus, quam hodierni barbare dicunt *discretionem.* Ceterum de moribus Attici vid. Cornel. Nep. Att. 4 et 15, et Nostrum ad Famil. V, 5. Mr. — *Elegantia.* Quae nulla in aliis Epicureis est. Elegantia cultus est vitae et ornatus hoc loco bonis artibus et humanioribus literis informatae. In Epicuri philosophia fortasse gravitas quaedam inest, incompta tamen et inelegans : in Platone praeter gravitatem etiam elegantia, consentanea elegantiae et humanitati Attici. Bouil.

et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *Att.* Sane gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium. Sed perge, ut coeperas. *M.* Laudemus [1] igitur prius legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. *Att.* Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. *M.* Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, ut praesit, praescribatque recta, et utilia, et coniuncta cum legibus. Vt enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: vereque dici, [2] magistratum legem esse loquentem; legem autem, mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad ius conditionemque naturae [3] (quod quum dico, legem a me dici, nihilque aliud intelligi volo [4]), quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret, et huic obediunt maria terraeque, et hominum vita iussis supremae legis obtemperat.

(1) I. e. citemus, referamus legem civilem, eamque suis laudibus suadeamus, quod fit cap 3 et 4, et similiter factum erat de lege sacra, lib. II, cap. 18. W.

(2) Ita Goerenz. h. l. constituit. (nempe verba *Vt enim..... magistratus* parenthesibus concludendo). Vulgo legebatur: *legibus. Vt enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus; vereque dici potest, magistratum* etc. Sed voc. *potest* abest codd. Brux. Vienn. Dresd. 2 Vffenb.

(3) Quod humanae leges ex quadam pactione et conditione inter homines primum videntur natae, idcirco naturae legem, naturae conditionem appellat. Est autem *conditio* pactio et conventio, id est συνθήκη. Tvrn.

(4) Verba *nihil aliud* absunt in Copp-Victt. h. edd. Par. Lamb. Comm. eaque uncinis inclusit Goerenz. qui idem in ed. min. etiam vocem *intelligi* incluserat. Quod magis probaverim; nam, ut ipse Goer. sensit, isti infinitivi pass. *dici, intelligi,* duriuscule sonant. Schütz. cum Grutero scripsit *nihilque*. Mihi videtur Cicero scripsisse *quod cum dico, legem intelligi volo*, ut glossatoris, qui verbum *intelligi* explicare vellet, sint verba *a me dici, nihil aliud*. Mn.

II. Atque, ut ad haec citeriora[1] veniam, et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur: idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur:[2] quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima republica sentiremus, in sex libris ante diximus; accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum.[3] Magistratibus igitur opus est; sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest; quorumque[4] descriptione omnis reipublicae moderatio

(1) *Haec* abest in quinque codd. a Goerenzio collatis, e quibus Brux. ut Gud. 2, etiam praepositionem *ad* ignorant. Inde Goerenzius conj. lectum esse *atque ut citeriora videamus*. — *Ad haec citeriora*. Propinquiora et propius nos attingentia, i. e. terris tamquam viciniora: quod de caelesti descriptione et Deo egisset, quae paullo longinquiora sunt et remotiora. Tvrn.

(2) Illud *deinde... deinceps* non habet gratiam hoc loco. Nec *prodebatur* potest intelligi: quid enim prodebatur? Mallem *deinceps posteris tradebatur*, puta *genus illud imperii*, quod ex superioribus huc trahendum. Nam eodem modo lib. II de Off. *deinceps regna posteris per manus a patribus tradita sunt*. Illud *deinde* glossa est vocis *deinceps*. Postea coniunctio *etiam* interposita. Schvtz. — *Deinde etiam deinceps posteris*, etc. Non difficeor, me quoque offensum esse scriptione *deinde.... deinceps*; sed simili tamen modo Noster in Brut. 90, 312: *deinceps inde multae causae*, quas, etc. Et infra, cap. 19, 43, est: *Sunt deinde posita deinceps*, i. e. » post haec et suo ordine, certaque serie. » *Prodere* autem pro *tradere* apud Nostrum non tantum in tritissimo illo *memoriae prodere* frequentatur, sed etiam plane ut nostro loco: vide modo orat. pro Milone, 30, 83 extr. *qui sacra... nobis, suis posteris prodiderunt*. Mr.

(3) Id est, ad eam reipublicae formam, quam in libris de Republica probavimus. W.

(4) Davis. pro *quorum* edidit *quorumque*, idque est in edd. vett. et codd. Mss. omnibus. — *Descriptione*. Temperatio et moderatio civitatis ex magistratuum descriptione efficitur: nam nisi ea foret, perturbatio esset

Digitized by Google

continetur. Neque solum his praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui bene imperat,[1] paruerit aliquando necesse est; et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare, se aliquo tempore imperaturum; et illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum, ut obtemperent obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. Noster vero Plato[2] Titanum e genere statuit eos, qui ut illi caelestibus, sic hi adversentur magistratibus. Quae quum ita sint, ad ipsas iam leges veniamus, si placet. *Att.* Mihi vero et istud, et ordo rerum iste[3] placet.

III. et IV. « *M.* Iusta imperia sunto; iisque cives modeste, ac sine recusatione parento. Magistratus[4]

in civitate et confusio: omnia in civitate essent intemperata et immoderata. Ex iis quoque intelligitur quod genus sit reip. Tvrn.

(1) In aliquot Mss. est *imperare*; unde Davis. maluit legi *imperaret*.

(2) Legg. III, p. 456 ed. Bipont.

(3) Ita Davis. et Goerenz. e Mss. Vulgo *et ordo iste rerum*.

(4) Magistratus aut vocationem habent, ut coss. ceterique qui imperium habent: aut prehensionem, ut trib. pleb. et qui viatorem habent: aut nec vocationem, nec prehensionem, ut quaestor et ceteri, quibus nec est lictor, nec viator. Haec lex de magistratibus iis intelligenda, quibus ius est coërcendi. Quod ait, *verberibusve coërceto*, id abrogatum lege Porcia fuit, qua exsilium damnatis permittebatur, ac verberasse aut necasse civem, impium censebatur. Sallustius, Catil. cap. 51: *Sed per deos immortales, cur non in sententiam addidisti, ut prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex Porcia vetat? aut aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti iubent?* Tvrn. — *Nec obedientem et noxium civem.* Omnes codd. in lectione *innoxium* consentiunt; quod sensum parit auctoris menti contrarium. Gebhardi coniectura *in noxia civem* (ut est in fine huius legis, cap. 4, § 11, *noxiae poena par esto*) prorsus placet Goerenz. et mihi quoque magis quam Davisii ratio probatur (*nec innoxium*). Sed, ut fatear quod est, ego certissimam credo vulgatam lectionem, eiusque antiquam corruptionem inde ortam censeo, quod librarii crederent, *nec iun-*

Digitized by Google

nec obedientem et noxium civem multa, vinclis, verberibusve coerceto, ni par [1] maiorve potestas, populusve prohibessit: ad quos provocatio esto. Quum magistratus iudicassit, inrogassitve, per populum multae, poenae certatio esto. [2] Militiae ab eo, qui imperabit, provocatio ne esto: quodque is, qui bellum gerat, imperassit, ius ratumque esto. Minores magistratus, [3] partiti iuris, plures in pluria [4] sunto. Militiae, quibus iussi erunt imperanto, [5] eorumque

gendum esse cum verbo *coërceto*, et vetari, ne civis obediens poenis afficiatur. Quare necessario alterum civis obedientis *ἀπείθητον* mutandum fuit in *innoxium*, quum ignorarent *nec obedientem* esse i. q. *non obedientem*. Mn.

(1) *Ni par*, etc. Id est, si censor aliquem civem volebat punire, alter censor, id est par potestas, poterat prohibere: aut si quaestor poenam imponeret, prohibere poterat praetor, consul, id est maior potestas, ad quos provocatio esset puniendis. W.

(2) Multam vel poenam pronuntiare solitus est magistratus, eamque populus aut iubebat, aut remittebat; id quod *multae, poenae certatio* vocabatur. Vide Car. Sigonium ad Livii XXV, 3. Dav. — Ad populum liceat provocare, atque apud eum de multa imposita poenave irrogata certare. Cannec. — *Certatio esto*. Id est, accusatio et defensio, quae Graecis item dicitur *ἀγών*, id est, certamen (vid. Lycurg. in Leocrat. pag. 140 Reisk.). *Per populum*, id est, in concione populi. *Multae, poenae* dicitur per ellipsin pro *multae aut poenae*. W.

(3) Qui sint magistratus minores et maiores, patet ex comparatione huius cum loco Messalae apud Gellium XVI, cap. 15: *Maiores sunt, in militia, imperator; domi, consules, praetores, censores: minores in militia, tribuni: domi, quaestores, triumviri capitales, decemviri litibus iudicandis, aediles, triumviri monetales*. W. — *Partiti iuris*. Nam iis qui cum imperio sunt, et exercitui praesunt, universum ius et potestas tribuitur. *Ius* hoc loco munus est, ut et hoc libro tertio, cap. 20: *Sic animadverto plerosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere quantum apparitores velint*, id est, muneris et officii sui. Tvrn.

(4) Vulgo *plera*. At Goerenzius rescripsit *pluria*, cuius lectionis vestigia se produnt in Mss. qui vel *praelia* vel *prelia* habent. — Nos cum Goerenz. et Schütz. Lambinum sequuti sumus. *Pluria* etiam probavit Wytt. in scholis, et ita h. l. explicat: plura sunto munera, v. c. quaestura, aedilitas, cetera, quae modo dicta sunt, in quorum unoquoque plures sunto praefecti ac magistratus, qui inter se ius administrationis partitum habent. Mn.

(5) In bello magistratus minores iis imperanto, quibus imperare iussi erunt, et sint eorum tribuni. Mn.

tribuni sunto. Domi pecuniam publicam custodiunto; vincula sontium servanto; capitalia vindicanto; aes, argentum, aurumve publice signanto; stlitis [1] contractas iudicanto; quodcumque senatus creverit, agunto. Suntoque aediles, coeratores urbis, annonae, ludorumque sollemnium; ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. Censores, populi aevitates, [2] soboles, familias, pecuniasque censento; urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento; populique partes in tribus distribuunto; exin pecunias, aevitates, [3] ordines partiunto; equitum, peditumque prolem describunto; [4] caelibes esse prohibento; [5] mores populi regunto; probrum

(1) *Vincla stlitis* ex prisca scriptura dedit Goerenz. Vulgo *vincula... lites*.

(2) *Aevitates*, id est, aetates iuniorum et seniorum, prisco vocabulo. Nam censores aetatem quae militaris esset, quae magistratibus gerendis apta foret, vel suffragiis ferendis, vel publicis muneribus et civilibus obeundis censebant: certi enim his rebus anni praestiniebantur. Sed et cives, in iuniores et seniores per centurias dividebant. Tvrn. — *Aevitates*. I. e. civium numerum secundum varias aetates; *soboles*, i. e. progeniem natorum; *familias*, i. e. famulos et servos; *pecunias*, i. e. possessiones inanimatas. W.

(3) I. e. populum distribuunto in partes et in pecunias, ut imponant cuique tantum, quantum reipublicae conferre debeat: *aevitates*, i. e. ut unusquisque secundum aetatem suam suo loco distributus sit. — *Equitum peditumque*, etc. Quum sex essent classes civium secundum censum, sexta, i. e. postrema, erat pauperculae plebis, quae nil pecuniae conferret in publicum, dicebanturque proletarii. At in prima et secunda classe erant ditiores, in quibus erant complures centuriae equitum: reliquae classes nonnisi peditum constabant. — *Prolem*. Soboles et proles utrumque notat progeniem, sed fere sunt prisca et poëtica, ut notat Cicero de Orat. III, 38. Sunt a verbo *oleo*, *olesco*, quod est *cresco*, unde est verbum *adolesco*. *Proles* longum est, quia est contractum ex *prooles*. Eiusdem significationis est *suboles*, ut proprie scribendum ex *sub* et *oleo*. W.

(4) Intelliguntur tirones; quorum delectum censores habebant.

(5) Plato a tricesimo anno ad tricesimum quintum uxorem ducendam ait: quod si quis neglexerit, eum pecunia multandum et ignominia notandum censet. Lycurgus quoque probro notat eum qui uxorem ducere noluerit. Quin apud Romanos poena in coelibatum constituta erat. Nam uxorium pependisse dicebatur, qui, quod uxorem non habuisset,

in senatu ne relinquunto; bini sunto; magistratum quinquennium habento; reliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto. Iuris disceptator, qui privata iudicet, iudicarive iubeat, praetor esto; is iuris civilis custos esto.[1] Huic potestate pari quotcumque senatus creverit, populusve iusserit, tot sunto.[2] Regio imperio duo sunto; iique praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor. Militiae summum ius habento, nemini parento.[3] Ollis salus populi suprema lex esto.[4] Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Aevitatem an-

aes populo dederat. Sed et Augustus legem de maritandis ordinibus tulit, et orationem Metellus habuerat. Lex quam nunc sancit Cicero, Romaeque observabatur, antiquata est, ut Sozomenus scribit, et abrogata a Constantino imperatore. Tvrnen. — *Caelibes esse*, etc. Coelibatus libera rep. non legibus, sed moribus, interdictus erat: et primum anno Vrbis 350, censores M. Furius Camillus et M. Posthumius eos, qui coelibes ad senectutem pervenissent, aera poenae nomine in aerarium deferre iusserunt, ut prodit Val. Max. II, 9, 1. Hoc *aes* vocabatur *uxorium*, ut notat Festus in voce *uxorium*. Cf. Gell. I, 6. Fuerunt apud alias gentes poenae coelibatus, veluti apud Athenienses, Spartanos, alios quos Plato in lege sequutus est. Apud Romanos sanxit Augustus nobilissima illa lege Iulia Papia Poppaea de maritandis ordinibus, quam abrogavit Constantinus Magnus, testibus Eusebio in vita Constantini Magni, IV, 26, et Sozomeno, Histor. Eccles. I, 9. Ma.

(1) Praetor urbanus ius dicebat, edicta proponebat, quibus si quid in iure non satis cautum esset, supplebat, quaedam mutabat, abrogabat, novabat, emendabat, explicabat: saepe etiam recuperatores dabat et iudices. Iuris autem disceptator, est iudex. Tvrn.

(2) Id ait, quia praetorum numerus certus non erat. Nam capta Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia Narbonensi, auctus est praetorum numerus: constitutisque quaestionibus publicis, Sulla quatuor adiecit, Iulius Caesar duos: quorum numerum mox Augustus, deinde Claudius auxit. T.

(3) I. e. neminem superiorem habeant magistratum. Excipitur tempus dictaturae, quo ipse consulatus cessabat. Nam quod a consule ad tribunos pl. appellari posset, ideo consules his, ad quos appellabatur, non parebant. W.

(4) Merito sane: *finis enim iusti imperii, ut sapientes docent, utilitas obedientium aestimatur et salus.* Verba sunt Amm. Marcellini, XXX, 8. Dav

nali lege servanto.[1] Ast quando duellum gravius, discordiaeve civium escunt, oenus,[2] ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris, quod duo consules, teneto; isque ave sinistra dictus,[3] populi magister esto. Equitem cunque[4] qui regat, habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator. Ast quando [consul is] est magister populi, reliqui magistratus ne sunto.[5] Auspicia patrum sunto;[6] ollique ex se produnto, qui comitiatu

(1) Annalis lex aetatem qua magistratus peti possent praefiniebat. T.

(2) Sic h. l. in codd. corruptum emendavit Lambinus; nam *escunt, oenus*, antique dicebatur pro *erunt, unus*. — *Discordiaeve*; disiungitur enim utrumque: *duellum* est bellum externum, *discordiae civium* sunt bellum civile aut seditio. Mn.

(3) Sinistrae aves prosperae sunt et auspicatae: nam sinistrum quasi sinistimum dicitur, nimirum auspicium quod sinat: sinunt autem aves hae plerumque quae ab ortu, quae pars mundi sinistra in auspiciis est, volant. T. — *Dictus*. Dictator non eligebatur, sed *dicebatur*, quod vulgo barbare dicunt *declarabatur*: nam senatus unum ex suo collegio eligebat, qui suo consilio dictatorem crearet, quod dicebatur *dictatorem dicere*. W. — *Populi magister esto*. » Magister equitum, inquit Varro, L. L. lib. IV, p. 22, dicitur, quod summa potestas eius in equites et accensos, ut est summa in populum dictatoris: a quo is quoque magister populi est appellatus. » Seneca, Epist. 108: *Praeterea notat eum quem nos dictatorem dicimus, et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. Hodieque id exstat in auguralibus libris, et testimonium est, quod qui ab illo nominatur, magister equitum est*. Tvrn.

(4) Lambinus edidit: *Equitatum quicumque regat, habeto par ius cum eo*. Davisius malebat *equitemque qui regat habeto pari iure cum eo*, et sic edidit Ernest. — Mihi placeret: *equitatumque is qui regat, habeto*, i. e. is habeto aliquem, qui equitatum regat. Mn. (sequutus tamen est lectionem Goer. et Schutzii) — *Habeto*, sc. dictator habeat eum, qui regat equitatum, i. e. magistrum equitum; *pari iure cum eo*, i. e. qui idem ius habeat, quod praetor, qui est iuris disceptator, quasi collega consulis, sed inferior. W.

(5) Olim edebatur: *Ast quando consul is est magistratuswe populi nec reliqui magistratus ne sunto, auspicia patrum sunto*. Optima est ratio Goerenzii (Mosero quoque probata) qui circumscriptis verbis *consul is* legit: *Ast quando est magister populi, reliqui magistratus ne sunto*; hoc sensu: *ex quo vero dictator dictus est, reliquorum magistratuum potestas sublata esto*.

(6) *Patres* non sunt solum patricii, sed *senatus*. Hic solus habet *auspicia*, id est, ius auspiciorum ut omnes

creare consules rite possit. [1] Imperia, [2] potestates, legationes, quum senatus creverit populusve iusserit, ex urbe exeunto; duella iusta iuste gerunto; sociis parcunto; se, et servos continento; [3] populi sui gloriam augento; domum cum laude redeunto. Rei suae ergo ne quis legatus esto. Plebes quos pro se contra vim, auxilii ergo, decem creassit, tribuni eius sunto; quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto: neve plebem orbam tribunis relinquunto. [4] Omnes magistratus auspicium iudiciumque habento: [5] ex quois senatus

magistratus, quos senatus creat, creentur captis antea auspiciis: ut omnis magistratus servare de caelo posset, ad aliorum magistratuum turbulenta et seditiosa comitia impediendo. W.

(1) Vere sic correxit Goer. Vulgo *possint*. Sed agitur de interrege prodendo.

(2) Imperia sunt quum quis praeest exercitui: potestates, quum quis a populo negotio alicui praeficitur. T.

(3) Pro *servos* J. V. Leclerc admisit *suos*, utpote cuius sensus latior et convenientior videatur. Aliter vero Goerenz. quem ad h. v. sic laudat Mos. « Quod reprobat Goerenz. quorumdam editorum lectionem *suos* pro *servos*, id merito facit, nam et libri in vulgata consentiunt, et ad *servos* etiam *libertos* esse referendos recte cum eodem statuas: quia hi praecipue dominorum favore in provincialium fraudem abutebantur. » — Servorum enim suorum culpam praestare debet magistratus, si socios ac provinciales spolient, aut eorum per servos fortunas et bona ipsi diripiant. Haec lex ad iudicium pecuniarum repetundarum pertinet. Hic quidam legendum censet *se et suos*. Tvrn.

(4) I. e. tribuni debent eligere, qui ipsis in sequentem annum succedant, tribunos. Huius argumenti fuit lex Duillia ann. V. 305, ut, qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo et capite puniretur. W.

(5) Tribuit haec lex omnibus magistratibus auspicium, id est, ut auspicari possint, servareque de caelo ad vitianda aliorum comitia, legesque et conciones turbulentas impediendas, populique iudicia. Hoc auspicium sustulerat lex Clodia, qua cavebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo quis ageret, de caelo servaret. Quid autem sit *servare de caelo*, quod in orationibus Ciceronis frequens est, nec intelligitur satis, ex Dione hic explicabo. Is enim dicit l. XXXVIII, pag. 66, 67: *Auspicium illud quo de caelo servabatur, omnium maximum fuisse, semelque uno die usurpari tantum solitum esse, quum aliis auspiciis eodem die saepius opera daretur: quumque alia auspicia vel addicerent, vel abdicerent, istud tale fuisse, ut semper comitia pop. impediret, sive secunda*

esto : [1] eius decreta rata sunto. Ast ni potestas par maiorve prohibessit, senatus consulta perscripta servanto. [2] Is ordo vitio vacato : [3] ceteris specimen esto. Creatio magistratuum, iudicia, populi iussa, vetita, cum suffragio consciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto. [4] At si quid erit, quod extra magistratus coeratore oesus sit; [5] qui

*signa darentur, sive dira. Itaque qui impedire comitia volebant, proscribere solebant, se eo die quo haberi debebant, de caelo servaturos esse.* Hanc divinationem vocat Dio τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντείαν. Cicero *servare de caelo* dicere solet. Huius autem legis hanc esse sententiam apparet ex Ciceronis interpretatione, cuius verba sunt, *Auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impediant more.* Tvrn. — *Iudiciumque.* Vt homines ad iudicium populi vocare possint, et eis ad populum diem dicere. Sic hanc legem interpretatur Cicero, cuius verba sunt, *Iudicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur.* Tvrn.

(1) *Exque his senatus esto.* Ita scripsimus cum Goerenz. ut habent quinque Goer. quibus non contradicunt codd. Cr. W. Copp. Victt. b. edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Sturm. Mn. — *Quois* magis favet mori antiquo. Bouh.

(2) *At potestas par*, etc. omisso *ni*) Sic Goerenzius ad fidem codd. Mss. edidit. Vulgo *ast ni potestas par maiorve prohibessit, senatus consulta perscripta servanto.* Bene vero ille monuit hic agi de senatusconsultis intercessione impeditis, quod si factum esset, perscribi tamen solebant. et Senatus auctoritates dicebantur. Schvtz. — Intercedendi, ne senatusconsultum fieret, ius erat iis solis qui eadem aut maiore potestate erant quam qui senatusconsultum facere vellent, nec eo secius tamen perscribebatur auctoritas, nec ea tamen senatusconsultum erat iustum et legitimum. Nunc autem hac lege praescribitur senatusconsultorum conservatio. Romae senatusconsulta ad aerarium delata servabantur. Tvrn.

(3) Quod supra dictum est, censores probrum in senatu ne relinquunto, h. l. ita ponitur, ut dicatur: ordo senatorius reliquis civibus esto exemplum virtutis ac disciplinae. Huc facit locus Cic. de Rep. I, 34, p. 88: *Virtute vero gubernante rempubl. quid potest esse praeclarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; quum, quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse, nec leges imponit [illegible]ulo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam ut legem praefert suis civibus.* Mn.

(4) Haec lex de suffragiis tabellaria est, tueturque suffragiorum libertatem in mandandis magistratibus, iudicando de reo, legibus iubendis et vetandis. Tvrn. — Hinc Gibbon. in Hist. Inclin. et Laps. Imper. Rom. I, cap. 6, pag. 270 ed. Lips. efficere studet, creationem magistratuum inde ab initio rerum romanarum penes populum fuisse. Cn.

(5) Si extra magistratus ali.jua cu-

coeret, populus creato, eique ius coerandi dato. Cum populo, patribusque agendi ius esto consuli; praetori, magistro populi, equitumque, eique, quem patres produnt [1] consulum rogandorum ergo; tribunisque, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi: iidem, ad plebem, quod oesus erit, ferunto. Quae cum populo, quaeque in patribus agentur,[2] modica sunto. Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. Loco senator, et modo orato:[3] causas populi teneto. Vis in populo abesto. Par maiorve potestas plus valeto. Ast quid turbassitur [4] in agendo, fraus actoris esto. Intercessor rei malae, salutaris civis esto. Qui agent, auspicia ser-

ratione opus sit, curatorem populus creato. Sic, ut appellat Varro, L. L. lib. IV, pag. 6, *Viocuri*, id est, curatores viarum, creabantur. Tvrn.

(1) Hunc verborum ordinem Goerentius praeoptavit cum Mss. et edd. vett. vulgato *quem produnt patres*.

(2) Goerenz. conj. legendum *quaeque cum populo, quaeque in patribus agentur*. — *Modica sunto*) Id est, modesta, ne inde turbae oriantur. Ern.

(3) Loco dicit rogatus, modo non infinitus. Vt aliqui qui dicendo diem eximere solebant, quadam potius ambitione quam reip. utilitate. Quo autem loco quis kal. ian. rogatus sententiam fuerat toto anno dicebat. T. — *Vis in populo*. Si quando cum populo agetur, nihil per vim agatur, et plus valeat magistratus intercessio, eique parestur. Tvrn. — *Par maiorve potestas*. Hoc refertur ad interdicendum et provocandum, ut par aut maior magistratus ius habeat interdicendi et ut a minore magistratu ad eum appellari possit. W.

(4) *Ast quid turbassitur*. Ita dedimus cum Goerenz. ex quatuor eius codd. idemque se fecisse ait Sch. neque vero fecit. Sensus est, quem ipse Noster infra cap. 19, 42, exponit: *simulatque turbari coeptum sit*. Sed tum vel Lambini *si* recipiendum post *ast*, quod bis fecimus, vel *quid* sumendum pro *quidquid* (ut Noster *quod* posuit ad Fam. IX, 26, *loquor, quod* (pro *quidquid*) *in solum*): vel hoc ipsum (*quidquid*) rescribendum, quum repetita vox, lineola olim transversa supra scripta, facillime potuerit intercidere. *Turbassitur* est in omnibus Goer. et nostris codd. nisi quod simplex *s* est in cod. M. *turbassit* vero est in edd. Asc. 1, 2, Crat. Herw. Comm. idque reperit Ernest. in ed. Ven. 1494, Mediol. et Ms. Guelf. quare non erat quod diceret Goer. omnes, sine exceptione, scriptos habere *turbassitur*. — *Ast quid* est in edd. Par. et Ald. *Ast qui* in edd. Asc. 1, 2, Crat. Erv. Comm. Brut. Goth. Verb. Davis. *At qui* in edd. Sturm. Corradus in Quaestura, p. 351, legi

vanto: auguri *publico* parento: [1] promulgata, proposita in aere, cognita agunto: [2] nec plus, quam de singulis rebus, simul consulunto: [3] rem populum docento: doceri a magistratibus, privatisque patiunto. Privilegia ne irroganto; [4] de capite civis, nisi per maximum comitiatum, ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto: donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve gesta potestate. Quod quis

vult *ast qui turbasit*, quod placet etiam Ernesto, et ego quoque malim (nisi superior ratio probetur) quam *ast* accipere pro *at si*. Mn. — *Fraus actoris esto*. Fraus hoc in loco poenam denotat; et *fraudem Veteres poenam vocasse* testatur Servius ad Aen. XI, 708. Vide sis Horatium, lib. II, Od. XIX, 20, et Carm. Secul. vs. 41, ac nos lib. II, 24. Dav.

(1) *Auguri*) Subaudiendum *obnuntianti*. Ern. — *Publico* additum a Davis. et Goer. e Mss. compluribus.

(2) *Promulgata, proposita in aere, cognita agunto*. Ita dedimus ex coniectura Goerenzii, eaque facillima: nam quod omnes libros occupat *aerario*, sensum vel nullum habet, vel admodum languidum, qualis is est quem extorsit Ern. *Si verum hoc est*, dicens, *significat, quae reperta sunt in aerario inter tabulas publicas, sc. alio tempore promulgata et non perlata, quae paulatim ad oblivionem venere et sublata negligentia*. Wagn. vel cum Manutio vult *in foro* (quod praeferebat etiam Rath.), vel deleri vult verba *in aerario*; Schefferus Gruteri partibus se applicat, quod fecit etiam Goer. in ed. min. Sensus est: *quaecumque promulgata sunt, ea proponantur in aere inscripta, ut de cognitis agi possit*. Ita Goerenz. Schützius verba *in aerario cognita* inter duas distinctiones posuit, sed probat rationem Goerenzii. Mn. — Antequam magistratus vel tribunus pl. legem in comitiis ferret, i. e. cum populo ageret, proponebat legem suadendam publico loco per trinundinum, i. e. per XXVII dies, ut quivis eam legere posset. Vid. P. Manut. de Legibus Roman. cap. 34. W.

(3) *Rebus consulunto*) Perperam vulgo *nec plus quam de singulis rebus semel consulunto*. Grutero placuit *n. p. q. d. s. r. simul consulunto*. Davisius et Goerenz. *nec plus quam de singulis rebus consulunto*, eiecto *semel* quod plerique codd. Mss. et Edd. vett. ignorant. Schvtz. — *Ne plus quam de singulis rebus simul consulunto*. Id est, ne de pluribus simul rebus, quam de una, consulunto. Recepimus autem Gruteri lectionem, probatam Ernesto et Wagnero. Scribae, quum sive constructionem non recte caperent, sive pravum *semel*, quod irrepserat, sensu carere viderent, abiecerunt vocem genuinam et veram. *Semel* est in plerisque Goerenz. et Davis. nostris Cr. W. M. Copp. Victt. b. edd. vett. quae ad manum sunt, omnibus, exceptis Ald. et Comm. Mn.

(4) Est *privilegium* lex, quae fertur in unum aliquem hominem et

Digitized by Google

earum rerum migrassit, noxiae poena par esto. Censores fide legem custodiunto.[1] Privati ad eos acta referunto: nec eo magis lege liberi sunto.» [2]

Lex recitata est. Discedite, et tabellam iubebo dari.[3]

V. *Q.* Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio: sed ea paene nostrae civitatis; etsi a te paullum allatum est novi. *M.* Rectissime, Quinte, animadvertis. Haec est enim, quam Scipio laudat in libris illis,[4] et quam maxime probat temperationem reipublicae; quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. Nam sic habetote: magistratibus, iisque, qui praesunt,[5] contineri rempublicam, et ex eorum compositione, quod cuiusque reipublicae genus sit, intelligi. Quae res quum sapientissime moderatissi-

singularem causam, vel in commodum, vel in detrimentum: ita lex Manilia erat privilegium in honorem Pompeii. W.

(1) *Fide* est *fideliter*. Quod quum non cogitarent librarii et editores, a recta scriptione aberrarunt. — Vulgo *Censoris fide*. Mn.

(2) Quum rationes retulerint, et de ipsis censores praeiudicarint, nihilominus liceat eos in iudicium vocare et apud magistratus accusare. Tvrn.

(3) *Discedite, et tabellam*. Vulgo *disce rem*, et sic Schutz. Mihi vero magis placet cum Mosero Davisii coniectura. Tvr. — Codd. Cr. W. et M. *discere*, Copp. Victt. b. *discedere*, et inter utramque lectionem fluctuant etiam codd. Goer. Legitur etiam *discere* in edd. Car. Stephan. et Brut. (qui lectionem laudat Ald. *disce et*). In varr. lectt. edd. Crat. et Herw. est *dissere*. Mihi, quidquid obloquatur Goer. Davisii coniectura *discedite* (id est, in suam quisque tribum ad tabellam accipiendam, qua suffragium ferebatur. Wagn.) placet, quum singularis numerus non conveniat allocutioni duorum, neque ea lectio codicum auctoritate plane destituatur. Mn. — *Disce rem*, i. e. iam explicabo vobis legem et tabellam iubebo dari ad suffragia afferenda legemque sciscendam, ut fieri solet in comitiis. Sic supra § 44 dictum est: *rem populum docento*. Vid. P. Manutius de Leg. Rom. cap. 35. W.

(4) Ita cum Victor. Turn. aliisque edidi. Vulgo abest *illis*; quo pronomine significantur Ciceronis libri *de republica*; sed eo omisso nimis infinite dictum esset *libris*. — Moserus quoque, *libris illis*.

(5) *Praesunt* revocavit Goerenz. e sex Mss. et edd. vett. Vulgo *praesint*.

meque constituta esset a maioribus nostris, nihil habui sane, non *modo* multum,[1] quod putarem novandum in legibus. *Att.* Reddes igitur nobis, ut in religionis lege fecisti, admonitu et rogatu meo, sic de magistratibus, ut disputes, quibus de causis maxime placeat ista descriptio. *M.* Faciam, Attice, ut vis; et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est,[2] explicabo, et, ut institui, nostra iura attingam. *Att.* Istud maxime exspecto disserendi genus. *M.* Atqui pleraque sunt dicta in illis libris: quod faciendum fuit,[3] quum de optima republica quaereretur. Sed huius loci de magistratibus sunt propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde a Dione Stoico quaesita subtilius.

VI. *Att.* Ain' tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt?[4] *M.* Non sane, nisi ab eo, quem modo nominavi, et postea a magno homine, et in primis erudito, Panaetio. Nam veteres verbo tenus,[5] acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de republica disserebant. Ab hac familia[6] magis ista manarunt, Platone principe.

(1) Hanc lectionem codd. Mss. omnium olim vulgatam recte revocavit Goerenzius. Davis. Ern. alii ediderant *nihil habui, sane non multum.*

(2) Ed. Vict. Turn. Crat. *quaesitum disputatumque est.*

(3) Verba *quod faciendum fuit*, quae absunt cod ed. Vict. et Pal. eiecit Gruterus, imitantibus eum Davisio et Ernestio. Sed ea iure suo revocavit Goerenzius (probante Mosero.)

(4) Quorum philosophia omnis a rebusp. abhorrere videbatur, quod civem nullum nisi sapientem putarent, nullam civitatem nisi e sapientum coetu constantem. Tvrn.

(5) Id est, veteres Stoici, videlicet Zeno, Cleanthes, et Chrysippus. De Chrysippo erudita nuper prodiit commentatio F. N. G. *Baguet*, Lovanii, 1822, ubi de Chrysippi περὶ πολιτείας libris agitur, pag. 331-333. Mn. — *Verbo tenus.* Id est, ut in sua de rep. disputatione nonnisi contemplationem sequerentur, neque vero de eo loquerentur, quod ad vitae civilis usum pertineret. Mn.

(6) I. e. a secta Academicorum.

Digitized by Google

Post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum, [1] Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus vero institutus ab Aristotele, habitavit, ut scitis, in eo genere rerum; ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis [2] eruditorum otioque, non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros, et doctissimos homines non nimis in republica versatos, [3] multos commemorare possumus. Qui vero

(1) *Civilem locum* bene Wagn. intelligit illud argumentum vel eam argumentorum, ut ait Quintil. sedem, ex quo ea, quae ad civitatis administrationem spectant, promuntur; *in disputando*, quod est philosophi, opponitur dictioni *in dicendo*, quod est oratoris. Desiderat tamen, quum sit paullo insolentius dictum, *civilem philosophiae locum*. Cui opponit Goer. locum Cicer. Partitt. 23, 78: *quae sint in disputando vera, quae falsa*. Quod vero h. l. optime se habet, nostro loco non item commode dicitur; et recte sentiebat Wagn. non bene coniungi posse *illustravit.... in disputando*. Quare ego cum Rathio facio, qui, vocem *in* ex ultima praecedentis vocabuli litera ortam esse suspicatus, coniecit: *illustravit omnem hunc civilem disputando locum*. Quamquam ita non satis probatur contortus verborum ordo. Ma.

(2) *Ab umbraculis*. Budaeus ductum a σκιαμαχίᾳ, id est, umbratili pugna existimat. Sententia est, Civilem doctrinam et disputationes de republ. non solum sub tecto scholisque philosophorum exercuit, verum et ad iustum praelium descendit, ac disciplinam civilem e schola et otio philosophico in concertationes forenses et reip. gerendae contentiones Demetrius Phalereus produxit. Nam remp. Atheniensem non solum diu administravit, verum etiam emendavit et ordinavit. Qua de re commentarios etiam, ut Strabo lib. IX, p. 609 refert, reliquerat, in quibus fortasse et hoc quod hic Cicero scribit, disputabat, et illud quod lib. II de sepulturis commemoravit, scripserat. Ductum potius censeam a Gymnasiorum ambulationibus, quae arborum umbraculis erant opacae, ut in Academia et Lyceo. Nam lib. V de Legibus, ita umbraculum Cicero usurparat, cuius, auctore Macrobio, lib. VI, cap. 4, haec verba sunt, *Eaque quae restant in illis alnorum umbraculis persequamur*. Tvrn.

(3) *Non nimis*. Non admodum; paucos commemorare possumus qui et in reip. administratione, et philosophiae doctrina excelluerint. Tvrn.

utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile, praeter hunc, inveniri potest? [1] *Att.* Puto posse, et quidem aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut coeperas.

VII. *M.* Quaesitum igitur ab illis, [2] placeretne unum in civitate esse magistratum, cui reliqui parerent: quod exactis regibus intelligo placuisse nostris maioribus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea, non tam regni, quam regis vitiis, repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. Quare nec Ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. [3] Nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset: [4] hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit ipse, qui eo non teneretur: [5] deinde quod

(1) *Vt et doctrinae.* Cicero libenter et prope impudenter laudem captat: quamquam hic minus immodeste id facit, quam in Officiis, ubi prae se Demetrium contemnit. Tvrn.

(2) Vulgo *quaesitum igitur ab illis est.* Cod. Vien. Dresd. *quaesitum igitur est ab illis.* Librariis deberi illud *est,* censuit Goerenzius idque delevit. — *Vnum.... magistratum.* Non intelligendum de uno et singulari homine, veluti dictatore, sed de ipso munere, quod unum unusque magistratus dicitur, licet a duobus pluribusque geritur, veluti consulibus. W.

(3) Theopompus Lacedaemoniorum rex potestati regum ephoros opposuit, eosdem propemodum ac qui Romae tribuni erant. Quo nomine expostulanti uxori querentique quod regalem potestatem liberis imminutam esset relicturus, Sane quidem, inquit, verum securiorem et diuturniorem. Ephororum autem potestas eo progressa est, ut etiam regem capitis condemnarent, sed eam tamen ut nimis tyrannicam postea Cleomenes sustulit, et regibus pristinam potestatem restituit. Quinque numero erant: nomen habent, διὰ τὸ ἐφορᾶν. De his vide Arist. de Republ. lib. II. Tvrn.

(4) Ne rursus ita opprimeretur populus sub consulibus, ut sub regibus fuerat oppressus. Ma.

(5) I. e. quia tribunus exstitit, qui a consule non penderet. Sic Bouilletus, ut erroris redargueret Goerenzium, Schutz. atque Moserum, qui

Digitized by Google

attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, [1] sed etiam privatis, consuli non parentibus. *Q.* Magnum dicis malum. Nam, ista potestate nata, [2] gravitas optimatium cecidit, convaluitque ius multitudinis. [3] *M.* Non est ita, Quinte. Non enim ius illud solum superbius populo, sed violentius videri necesse erat: quo posteaquam modica et sapiens temperatio accessit, conversa lex in omnes est. [4]

*Deest omnium huius legis capitum explicatio a principio, usque ad hoc caput* Domum cum laude redeunto.

VIII. *Domum cum laude redeunto.* Nihil enim, praeter laudem, bonis atque innocentibus, [5] neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. Iam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam quempiam legari nisi reipublicae causa. [6] Omitto, quem-

sic interpunxerunt: *quod exstitit, ipse qui eo* etc. Typ.

(1) Cod. Vien. Gud. 2, *non magistratibus;* deinde autem Vien. *sed quoque*. Vnde suspicatur Goerenz. Ciceronem scripsisse *non magistratibus, sed privatis.*

(2) Codd. aliquot *damnata*. Inde Davis. coniecit *demum nata.*

(3) Quum *ius multitudinis* opponatur *iuri consulis*, Goerenzius Wagneri coniecturam *vis* pro *ius* supervacaneam censet. Sed tamen, quum *malum* hoc dicat Noster, idque *magnum*, *vis* certe maiore cum probabilitate malum dicitur, quam *ius*. Favent etiam illi coniecturae cod. W. et Copp. Victt. b. eique Rathius calculum suum adiecit. Tum Copp. Victt. b. inverso ordine: *Non est, Quinte, ita. Non ius enim illud solum*. Cod. M. *illud ita solus.... pop. et violentius.* Ma.

(4) Davis. audacius quam par erat coniiciebat *confecta pax inter omnes est.* Sed quum in codd. multis legatur *convertenda*, Goerenzius suspicatur partem huius enuntiati in lacuna quae sequitur latere, et verba *conversa.... est* ad sensum loci complendum esse aptata.

(5) I. e. praetoribus ac praesidibus provinciarum, qui nil mali commiserint in provincia, convenit, ut neque ex bello ab hostibus, neque a sociis ex administratione provinciarum quidquam domum afferant, nisi laudem. W.

(6) Liberas reprehendit legationes, quas senatores plerumque impetrabant. Eas fere petebant quibus in provincia negotium esset, ut illic et gratia maiore, et potestate, et sumptu minore res suas persequerentur: erant autem magno sumptui et oneri provincialibus. Tvan.

(7) *Quempiam* assumpsit Goerenz. e cod. Brux. Vien. Dresd. 1.

admodum isti se gerant, atque gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. [1] In hominibus [2] est hoc fortasse vitium. Sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo reipublicae munere? Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen, approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levis [3] tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Minui tamen tempus, et, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Sed iam, si placet, de provinciis decedatur, in urbemque redeatur. [4] *Att.* Nobis vero placet: sed

(1) *Syngrapha* est pactum scriptum et contractus inter privatos, ita ut duo fiant exemplaria, ab utroque contrahente subscripta. Differt ab aliis *chirographis*, quod in illis verum scribitur, in his nonnumquam falsum, v. c. debitor affirmat, se centum nummos accepisse, licet pauciores acceperit. Ita explicat Asconius Pedianus in Comm. ad Cic. Or. Verr. III, 36. W.

(2) Goerenzii libri plerique omnes, uno excepto, habent *omnibus*. Vulgatam ille sic defendit et explicat: *hominibus est hoc vitium commune, ut privata sua commoda, quacumque ratione possint, persequantur. Sed per se quidem ista ratio turpissima est.* Sed quid tum facies verbo *fortasse*. An dices esse pro *videtur esse?* Quo quid esset ieiunius? Equidem crediderim *omnibus* ferri posse, si ita locum intelligas: *in omnibus, etiamsi nullius plane essent dignitatis in republica, hoc fortasse esset reprehendendum; sed in senatore romano tali actione nihil est turpius, quia populi romani maiestas apud exteros vel in provinciis deminuitur.* Rathius, servata lectione *hominibus*, post *fortasse* addi volebat *leve*. Mr.

(3) Metellus Nepos, ut opinor; aut Bestia, aut alius tribunus. Tvrn. — *Levis* autem non inconstantem, sed vilem nulloque honore dignum significat. Livius III, 35: *Extollere candidatorum levissimum quemque humillimumque.* Videatur Agellius VIII, 11. Dav.

(4) *Sed iam, si placet.* Ioculariter dictum. Nostra, inquit, oratio a negotiis magistratibusque provincialibus ad res urbanas, et magistratus romanos revertatur: aliorsum vertit qui respondet, atqui legati, quos de provincia invitos tua lex avellit, non libenter in urbem redibunt, relicto quaestu provinciali. Nam provinciarum cupiditate Romani ardebant, et adesa re, effusisque ac perditis fortunis, unum multis hoc subsidium erat, adeptio provinciae, quam spoliarent et diriperent: et Gabinius quum foris esset (foris autem esse dicebantur,

Digitized by Google

iis, qui in provinciis sunt, minime placet. [1] *M.* At vero, Tite, si parebunt [2] his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque provincia.

IX. Sed sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem, quae *est* in republica nostra: de qua disseri nihil necesse est. *Q.* At mehercule ego, frater, quaero, de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione, et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium, et occupatis et obsessis urbis locis, procreatum videmus. [3] Deinde quum esset cito *letatus*, tamquam ex XII tabulis, [4] insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus, [5] multoque tetrior et foedior

qui, quod solvendo non essent, flagitanti creditori non esse domi dicebantur) et egeret, unam in provincia rerum suarum spem collocarat. Tvrn.

(1) Coniicit J. V. L. hoc malitiose dictum in C. Caesarem qui tum temporis perpetuam in Gallia legationem iam meditabatur. Biennio post bellum civile exarsit. Bouil.

(2) *Parebunt* Davis. post Victor. e duobus codd. edidit. Idem praeter edd. vett. plerosque habent cod. Brux. Vien. Gud. 1, Dresd. 1. Itaque Goerenzius quoque id vulgato *pareant* praetulit.

(3) Ern. malebat *procreatam videmus*. Sed vel, ut Goerenzio visum, ex verbis *tribunorum plebis potestatem* intelligendum est *tribunatum*; vel, quod haud scio an probabilius sit, eadem vox omissa est a librariis, quum Cicero scripsisset *procreatum videmus tribunatum*.

(4) Ad quoddam XII Tab. caput allusum est, in quo de pueris agebatur, qui depravatis et deformibus membris nascuntur: eos enim insignes et insignitos Latini vocabant. Plautus in Milite, act. III, sc. 1, 127: *Ea mihi insignitos pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut brochum.* Quum autem monstrosos partus interfici Romulus voluisset, caverant, ut reor, decemviri ne parentes in deformes partus, atque adeo ad deformitatem insignes saevirent. Tvrn.

(5) In libris scriptis mendose legitur *legatus.... creatus*. Ernestius post Davisium ex Aurati coniectura pro *legatus* recepit *ablegatus*. Puteanus conj. *necatus*. Gruterus vero *letatus*, quod cum Goerenzio recepi. Item cum eodem e Puteani emendatione scripsi *recreatus*. *Letatus* refero ad annum urbis 302, quo decemviris legum scribendarum creatis tribunitia potestas primum sublata est. Nam ad Sullae tempora ne referam, prohibet adverbium *cito* adiectum. *Recreatus*

natus est. Quae enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, [1] patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit; quum afflixisset principum gravitatem, numquam tamen conquievit. [2] Atque ut C. Flaminium, atque ea, quae iam prisca *videntur*, *propter vetustatem* relinquam; [3] quid iuris bonis viris [4] Tib. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante, D. Brutum et P. Scipionem consules (quos et quantos viros!) homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus plebis, C. Curiatius in vincula coniecit: quod ante factum non erat. [5] C. vero Gracchus runis et sicis iis, [6] quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicae statum permutavit? [7] Quid iam de Satur-

ad annum 304 quo decemvirorum potestate extincta, tribunatus restitutus est. I. F. Gronovius Obss. in script. eccl. c. 19, p. 102, sic h. l. emendabat: *Deinde quum esset cito necatus.... brevi tempore recreatus, multoque concretior et foedior natus est.* Davisius malebat: *deinde quum esset cito necatus* (vel *letatus*) .... *brevi tempore recreatus multoque tetrior et foedior factus est.*

(1) *Impio.* Quia auspiciorum religio quae patrum erat, contaminari videbatur communicato cum plebe consulatu: aut promiscuis nuptiis sacra gentium polluebantur, si de Canuleio intelligeretur, quod mihi non placet. Tvrn.

(2) Fluidior foret oratio si per Mss. copulam addere liceret, sic: *quumque afflixisset* etc. Typ.

(3) Sic Davis. Goerenz. ut est in compluribus Mss. et edd. vett. Nonnulli, ut nuper Ern.: *atque ea quae iam prisca sunt relinquam.*

(4) I. e. *optimatibus.*

(5) Recte P. Manutius: « Oratorie, inquit, quod ante perquam raro vel etiam semel duntaxat factum erat, id numquam esse factum, dixit. Nam L. Lucullus et A. Albinus Coss. quum delectum severe nimis agerent, vacatione nemini concessa, in carcerem a tribunis pl. quia nihil pro amicis rogando impetrassent, coniecti sunt. Id a Livio proditum indicat Epitome lib. XLVIII. »

(6) Plerique codd. habent *ruinis et emissitiis*; Turnebus restituit *runis et iis sicis*; Lambinus *runis et sicis iis*, quod deinde plerique editores servaverunt. Iac. Cuiacius ad Novellam LXXXV, cap. 4 reponendum censebat *runis et semisicis*. Goerenzius edidit *runis et emissitiis.*

(7) Cod. Oxon. C. *perturbavit.*

Digitized by Google

nino, Sulpicio, [1] reliquisque dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit respublica. Cur autem aut vetera, aut aliena proferam potius, quam et nostra, et recentia? Quis umquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, ut cogitaret umquam [2] de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem quum homines scelerati ac perditi, non modo ulla in domo, [3] sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris reipublicae perturbandas putaverunt. [4] Quod nobis quidem egregium, et ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. [5] Sed ille quas strages edidit? eas videlicet, quas sine ratione, ac sine ulla *specie* bona, [6]

(1) Optime sic emendavit Goerenzius vulgatam: *quid iam de Saturnini supplicio reliquisque dicam?* — Emendationem probavit etiam Moserus. *T.*

(2) Assentior Ernestio posterius *umquam* delendum arbitranti. Ac fortasse scripsit Cicero *Numquis umquam .... fuisset ut cogitaret de statu*, etc.

(3) *Nulla in domo* maluerunt Lambin. et alii. Davisius conj. *non modo ulla in domo sed nec ulla in gente.* — *Non modo* est pro *non modo non*, et *sed nulla* pro *sed ne ulla quidem*, quae constructio Ciceroni est familiaris; vide, ut alios praeteream, quae novissime monuit Beier. ad Cic. de Off. III, 29, 105, p. 382 sq. ibique laudd. ubi videbis, in altera propositione vel in oppositione non semper necessario requiri *ne.... quidem*, sed pro eo poni etiam *vix*. Itaque sicut h. l. dicere potuisset *sed vix ulla*, potuit etiam scribere *sed nulla*. Quod autem de *gentibus* dicitur, refertur ad Clodium, qui se P. Fonteio, minori natu, maior ipse, adoptandum dederat. Ma.

(4) *In tenebris.* In dissensione civium et dissidio magistratuum. Tvax.

(5) Scil. ut Clodius patricius a Fonteio homine plebeio adoptaretur, eaque ratione ei liceret tribunatum plebis gerere. — *Cui ne esse quidem licuisset tribuno.* Ratio est, quod contra ius pontificium contraque auspicia Clodius in familiam plebeiam erat adscitus. Dav.

(6) Reposui *specie*, quod est in cod. Vien. pro vulg. *spe*. Ita sensus est, Clodio nullam ne *speciem* quidem honestam fuisse furiosi in Ciceronem impetus, quod ad sententiam h. l. multo aptius esse videtur lectione vulgata. Ceterum Rathius suspicabatur in omni hoc loco, pro *nostro* — *nos* — *nobis* — *nos* scriptum olim fuisse *tuo* — *te* — *tibi* — *te*. Attamen Quintus de fratris exsilio loquens calamitatem istam secum communicare poterat. — *Ac sine ulla spe) Spem*

furor edere potuit impurae belluae, multorum inflammatus furoribus. Quamobrem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit: Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus [1] semper amplissimis summisque effero laudibus; de tribunicia potestate taceo. Nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.

X. *M.* Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, perspicis. Sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consulatus *vituperetur*, [2] si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali: sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. — Nimia potestas est tribunorum plebis. — Quis negat? Sed vis populi multo vehementior multoque [3] saevior, quae ducem quod habet, interdum lenior est, quam

explicat Goer. consilium, quo peragendo, boni quid inde redundaturum speramus. Hac enim *spe* homines, *ratione* praediti, ad agendum impelluntur. Sed Sch. dedit *specie*...., quod nobis quidem magis probatur, quamquam a corrigendo abstinendum duximus. Ms.

(1) *Pompeiumque nostrum*. Tulit Pompeius legem, qua tribunitiam potestatem restituit ann. Vrb. 698. In seqq. vix manum abstinui, quin, quod volebat fieri Ern., *in* adderem ante *ceteris*, quod additum est in ed. Comm. Nam quod ait Goer. *ceteris rebus omnibus* dictum esse pro *propter ceteras res omnes*, laudatque exempla ex Cic. in quibus *propter* omissum causa fuerit ablativi positi, in eo non vidit, aliam esse illorum exemplorum, aliam nostri loci rationem: in illis enim, quamvis suppleri possit *propter*, ablativus ex iis est qui ad ablativos instrumenti propius accedunt. Sed quum apud alios optimae notae scriptores tales ablativi, qualis noster est, sint frequentes, nihil muto. Rathius ab Ern. partibus stat. Ms.

(2) *Vituperetur* Goerenzium auctorem secutus reposui pro vulg. *vituperio est*, quod a Gebhardo e codd Pall. erutum, ne latinum quidem est. In multis codd. Mss. et in edd. vett. erat *vituperabilis*; codd. Brux. Vien. Gud. 2, *vituperet*. — Moserus quidem laudat Goerenzii lectionem, praeoptavit tamen *vituperabilis est*. Typ.

(3) Ita Goerenz. cum Mss. Brux.

si nullum haberet. Dux enim suo *se* periculo progredi cogitat: [1] populi impetus periculi rationem sui non habet. — At aliquando incenditur. — Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? quin ipsum Ti. Gracchum non solum vetitus, sed etiam sublatus intercessor *straverat.* [2] Quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiorum in illo vide. [3] Concessa plebi a patribus ista potestate, arma ceciderunt; restincta seditio est; inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarent: in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter [4] eos quamvis enumeres multos licet, quum deni creentur. *Nonnullos* [5] in omni memoria reperies perniciosos

Cassel. ed. Victor. Turn. Crat. al. vett. Vulgo *multo saevior multoque vehementior.*

(1) *Dux enim suo se periculo progredi cogitat.* Vocabulum *se* abest ab omnibus libris, tam scriptis, quam editis. Sed sensus ita tantum is est, quem Cic. voluit, si illa vocula additur. Si abest, id dicit Noster: *dux suo periculo progredi vult*; sed vult: *dux cogitat, se, quodcumque faciat, suo facere periculo.* Quod videntes Goer. et Sch. ille coniecit *se suo*, hic eam coniecturam recepit. Mn.

(2) Vulgo olim: *quin per ipsum Ti. Gracchum.... intercessor fuerat.* Alii ut Ern. *Quin ipsum Ti. Gracchum .... intercessor perculit.* Davis. *perculerat.* Equidem Goerenzii correctionem probo, qui e vestigiis aliquot codd. Mss. eruit lectionem *straverat.* — Restituenda vetus lectio: *Quin per ipsum.... non solum vetitus.... intercessor fuerat.* Nam Ti. Gracchus Octavium collegam, tribunum pl. ipsi, agrariam legem ferenti, obsistentem, quum vetando, i. e. resistendo, nil proficeret, sustulit, i. e. eum privavit potestate tribunitia. Huius facti invidia postea interitum attulit Graccho. W. — Quin vetus lectio restituatur obstant sequentia: *Quid enim illum* etc. In Goerenzii correctione acquiesco, donec certius quid afferatur. Typ.

(3) Hanc lectionem editores inde a Davisio receperunt e P. Manutii coniectura pro vulg. *sed tu sapientia maiori nihilo vide.*

(4) Pro *Et praeter*, visum est nonnullis reponendum *At praeter.* Vulgatam recte defendit Goerenzius. Nam *Et* sic saepe pro *Et sane*, aut *Et quidem* ponitur.

(5) Ernestius cum aliis reposuit *nonnullos.* Sed verum esse *nullos* docuit

tribunos; leves, etiam non bonos fortasse plures. Invidia quidem summus ordo caret: plebes de suo iure periculosas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt; aut plebi re, non verbo danda libertas: quae tamen sic data est, ut *multis* praeclarissimis adduceretur,[1] ut auctoritati principum cederet.

Goerenzius. Sch. — Haud video, qui Cicero dicere potuerit aut voluerit, *nullos* omnino repertos umquam *perniciosos tribunos*. Quid enim? An Apuleius Saturninus, an tot alii, qui caedes et tumultus violentos in foro exciturunt, an ipse Clodius non fuit ex Ciceronis sententia perniciosus tribunus? Deinde illud *plures* videtur declarare praecessisse *multos*. Peris. — Non iungenda, *quamvis licet*; sed ordo est: *licet (ut) enumeres quamvis multos*, i. e. tam multos, ut volueris. Bacon. — Muretus, Varr. Lect. IV, 3, ad hunc locum Turnebum vituperans ita coniicit: *At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamvis enumeres multos licet, quum deni creentur. Non nullos in omni memoria*, etc. Ad lectionem *creantur* dicit: » Quasi aliquando deni creentur, aliquando aliquo alio numero: et quum deni creantur, tum nulli perniciosi reperiantur. Quod si esset, nae mirificam ille vim numerus habuisset.« Ad *nullos*: » Non eos tantum ait Cic. (Gracchos) proferri posse, verum etiam eorum similes, quamvis multos: neque id mirum esse, quum deni creentur; etenim in tanto numero non est mirabile, plures improbos exstitisse, quam in iis magistratibus, qui bini creabantur. Tum subiungit: Si evolvantur annales, et antiquitatis memoria replicetur, nonnullos repertum iri perniciosos tribunos, leves aut etiam non bonos fortasse plures. Hoc tamen magnum bonum in civitate inesse, quod efficit, ut ordo senatorius invidia careat. Nullos autem in omni memoria perniciosos tribunos fuisse, nemo, opinor, nisi plane ἀνιστόρητος dixerit.« — Turnebus in Comm. primo coniecit: *licet. Quum deni creentur, nonnullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos et leves, et tamen bonos forte plures. Ita invidia*, etc. Schefferus: »Mallem *multos* scribere pro *nullos*, videturque postulare, quod sequitur, *fortasse plures*.« — Ern. cum Lamb. et Davisio dedit *nonnullos*; cum quo facit Wytt. in scholis. Goer. et Sch. restituerunt *nullos*. Sed, quidquid dicat Goer. non Gracchi tantum ex omnibus tribunis *perniciosi* possunt dici; sed, quamvis non multi, tamen *non nulli*. Nam si eos tantum perniciosos dicere volueris, qui consulto et data opera rempublicam evertere et perdere sint conati, id ne Gracchis quidem vere dixeris, qui, quamvis ratione Ciceroni merito improbata, patriam non perditam, sed auctam etiam, restituta, ut ipsis videbatur, populi libertate, volebant. Sed quorum actiones in damnum reipublicae redundarent, plures certe, quam Gracchi, reperti sunt; plures etiam, qui essent leves et non boni. Ma. — Mureti coniecturam et interpunctionem amplexus sum. Typ.

(1) Lambinus malebat *praeclaria-*

XI. Nostra autem causa, quae, optime et dulcissime frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. [1] Non enim plebe incitata nostris rebus invidit; sed vincula soluta sunt, et servitia *in*citata, [2] adiuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo reipublicae tempore: cui ni cessissem, [3] non diuturnum beneficii mei patria fructum tulisset. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim non modo liber, sed *etiam* servus [4] libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? Quod si is casus fuisset rerum, [5] quas pro salute reipubli-

*simis legibus addiceretur*. Davisius *SCtis praeclarissimis addiceretur*. Goerenzius in *praeclarissimis* subintelligendum arbitratur *commodis*. Ego vero praetuli lectionem Gud. 2 et Cassel. *adduceretur*. Significatur *plebem, libertate ei data, multis praeclarissimis adductam esse ut auctoritati principum h. e. senatus cederet*. Et pro *multis praeclarissimis* videtur legendum *muneribus praeclarissimis*. — *Vt SCtis praecl.* Hanc Davisii emendationem, utpote facillimam, amplexi sumus, quum vulgata satisfacere non possit, aliorumque VV. DD. emendationes longius a libris discedant. Ma.

(1) Nam Cicero numquam plebis libertatem aut commoda oppugnavit, quae trib. tueri debent, nec ut in oppressorem libertatis Ciceronem plebs coorta est et concitata, sed servitia et vincula. Bouh. — *Vincula soluta sunt*. Clodius, ut Ciceronem urbe expelleret, carceres refregit, custodias, servos, gladiatores, omnesque sicarios adversus eum armavit. In hanc sententiam hac de re saepe loquitur Cicero, quum intelligendum sit colluvionem et faecem urbis a Clodio in eum incitatam fuisse. *Vincula* autem vinctos per metonymiam intelligit, qui in custodia habebantur. Sic *servitia* pro servis mox usurpat: sic *custodiae* dici solent: sic *crimina* quodam loco Tacit. Annal. I, 55, usurpavit. Sic: *Carcer vix carcere dignus* dixit Lucilius. Tvan.

(2) *Incitata*. Goerenzius, cui displicet repetitum *incitata*, coniecit *servitia concitata*, quod mihi cum Schütz. placet. Ita Noster in Pison IV, 9: *Collegia, non ea solum, quae senatus restituerat, restituta, sed innumerabilia quaedam nova ex omni faece urbis ac servitio concitata*. Ma. — *Terrore militari*. Erat enim ad portas cum imperio et exercitu Caesar: cuius arma Ciceroni Clodius intentabat. Tvan.

(3) Sic Goerenzius e vestigiis lectionis aliquot codd. Mstorum. Vulgo *cui si non cessissem*.

(4) Vulgo *sed etiam servus*. Particulam *etiam* quae abest cod. Vien. delevit Goerenzius.

(5) *Quod si is casus*, etc. Id est, is lapsus, haec ruina rerum mearum. Nam Latinis *casus* non dicitur

cae gessimus, ut non omnibus gratus esset; et, si nos multitudinis furentis inflammata invidia pepulisset, tribuniciaque vis in me populum,[1] sicut Gracchus in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset; ferremus, o Quinte frater; consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi viri,[2] qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate, quam manere in improba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud vi-

de quovis eventu, de quavis re aut tempore, ut nec *circumstantiae* dicuntur latine: quamquam nomen *casus* est tritum in iure hoc sensu; ubi tamen a veteribus iureconsultis nonnisi certa ratione dicitur, nec promiscue, ut hodie. Latini dicunt *causa*, *conditio*: *casum* autem de ruina et conditione hominis et rei cadentium. — *Vt non omnibus*, etc. Particula *non* delenda est, ut sensui contraria. W. — Ita ut haec huius loci sententia sit: *Quod si omnes cives rempublicam eversam voluissent.* Cr. — Haec certe sententia mihi quam maxime placet, ita ut a delenda negandi particula vix omnium librorum, eam tuentium, consensus me absterruerit. Tum certe non opus esset, cum Wagnero aut syllepsin statuere in verbis *gratus esset*, ut dicta sint pro *gratae essent* (res), aut corrigere *gratus essem*. Neque etiam ea interpretatione, quam satis artificiosam excogitavit Goer. indigeremus: *Si res, quas pro salute patriae gessi, non eum eventum habuissent, quem omnes grata mente agnoscerent;* neque denique cum Goerenzio *et si*, quod sequitur, pro *sed si* accipiendum erit. Mr. — Falsam puto Creuzeri interpretationem, et *non* esse retinendum. Typ. — Wyttenbachii lectionem et interpretationem non admisit doctus interpres Car. *de Rémusat*, qui hunc locum sic vertit gallico sermone: « que si tel eût été le tour des affaires, que tout ce que j'ai fait pour la conservation de la république n'eût pas obtenu la reconnaissance de tout le monde, si j'eusse été banni par la multitude irritée, etc. »

(1) Vulgo: *et si nos multitudinis vis furentis inflammata invidia pepulisset; si tribunus aliquis in me populum* etc. Et sic Turnebus, quem sequuntur Gebhardus et Lambinus, nisi quod hic *perculisset* reposuit pro *pepulisset*. Puteanus coniecit: *si nos multitudinis vis furentis inflammata invidia perculisset, si quis sic in me populum.* — Davisius malebat *si in nos multitudinis vis furentis inflammata invidia perculisset; si quis sic in me populum.* — Equidem Goerenzium sequor, qui locum comparata varia codd. Mss. scriptura ita constituit, ut edidi; cui Rathius quoque assensus est, qui tamen ante *pepulisset* inserendum putabat *urbe*, et ante verba *in me populum* addendum *sic*, quod est in Mss. nonnullis.

(2) Goerenzius mavult *clarissimi isti viri.*

Digitized by Google

deris attendere, non solum ei, quid esset optimum, videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? [1] Sapientis autem civis fuit, causam nec perniciosam, et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, ADMODVM dici, aut PRORSVS ITA EST. [2] *Q.* Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim. *M.* Perseveras tu quidem, et in tua vetere sententia permanes. *Q.* Nunc mehercule. *Att.* Ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quae restant, audiamus.

XII. *M.* Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et iudicia dantur: [3] iudicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur: auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae: saepe enim populi impetum iniustum auspiciis dii immortales represserunt. Ex his autem, qui magis-

(1) Excusat quodammodo Tullius factum Pompeii, quem Clodii furori qui tribunus plebis, coacta servili manu, ex civitate eiecerat patriae patrem ac vindicem, obsistere potuisse, ac debuisse, existimabat Quintus, quippe in consulatum Pompeii inciderat ista seditio. CANNEG.

(2) Optime sic emendavit Goerenius fide codd. a se collatorum et Oxx. omnium. Vulgo: *ADMODVM dici.* Att. *Prorsus ita est. Q. Haud equidem* etc. Lambinus ediderat: *ADMODVM. Q. Prorsus ita esse haud equidem assentior. — Admodum.* In dialogis qui respondet, quum disputanti assentitur, dicere *admodum* solet, ut una re pertractata alio transiri possit. Proinde tu frater *admodum* dicito, mihique assentitor. Scielat autem pertinacem Quintum, et ab eo tribunitiam potestatem saepe vituperari audierat. TVRN.

(3) Haberi comitia rogandis magistratibus, nisi auspicato non possunt, adversaque auspicia diem dirimunt et moram obiiciunt. Sed auspicia hic in aliam sententiam dicit, ut omnibus comitialibus, fastisque diebus, liceat magistratibus de caelo servare, quod semper comitia impediebat, aut saltem in auspicio esse. Minor tamen magistratus maiore habente comitia de caelo servare vetabatur. Sed ne-

tratum ceperunt, quod senatus efficitur, populare sane, [1] neminem in summum locum, nisi per populum, venire, sublata cooptatione censoria. [2] Sed praesto est huius vitii temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas. Sequitur enim: *eius decreta rata sunto.* Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creverit, defendant omnes; et, si ordines reliqui, principis ordinis consilio rempublicam gubernari velint; possit, ex temperatione iuris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, praesertim si proximae legi parebitur. Nam proximum est: *Is ordo vitio careto, ceteris specimen esto.* Q. Praeclara vero, frater, ista lex est, et late patet, [3] ut vitio careat

que censores consulibus aut praetoribus turbabant, aut retinebant auspicia: verum censores inter se, praetoresque et consules inter se vitiabant et obtinebant. Tvrn.

(1) Pro vulg. *popularem* iam Turnebus dederat *populare est.* Totum vero locum ita constituendum putabat Davisius: *Ex iis autem qui magistratum ceperunt quod senatus constat, efficitur populare id sane.* Brevior et concinnior est Goerenzii ratio, quam secuti sumus. — Scripsimus cum Davisio *populare id sane*, pro *popularem sane*, quod codd. omnes occupat. In edd. Lamb. et Comm. est *populare est sane*, quod placet Rathio, neque mihi displicet. Goerenz. et Schutzius dederunt *populare sane.* Wyttemb. videns, dictionem *efficitur senatus ex* non satis esse probam, Davisii partibus se applicuit, addens: *summus locus est senatus; in hunc veniebant magistratus, sed hi eligebantur a populo.* Mn.

(2) *Cooptatione censoria.* Censores, quaestores, equites illustres, et viros insignes in senatum cooptabant. Hanc cooptationem lege Cicero tollit, quum ex magistratibus senatum efficit. Nam cooptatio dicebatur, quum sine suffragio populi, vel sacerdotes sacerdotem, vel pontifices pontificem, vel censores senatorem, legebant. Cooptatio enim est, quum collegae simul optant et eligunt. Tvrn.

(3) *Praeclara vero, frater, ista lex est, ut vitio careat ordo, et late patet, ut*, etc.) Turneb. e Mss. *p. v. f. ista lex est, et late patet, ut v. c. o. et c. q. interpretem*, quod Aldus Nep. Mich. Brut. Gruterus, Davis. Ernestius aliique recentiores receperunt. In plerisque codd. Mss. est *praeclara vero, frater, ista lex, sed et altera, ut vitio careat ordo et censorem quaerat interpretem.* Unde Davisius legendum opinabatur *praeclara vero, frater, ista lex, si quae alia, ut vitio careat ordo; ut censorem quae-*

Digitized by Google

ordo, et censorem quaerat interpretem. *Att.* Ille vero, etsi tuus est totus ordo, gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare. [1]

XIII. *M.* Omitte ista, Attice: non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere voluerint, haec habetur oratio. Nam quum omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem umquam *quisquam* [2] vitii particeps. Id autem difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina: de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci, aut temporis. *Att.* Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus vero largitur longitudo diei. Ego autem, etiamsi praeterieris, repetam a te istum de educatione et *de* disciplina locum. *M.* Tu vero et istum, Attice, et si quem alium praeterii. *Ceteris specimen esto.* Quod si est, tene-

*rat interpretem.* Goerenius vero edidit: *Praeclara vero, frater, ista lex est, sed altera ut et vitio careat ordo, et censorem quaerat interpretem!* ut sit exclamatio cum aposiopesi. Ego vero Quintum hic de una solum illa proxima lege agere existimo, *is ordo vitio careto*; et servata lectione Turnebiana *late patet*, totum locum ita constituendum: *Praeclara vero frater ista lex est, ut vitio careat ordo, et late patet, ut censorem quaerat interpretem.* Significat enim Quintus istam legem *ut vitio careat ordo* ita *late patere*, ut requiratur censorum munus, qui de senatorum moribus quaerant, eosque qui hoc ordine propter vitia indigni sint, senatu moveant. Et hoc quidem modo Quinti verba optime cohaerent cum iis quae Atticus proxime subiungit. — Interea vulgatam lectionem servandam duxi cum plerisque editoribus. Tyr.

(1) Id est, ordo senatorius, quamquam totus tibi favet, propter remp. contra Catilinae impetum te consule defensam, tamen habet multos vitiosos senatores, qui a iudicibus iudicandi, et a censoribus notandi sint, ut et iudicibus et censoribus satis laboris possint praebere. W. — Tantum abest ut animadversionibus censoriis corrigi possit, ut omnes iudices defatigaturus sit. Tyr.

(2) Cod. Vien. Gud. 2 Dresd. utroque *quisquam*. Et sic Davis. e cod. Paris. Harl. 1, 2 Ball. Med. ed. Ven. 1471. Vtrumque *usquam quisquam*

mus omnia. Vt enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas; sic emendari et corrigi continentia. Vir magnus, et nobis omnibus amicus, L. Lucullus, ferebatur [1] quam commodissime respondisse, quum esset obiecta magnificentia villae Tusculanae, duo se habere vicinos: superiorem, equitem Romanum; inferiorem, libertinum: quorum quum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod his, [2] qui tenuioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret istos, quum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatis eiusdem tenerentur?

XIV. Nec enim tantum mali est peccare principes (quamquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. Idque haud paullo est verius, quam quod Platoni nostro placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum status. [3] Ego au-

coniungendum esse, placet Goerenzio, cui ipse assentior. — *Quisquam* in ordinem recepi cum Mosero. *T.*

(1) Ita Davis. cum Mss. Harleian. 4 Med. editisque multis. At Turneb. Victor. Grut. Ern. *efferebatur*, *quasi commodissime respondisset*. Goerenz. *ferebatur*, *quasi commodissime respondisset*, *ut*.

(2) Sic Goerenz. e quinque codd. Vulgo *iis*. (et sic fere semper Schutzius cum Goerenzio, uti iam alibi monuimus. *T.*) Pro *tenuioris* Turn. Lambin. Davis. ediderunt *inferioris*.

(3) Platonis verba sunt lib. IV de Rep. pag. 447: Εἶδος γὰρ καινὸν (lege παλαιὸν) μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον, ὡς ἐν ὅλῳ κινδυνεύοντα· οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων.

Digitized by Google

tem nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, quod ipsi [1] corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. Atque haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. [2] Pauci enim, atque admodum pauci, honore et gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere possunt. Sed haec et nunc satis, et in illis libris tractata sunt diligentius. Quare ad reliqua veniamus.

XV. Proximum autem est de suffragiis: quae iubeo nota esse optimatibus, populo libera. [3] *Att.* Ita mehercule attendi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista vellent. *M.* Dicam, Tite, et versabor in re difficili, ac multum et saepe quaesita: suffragia *in* magistratu mandando, [4] aut lege aut rogatione sciscenda, [5] clam, an palam ferre melius esset. *Att.* An etiam id dubium est? *Q.* Vereor, ne a te rursus dissentiam. *M.* Non facies, Quinte: nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio: nihil ut fuerit

(1) *Ipsi quod*) Sic Goerenzius cum codd. Brux. Vien. Dresd. 2. Vulgo *quod ipsi.*

(2) Etiam istud in paucis principibus verum est, non tantum in toto ordine. Tvrn.

(3) Libera sunt quando non voce, sed tabella feruntur. Optimatibus sunt nota hac lege, quia quibusdam tabellae ostenduntur, quum legibus romanis id tamen vetitum esset. Tvrn. — *Populo libera.* Vide de hoc loco Io. Frid. Christii Noctt. Academic. (Obs. VI de iure Quiritium) p 91 Cn.

(4) Vulgo *in magistratu mandando.* Praepositionem quae abest a Vien. Cassel. et Gud. 4 cum Goerenzio delevimus.

(5) Lex est quod pop. rom. senatorio magistratu, ut consule rogante, constituebat. Rogatio autem latius patet quam lex, et plebiscitum etiam significat: nimirum quod plebs plebeio magistratu, ut tribuno interrogante, sciscebat. Tvrn.

in suffragiis voce melius; sed, obtineri an possit, videndum est.

XVI. *Q.* Frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit imperitos, et obest saepissime reipublicae, quum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est obsisti posse populo, negatur. Primum enim obsistitur, quum agitur severe: deinde vi opprimi in bona causa, est melius, quam malae cedere. Quis autem non sentit, omnem auctoritatem [1] optimatium tabellariam legem abstulisse? [2] quam populus liber numquam desideravit; idem, oppressus dominatu ac potentia principum, flagitavit. Itaque graviora iudicia de potentissimis hominibus exstant vocis, quam tabellae. [3] Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus. [4]

(1) Ita cum codd. multis Mss. editisque vett. compluribus edidit Goerenz. Vulgo *auctoritatem omnem.*

(2) Nam ea lege convaluit ius et libertas multitudinis: quum autem suffragia voce ferebantur, auctoritas optimatium multum poterat et gratia. Cicero pro Plancio, cap. 6: *Populo grata est tabella, quae frontes operit, hominum mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod velint faciant.* Tvrn.

(3) Graviora de reis iudicia populi erant quum voce, quam quum tabella suffragium ferebatur: non enim ista condemnandi libidine, optimatium et nobilitatis verecundia, populus utebatur, et post tabellariam legem magnificum erat vocis suffragium potius quam tabellae. Cicero in Rullum, Orat. II, cap. 2: *Sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam indicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis.* Nam interdum populus candidatum, qui de republ. optime meritus esset, magno certatim studio et effusa laetitia vel consulem, vel aedilem, vel praetorem voce declarabat. Tvrn.

(4) *Isti rationi.* Isti methodo suffragiorum per tabellas ferendorum. Non enim erat cur Lambin. reponeret *isti rogationi.* Dav. — *Neque lator.* Lator qui legem fert ut trib. Auctor cuius suasu consilioque facit, quique legem ad populum suadet:

Digitized by Google

Sunt enim quatuor leges tabellariae: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est, de populi iudicio: ea a nobili homine lata *est*, L. Cassio, [1] sed, pace familiae dixerim, dissidente a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. [2] Carbonis est tertia de iubendis legibus, ac vetandis, seditiosi atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos [3] salutem a bonis potuit afferre. Vno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque iudicio C. Caelius [4] tabellam, doluitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse *et* reipublicae. [5] Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, [6] quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius Marius in Aegeo excitavit mari. [7]

ut lator Cassius, auctor Scipio fuit. Tvrn.

(1) Ita partim suopte iudicio usus, partim a Mss. adiutus emendavit Goerenzius. Vulgo *de populi iudicio; ea a nobili homine lata est L. Cassio.*

(2) Veterem scripturam plurimis Mss. confirmatam revocavit Goerenzius. Vulgo inde a Victorio legebatur *omni rumusculos populares ratione aucupante. — Rumusculos.* Quamcumque gloriolam et famam popularitate quadam captante. Tvrn. — *Atque omni rumusculos populares ratione aucupante.* Ita cum Victorio malui; vulgo tamen non male, *atque omnes rumusculos populari ratione auc.* Gryt. — Mss. dant *atque omnis rumusculos populari ratione aucupante.* Victorius autem receptam lectionem dedit, eaque procul dubio vera est. Dav.

(3) Ad optimates, a quibus in tribunatu dissenserat, reditus, quum Opimium defendit. Tvrn.

(4) Praenomen addidit Goerenzius e cod. Brux.

(5) Goerenzius et Schutzius, auctore Davisio, expunxerunt partic. *et.* T.

(6) Scil. Arpini.

(7) Hoc speciem aenigmatis et proverbii habet: significat autem patrem Gratidium turbellas in parva et municipali rep. excitasse, filium vero in maxima rep. romana, maximos tumultus. Simpulum, auctore Festo, vas parvum est, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis liba-

Ac nostro quidem, [1] quum res esset ad se delata, Scaurus consul, *Vtinam*, inquit, *M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari, quam in municipali maluisses!* Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani, [2] sed aut repetimus ereptas aut novas scribimus; non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, [3] quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellariam tuleris, ipse praestabis. Nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vultu eius intelligo.

batur: unde et mulieres rebus divinis deditae Simpulatrices vocantur. Sic vocatur tamquam simplum, ut quod nunc templum dicimus, veteribus tempulum erat: unde apud Plaut. in Aulularia scribitur, *Nam si ignis vivet, tu exstinguere extempulo*, pro extemplo. Itaque forte simpularia funera dici debent, quae simpludearia apud Festum scribuntur. Varro a sumendo deducit simpulum. Perottus idem poculi genus putat sympinium, et mulieres rebus divinis deditas Sympinatrices appellat: ita, ut opinor, in Festo legens, ac etymon graecum sequens: apud Nonium simpuvium scribitur. Cicero de Repub. *Oratio exstat Laelii, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia pontificum diis immortalibus grata sint Samiaeque, ut is scribit, capedines.* Nam sic locum hunc legit V. C. Aemarius Ranconetus. Simpuvium quoque a Plinio et Iuvenale vocatur. Varro autem simpulum ait *vas esse minutatim fundens, in cuius locum successerit in convivtis ἐπίχυσις. Vnde*, inquit, *veteres res minutas nulliusque pretii simpularias appellabant.* Tvrn. — *Marius.* Marcus Marius Gratidianus, M. Marii Gratidii filius, a Fimbria postea adoptatus, in praetura, re nummaria constituta, tam carus populo fuit, ut omnibus vicis ei statuae ponerentur, et thure cereisque coleretur. Ei Catilina Sulla urbe potito caput secuit et per urbem circumtulit. Gratidianus igitur fuit in rep. gerenda levis et popularis. Tvrn.

(1) Id est, avo nostro M. Ciceroni.

(2) Non percensemus, inquit, nec enumeramus quas leges pop. romanus habeat, sed optimas leges constituere conamur. Tvrn.

(3) Adiuvante Scipione Aemiliano illam tabellariam legem Cassius tulerat. Tvrn. — *Scipio tuus.* I. e. Scipio Africanus minor, quem in libris de Rep. loquentem et induxisti et probasti. W. — *Praestabis*, culpam scilicet. Nos enim nolumus tibi esse auctores legis tabellariae ferendae, ut Scipio Cassio, qui propterea, ut auctor, culpam legis Cassiae sustinet. De hoc usu voc. *praestare* vid. Ern. in Clav. Cic. W.

XVII. *Att.* Mihi vero nihil umquam populare placuit; [1] eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quae sit in potestatem optimorum. *M.* Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. [2] Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen istam libertatem *ita* largior populo, [3] ut auctoritate *et* valeant, et utantur boni. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: *Optimatibus nota, plebi libera sunto.* Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quae postea latae sunt, [4] quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. [5] Pontes etiam lex Maria fecit angustos. [6] Quae si opposita sunt am-

(1) *Populare* malo etiam sensu dicitur pro re et facto, quod tendit ad populum corrumpendum, eiusque gratiam aucupandam. W.

(2) Legem tabellariam non tabella, sed voce antiquastis. Tabellae dabantur in suffragio ferendo, in quibus vel *uti rogas* scriptum erat, vel *antiquo*. Vel potius: vos, non exspectato populi suffragio, non exspectatis comitiis, legem meam antiquastis; idque verius puto. Tvrn. — *Antiquastis*, id est, repudiastis, abrogastis. Est urbana festivitas in illo addito *sine tabella*. W.

(3) Ita Goerenzius, codd. nonnullorum varia scriptura adiutus. Vulgo *libertatem istam largior populo*. Idem in proxime sequentibus dedit *ut auctoritate et valeant* pro vulg. *ut et auctoritate valeant*. — Moserus etiam, *ut auct. et valeant*, etc. — *Boni*, id est *optimi*, qui Graecis dicuntur ἀγαθοὶ et ἄριστοι, id est, qui favent Aristocratiae (sensu bono), qui item dicuntur optimates. Mn.

(4) Si verba *quae postea latae sunt* in codd. Vien. et Dresd. 2 omissa, genuina sunt, aliter intelligi nequeunt, quam ut referantur ad Scipionis Africani tempora, quem Cicero in libris de republica loquentem induxerat.

(5) Hae leges cautum esse volebant suffragiorum libertati. Alterius ergo tabellam inspicere non licebat, nec alterum rogare ut suffragaretur cuipiam, nec appellare et convenire ista de re. Hae leges, ut tabellariae, latae sunt adversus ambitionem et gratiam optimatium. Tvrn.

(6) *Pontes* erant viae septae a latere, per quas suffragium laturi cives procederent ad cistulam, cui immittenda essent suffragia. Marius angustos fecit pontes, ut singuli deinceps, nec plures simul ac turbatim possent ad ferendum suffragium prodire cives, idque eo consilio fecit, ut hominibus potentibus et ambitiosis facultas auferretur inspiciendorum suffragiorum, et cum ferentibus agendi. W. — Hinc et senes depontani dicebantur, quod a suffragiis et negotiis publicis liberi erant. Hinc pro-

bitiosis, ut sunt fere, non reprehendo: sin valuerint tantum leges, ut ne sint ambitus; habeat sane populus tabellam, quasi vindicem libertatis, [1] dummodo haec optimo cuique, et gravissimo civi ostendatur, ultroque offeratur, ut in eo sit ipso libertas, [2] in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solebat vox, quia populo licere satis est. Hoc retento, [3] reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis, quid optimi viri sentiant? [4] Quamobrem lege nostra

verbium, *sexagenarios de ponte dejici*. Huc pertinet illud de Caepione, ad Herenn. 1, 12, *pontes disturbat, cistas dejicit*. Tvrn.

(1) Quae eum quasi in libertatem afferat et vindicet libere suffragaturum: ad usurpationem libertatis populus tabellam habeat. Bouill.

(2) *Vt sit ipsa libertas, in quo p.*) Hanc lectionem Gorrenzius e codd. Brux. Vien Dresd. 1, 2, unoque Oxon. recepit. Vulg. *uti in eo sit ipso libertas*. — Vulgata lectio mihi videtur esse praeferenda. Si quid mutandum est, praeoptarem potius Victorii lectionem, qui sic edidit, *uti in eo sit ipsa libertas, quod populo potestas*, aut cum Davisio, *ut in eo sit ipso l., quia*, etc. Typ. — *In quo populo*. Iis enim ostendent quibus gratum facere velint, et quibus suum suffragium probatum esse cupiant. Ita populi libertas in gratificando bonis posita erit: libertas enim est in tabella, quae bonis ostendetur. Tvrn.

(3) Sc. ut optimates possint inspicere tabellas, reliqua suffragantium benivolentia tribuitur illis viris, qui vel auctoritate, vel gratia pollent. — *Auctoritati*, quae venit a gravitate et gloria meritorum: *gratiae*, quae exsistit amore et grato animo. W. — *Reliqua voluntas*. De reliquo libenter populus gratificabitur bonis, modo tabellae ius habeat, quum eam ostendere bonis cogatur. Tvrn.

(4) *Quid optimi viri*. Iustissima Ciceronis est lex, quae tabellarium plebi suffragium permittit, sed esse notum optimatibus vult, quum praesertim in comitiis quaerere inter se soleant homines qui in suffragium eunt, quid optimi viri sentiant. Quod quidem ab iis fit, quum largitio in comitiis non versatur, nec corrupti sunt, sed comitia quieta et tranquilla sunt sine ullo ambitu: tum enim bonorum suffragium populus incorruptus libenter sequitur, et quaerit quid boni sentiant, et cui faveant. Tvrn.

Digitized by Google

libertatis species datur, bonorum auctoritas retinetur, contentionis causa tollitur. [1]

XVIII. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu. Gravis, et, ut arbitror, praeclara lex: *Quae cum populo, quaeque in patribus agentur, modica sunto:* [2] id est, modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit non modo mentem [3] ac voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit; quod in senatu difficile est: [4] est enim senator is, cuius non ad actorem [5] referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic iussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus; nam brevitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris, magna laus est in sententia. Nec est umquam longa oratione utendum, nisi aut, peccante senatu, quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adiuvante, tolli diem utile est; [6] aut quum tanta

(1) Nam propter paucorum ambitionem tabellam libertatis vindicem magna contentione et rixa populus flagitaverat. Tvan.

(2) *Modica sunto.* Ne quis cum populo et cum patribus agens seditiones excitet oratione aut turbas. *B.*

(3) *Mentes* dedit Lambinus, probante Ernestio.

(4) *Quod in senatu difficile est*) Ita hic locus legendus, neque *non difficile est*, ut habent fere omnes libri et scripti et editi; nam abest illud *non* a nonnullis codd. antiquis, neque salvo sensu stare potest. W. — Servavit vocem *non* gallicus interpres, Car. *de Rémusat*, cui equidem assentior.

(5) Sic recte Turneb. Vrsin. e Mss. idque revocavit Goerenz. Alii ut Davis. Ern. *auditorem.* — *Auditorem.* Idem cum Wagner. *actorem* pro *auditorem* restitui iubet. Ex iisdem etiam restituendum est *ad actorem referatur animus*, quum in plerisque edd. legatur *ad auditorem*. Nomen auditoris sententiae Ciceronis repugnat. *Actor* est orator: ad hunc se non componit senator audiens, sed suum ipse iudicium sequitur. W.

(6) *Nisi aut peccante senatu (quod .... adiuvante) tolli diem utile est* Obscura sententia, quae explicanda est, verbis illis *quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adiuvante* in parenthesi includendis. Porro attendendum, quid sit *tolli diem*, i. e. diem consumere, ut aliis dicendi tempus praeripiatur, nec senatusconsultum confici possit. Hoc et alii fecerunt, et in primis Cato factitabat, ut in eius vita narrat Plutarch. pag.

causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noster Cato est. [1] Quodque addit, *causas populi teneto*, est senatori necessarium, nosse rem publicam: idque late patet: quid habeat militum, quid valeat aerario, quos socios respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, [2] qua quisque sit lege, conditione, foedere; tenere consuetudinem decernendi; nosse exempla maiorum. Videtis iam, genus hoc omne scientiae, diligentiae, memoriae esse, [3] sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. Deinceps sunt cum populo actiones; in quibus primum, et maximum, *Vis abesto*. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium iuri et legibus, nihil minus et civile et humanum, quam, composita et constituta re publica, quidquam agi per vim. Parere iubet intercessori: quo nihil praestantius. [4] Impediri enim bonam rem melius, quam concedi malae. [5]

XIX. Quod vero *actoris* iubeo esse *fraudem*, id totum dixi ex P. Crassi, [6] sapientissimi hominis, sen-

774, et Valer. Maxim. lib. II, c. 10, 7. W.

(1) Vt quum Caesar ex Hispania reversus, ut liceret sibi consulatum per alium petere postulabat, Cato diem orando sustulit. Sunt et alia exempla apud Plutarchum. Superstite Catone ante bella civilia haec scripta sunt. Tvan.

(2) Vnum tantum genus ponit sociorum, quum plura fuerint. Nam provinciae erant vel vectigales, vel stipendiariae, quarum illae certam partem proventus populo romano solvebant: hae autem unam eamdemque in omnia capita pecuniae summam. W.

(3) Genitivi *diligentiae, memoriae*, ἀσυνδέτως positi, plane sunt diversi ab antecedente genitivo *scientiae*. Sensus enim est: *hoc omne genus scientiae contineri et constare diligentia et memoria*. W. Sed, pace viri summi, dixerim, si hoc voluisset Cicero, scripsisset, credo: *genus hoc omne scientiae diligentiae esse atque memoriae*. Revera tria requiri vult Noster, primum cognitionem et explorationem, tum curam et accuratam observationem, denique memoriam tenacem. Ma.

(4) *Intercessor* est is, qui rei decernendae resistit. *Quo* non referendum est ad *intercessori*, sed subintelligendum *negotio*, i. e. qua re. *B*.

(5) *Concedi* valet idem quod *cedi*. Dav.

(6) Addidit Schützius, Goer. mo-

tentia: quem est senatus consecutus, [1] quum decrevisset, C. Claudio consule de C. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, [2] simulatque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere. Quod qui promovet, [3] quum agi nihil potest, vim quaerit: cuius impunitatem amittit hac lege. Sequitur illud: *Intercessor rei malae, salutaris civis esto.* Quis non studiose reipublicae subvenerit, hac tam praeclara legis voce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: *auspicia servanto, auguri parento.* Est autem boni auguris, meminisse, *se* maximis rei-

nente, P. praenomen Crassi, ne cum L. Crasso confundatur, quamquam fortasse non addidisse Ciceronem illud nomen credi potest, quia ei verendum non erat, ne a suis lectoribus hi Crassi confunderentur: neque etiam plane certum est, Publium potissimum, neque vero Lucium h. l. intelligi. Mos.

(1) *Consequutus* habent duo Goer.; alii *quum sequutus*; quare cum Goer. et Schütz. illam lectionem vulgatae *sequutus*, quae sapit correctorem, praetulimus, praesertim quum ipse Noster Catil. III, 6, 13, dixit: « quas (sententias) senatus sine ulla varietate est consequutus: » quem locum laudavit Goerenz. Ma.

(2) Coetum plebis et conventum: nam comitia totius populi sunt. Tvrn.

(3) *Promovet*) Ita rescripsi pro vulg. *permovet*. Requiritur enim verbum quod sit oppositum verbo *dimittere concilium*. Quod quum intellexissent P. Manutius et Pighius, alter *promanet*, alter *promoratur* legendum esse putabat. Sed eundem sensum praebet verbum *promovet*; quod idem est ac *longius producit*. — Vulgo *permovet*. Locus obscurus. Turnebi explicatio non satisfacit. *Quod* mihi videtur referendum ad *concilium*. Permovere autem concilium, puto significare, movere id magis magisque, ac in movendo persistere. Habet enim illud *per* in compositis hanc significationem aliquando, ut constantiam, moram, continuationem innuat. Schefferr. — Schütz. coniecit et edidit *promovet*, quia requiratur verbum, quod opponatur verbo *dimittere concilium*. *Promovere* enim esse *longius producere*. Quod vereor ut probare possit. Goerenz. *permovet* explicat *permovere studet*, i. e. omni ratione movet, ut consilio suo potiatur. Certe, si vulgata sana est, aut Schefferi aut Goerenzii explicatio videtur amplectenda. Ma. — Schutzii coniecturam receperunt etiam Parisini Editores. *T.*

publicae temporibus praesto esse debere; Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum,[1] ut sibi eos, quos in auspicio esse iusserit; caelique partes sibi definitas esse traditas,[2] e quibus saepe opem reipublicae ferre possit.[3] Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis. Tum leges praeclarissimae de XII tabulis tralatae duae: quarum altera privilegia tollit; altera de capite civis rogari, nisi maximo

(1) Quomodo augur *Iovis consiliarius*, id est, qui Iovi consilium det, dici possit, intelligi nequit, neque etiam similis dictionis apud Veteres exemplum occurrit. *Fulmen consiliarium* ab aruspicibus et Etruscis dicitur, ut ex Caecina refert Seneca, Nat. Quaest. II, 39, quin Iupiter ipse est auctor et princeps consilii, indeque ab Homero μητίετα Ζεὺς dictus. Igitur Cic. scripsisse videtur: *Iovique O. M. atque Consiliario se administrum datum, ut sibi eos* (i. e. prouti sibi auguri, administros esse datos), *quos in auspicio esse iusserit.* Augur, qui auspicia capiebat, adhibebat aliquem adiutorem et administrum, cui ipse imperabat. Vid. Cic. de Div. II, 34. W. — Vix me continui, quo minus praeclaram hanc, eamque facillimam Wyttenbachii emendationem in contextum reciperem. Nam quod affert Wagner. de Minoë Odyss. T, 178, qui dicitur Διὸς μεγάλου ὀαριστής, utpote consiliorum Iovis particeps, inde (etiamsi auguri hoc tribuamus) an recte dicatur, eum esse Iovis *consiliarium*, admodum dubium est. Cf. etiam Creuz. Symb. et Mythol. II, p. 951. Ma.

(2) *Caelique partes*, etc. I. e. debet meminisse augur, sibi a Iove caeli religiones distributas et traditas esse, unde auguria capere et reipub. opem ferre possit. W.

(3) Ita P. Manutius e coniectura, quod receperunt Lambin. Davis. Vulgo *opem referre posset.* — Dedimus *e quibus*, quod est in nostris codd. omnibus et quinque Goer. in rell. est *ex quibus*. Ernest. Goerenz. et Schütz. dederunt *de*, quasi haec sit lectio librorum vett. probatque Goer., de quo nemo dubitat, *de* saepe a Nostro poni pro e. Sed cur ideo a libris recedendum sit, non video. Pro *saepe* est *se* in Codd. Cr. et W. Tum dedimus cum Schützio Manutii coniecturam *opem reipublicae ferre*, quum in omnibus codd. sit *opem referre*. Quod quomodo Goerenz. servare potuerit, quum ne latinum quidem sit, non intelligo. Neque, quod Goer. credit, vox *reip* facile intelligi potest in hac oratione, ubi dedita opera gravitate sermonis utitur, ita ut *Iovem* non Iovem solum, sed Optimum Maximum appellet, et universe Noster augur recens factus, ut vere monuit ipse Goer. valde se iactet in his libris. Quare etiam non satisfacit Schefferi suspicio, coniicientis *opem rei ferre*, id est, negotio, de quo auguria consuluntur. Ma.

Digitized by Google

comitiatu, vetat. *Et* nondum *natis* [1] seditiosis tribunis plebis, ne cogitatis [2] quidem, admirandum, tantum maiores in posterum providisse. In privos homines leges ferri noluerunt; id est enim privilegium: quo quid est iniustius? quum legis haec vis sit, scitum esse iussum in omnes? [3] Ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis, noluerunt: descriptus enim populus [4] censu, ordinibus, aetatibus, plus adhibet ad suffragium consilii, quam fuse [5] in tribus convocatus. Quo verius in causa nostra vir magni ingenii summaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum esse de nobis. Praeter enim quam quod comitia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Sed visum est et nobis, et clarissimis viris, [6] melius, de quo servi et latro-

(1) Sic Goerenz. emendavit vulg. *initis*. Lambin. pro eo edidit *cognitis*, Davis. *notis*. Turneb. et Wagner. *inventis*. — *Et* dedimus cum Dav. et Goer. ex quatuor codd. Goer. et nostro W. Deinde recepimus palmariam Goerenzii coniecturam *natis* pro *initis*, quod omnes libros vett occupat; eamque coniecturam probarunt Handius l. c. Rath. et Sch. Cn.

(2) Cod. Brux. *nec agitatis* Cassel. *nec agatis*. Plerique mendose vel *negotialis*, vel *negotiatis*. Puteani coniectura est *cogitatis*, quam Lambin. Davis. Ern. etc. receperunt. — Correctio *cogitatis* Lambino potius, qui eam sibi vindicat in notis, quam Puteano, videtur adscribenda; sed nihil refert. Tyr.

(3) Goerenzio placet: *quum legis haec vis, ut sit scitum*, etc. — *Scitum esse iussum*. Optime ab interprete gallico Car. *de Rémusat* deletum mihi videtur *et* post *esse*; nam hic locus sic recte intelligitur: iussum esse in omnes quod a lege scitum est. Nullus commentator, excepto Creus. suspicatus erat hanc lectionem mihi verissimam. Pro *esse*, *est* habent nonnulli codd. Bouill. — Schutz. dedit, *scitum et iussum in omnes*. T.

(4) Hic locus continet laudem comitiorum centuriatorum, et reprehensionem comitiorum tributorum, quia per centurias divisus populus maiore ordine retinetur, quam per tribus divisus. W.

(5) Davis. malebat *diffuse*; quod recte repudiavit Ernestius.

(6) I. e. Cn. Pompeio, P. Cornelio Lentulo, L. Corn. Cottae, sociis in revocando Cicerone. Revocatus est senatusconsulto et lege populi comitiis centuriatis lata, civibus ex Italia omni

nes scivisse se aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere.

XX. Sequuntur de captis pecuniis, et de ambitu leges. Quae quum magis iudiciis, quam verbis sancienda sint, adiungitur, *noxiae poena par esto*, ut in suo vitio quisque plectatur: vis, capite: avaritia, multa; honoris cupiditas, ignominia sanciatur.

Extremae leges sunt nobis non usitatae, reipublicae necessariae. Legum custodiam nullam habemus. [1] Itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt; [2] a librariis petimus; publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες creantur: [3] nec hi solum literas (nam id quidem etiam apud maiores

confluentibus ad suffragia ferenda, eique redeunti obviam venientibus. Vide Francisci Fabric. Marcodurani Hist. Ciceronis ann. V. 696. W.

(1) Hoc quasi per paraphrasin explicatur ultimis verbis: *nullam habemus memoriam consignatam publicis literis*, i. e. non habemus libros et corpus legum, ubi omnes leges collectae et publica auctoritate editae existent. Itaque has tantummodo leges novimus, quas apparitores nostri volunt, easque a librariis nostris petimus. W.

(2) *Apparitores* sunt omnes ministri magistratuum et iudicum, veluti lictores, accensi, viatores, scribae, librarii. Duo postrema genera etiam habebant custodiam legum, librorum, omnino chartarum, quarum collectiones nos hodie vocamus *archiva*. Ergo magistratus et iureconsulti petebant legum ἀπόγραφα, scripta exempla, ab his librariis et apparitoribus. W.

(3) Νομοφύλακες, inquit Pollux, ἐστεφάνωνται στροφίῳ λευκῷ, τοῖς δὲ προέδροις ἐν ἐκκλησίαις συγκαθίζουσιν, ἵνα διακολύοντες ἐπιχειροτονῖν ὅσα μὴ συμφέρει. Id est: *Nomophylaces*, id est, custodes legum, *strophio candido redimiti sunt, in concionibus praesidibus assident, intercedentes si quid, quod e rep. non sit, sciscatur.* Hi numero XII erant, legumque custodiam habebant, ac magistratus omnia ex legum praescripto agere cogebant, hominumque facta ad leges revocabant. Sic Rhadamanthus in urbe, Talos in agris, ut scribit Plato, Minois νομοφύλακες fuerunt. De Nomophylacibus sic Columella, lib. XII, cap. 3, scribit: *Quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum, quarum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci* νομοφύλακας *appellant. Horum erat officium, eos qui legibus parerent laudibus prosequi, nec minus honoribus: eos autem qui non parerent, poena multare.* Tyrr.

Digitized by Google

nostros erat), sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant. [1] Haec detur cura censoribus: quandoquidem eos in republica semper volumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint; deque iis censores praeiudicent. [2] Hoc in Graecia fit, publice constitutis accusatoribus. [3] Qui quidem graves esse non possunt, nisi sint voluntarii. Quocirca melius est, rationes referri causamque exponi cen-

(1) *Apud maiores nostros.* Apud Romanos antiquos legum exemplaria scripta servabantur, ergo erat custodia legum: sed temporibus Ciceronis hoc non item, ut prius, diligenter fiebat. W. — *Ad legesque revocabant.* Id est, cives, qui has leges migrarent, a custodibus legum revocabantur ad leges, id est, vel monendo, vel accusando revocabantur ad leges observandas. W.

(2) *Censores.* Censoriae animadversiones et notae non vere iudicia, sed praeiudicia quaedam erant. Itaque qui notatus fuerit, postea in iudicium hac lege vocatur, ubi nisi condemnetur, animadversio tamen ignominiosa sit. Cicero item de Rep. lib. IV, sic scribit, apud Nonium in *ignominia*, » censoris iudicium nihil fere damnato adfert praeter ruborem. Itaque quod omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. « Tvan. — *Deque iis censores praeiudicent.* Sc. notis censoriis iudicent ante, quam in iudicium vocentur. Ean. — Id est, ita iudicent, ut tamen ordinariis iudicibus et accusationi locus non praeripiatur, sed integer relinquatur. — *Hoc in Graecia fit*, etc. Apparet ex ipsa lege supra cap. 4 in fine, h. l. aliquid excidisse. Nam magistratu functi etiam si rationem reddidissent probassentque censoribus, tamen integrum erat cuique, eos accusare muneris non bene defuncti, ut mox ipse Cicero dicit. Itaque eiusmodi videtur fuisse Ciceronis scriptura: *deque iis censores praeiudicent, ita tamen ut aliis integrum sit, eos in iudicium vocare. Hoc in Graecia fit*, etc. Sic Demosthenes publice electus erat accusator Aristogitonis. Conf. H. Valesius ad Harpocrationem, p. 73. W.

(3) Quemadmodum publice constituebatur Athenis qui in publicis sepulturis diceret: ita quoque qui eos accusaret qui magistratum gessissent in reddendis rationibus. Accusabantur autem apud collegium λογιστῶν, populusque accusatores constituebat. Sed graves, ut censet Cicero, esse non possunt, nisi voluntate ad accusandum descendant. Solebat id plerumque Athenis fieri, ut publici accusatores constituerentur, quod Demosthenes in Aristogitonem sic ostendit: Ἐγὼ γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὁρῶν ὑμᾶς κατατάττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν, ἠχθόμην. Id est: *Equidem quum viderem me in concionibus a vobis constitui et deligi ad hunc accusandum, moleste ferebam.* Apud logistas autem triginta diebus rationes

soribus; integram tamen legem [1] accusatori iudicioque servari. Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis.

*Att.* Quid? si nos tacemus, locus ipse *non* admonet, [2] quid tibi sit deinde dicendum? *M.* Mihine? de iudiciis arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magistratibus. [3] *Att.* Quid? de iure populi Romani, quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? *M.* Quid tandem hoc loco est, quod requiras? *Att.* Egone? quod ignorari ab iis, qui in republica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis lego: [4] sic animadverto, quosque [5] in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti,

et acta rerum in magistratu gestarum magistratu deposito reddebantur: et ἀλογίου δίκη dicebatur, quum quis in iudicium vocabatur, quod magistratu finito rationes non retulisset. Tvrn.

(1) Id est, actionem ex hac lege. Quod si ita cum Goerenz. explices, vanam esse videbis Davisii coniecturam, *litem* pro *legem* legentis. Mn.

(2) Davis. dedit: *Quid? si nos tacemus locus ipse tamen admonet... dicendum.* Ernestius: *Si nos tacemus locus ipse admonet quid.... dicendum.* Nos Goerenzium secuti sumus.

(3) I. e. ut vulgo loquuntur, haec materia cohaeret cum ea de magistratibus, seu magis latine, hoc argumentum continuum est et proximum illi de magistratibus. W.

(4) *Leges a librariis lego.* Non placet haec scriptio, quae est librorum omnium, malimque Lambini *peti* in aliquo certe repertum. Sed quum paullo ante scripserint omnes sine variatione lectionis *leges a librariis petimus*, cur in re tam facili, et proba scriptione tam propinqua, erraverint, et pro *peti* substituerint *lego*, nisi vel hoc, vel simile quid a Cicerone ipso fuisset scriptum? Servarunt librorum lectionem Ern. Wagn. sed uterque invitus, Goer. eam insolentem esse non negat, sed defendit tamen; Sch. tacite restituit. Wytt. quoque malebat *peti*; neque ego adversor. Mn. — *A librariis.* Vt leges sint quas librarii magistratuum apparitores velint, quum publice nulla earum custodia sit. Non publice conservari, sed conscribi solitas a librariis leges, et ab illis peti, ex oratione quoque II in Rullum loco quem modo citavi, notum est: *Aliquando tandem me designato, lex in publicum proponitur: concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me afferunt.* T.

(5) Lambin. *plerosque*, probantibus Davisio et Wagnero.

quoniam de religione leges proposueras; faciendum tibi est, ut, magistratibus lege constitutis, de potestate, tum de iure disputes. [1] *M.* Faciam breviter, si consequi potuero: nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite, meo quidem iudicio, et diligenter. At de iure naturae cogitare per nos, atque dicere debemus; de iure populi Romani, quae relicta sunt, et tradita. *Att.* Sic profecto censeo: et id ipsum, quod dicis, exspecto.

(1) Quoniam superiore libro ius populi romani attigisti in loco de sacrorum alienatione, ita nunc in loco de magistratibus explica ius populi romani, quod in potestatibus, id est, in magistratibus valet. W.

# FRAGMENTA

## *Ex lib. I.* DE LEGIBVS.

Lact. *lib.* 5. *cap.* 8). Sicut una, eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret, ac nititur; sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, et subiectos omnes sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam omnes viverent.

## *Ex lib. II. de legibus.*

Lact. *lib.* 1. *cap.* 20). Magnum audaxque consilium Graecia suscepit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecravit.

## *Ex lib. V. de legibus.*

Macr. *lib.* 6, *cap.* 4). Visne igitur, quoniam sol paullulum a meridie iam devexus videtur, neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim, eaque, quae restant, in illis alnorum umbraculis persequamur?

## *Ex libro incerto de legibus.*

Lact. *lib.* 3. *cap.* 19). Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non deteriorem est allatura statum. Nam sine corpore, animo vigente, divina est vita: sensu carenti nihil profecto est mali.

Avgvst. *lib.* 21 *Civit. cap.* 11). Octo poenarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

# DE REPVBLICA

QVAE EXSTANT.

## PARISINI EDITORIS PRAEMONITIO.

Quum ea omnia quae dici possunt tum de ipsis Ciceronis libris hoc volumine inclusis, tum de variis quae ad illos pertinent commentariis, et de auxiliis cuiuslibet generis quibus editor uti poterat, in Praefationibus et Introductionibus a nobis servatis fuse docteque explicata reperiantur, nos pauca tantum de nostra peculiari opella lectores praemonitos voluimus.

Duo opera quae scripsit Tullius de Republica et de Legibus quum ad nos ex antiquis chartis emerserint plurimis locis mutilata, atque tam varietate lectionum quam lacunarum calamitate vitiata, praesertimque libri de Republica non nisi fragmentis fere nullo inter se vinculo cohaerentibus, et quasi collectis e naufragio tabulis constent, adeo ut numquam tam opima praeda commentatorum investigationibus ac disceptationibus oblata fuerit, non fieri potuit quin ingenti commentariorum mole obrueremur. Quapropter nobis, ea quam emendatissime edere in lucem cupientibus, necesse fuit paullo longius excurrere quam libuisset, ac praecipua saltem variorum commentatorum loca proferre unde libri Ciceronis, tantis tenebris involuti, ea luce qua poterant, illustrarentur. Nam quum aut de mutilis vocabulis in integrum restituendis, aut de pravis lectionibus emendandis, aut de lacunis, nec mediocribus quidem, explendis fere semper agatur, ac propterea latissimus campus variis opinionibus pateat, quarum multae, licet adversantes, aeque tamen defendi possunt et admitti; nullas earum quae rationi consentaneae videntur neglectui habere potuimus, ac omnia praebere debuimus quibus licet uti medicamina: quamvis enim ea

indicaverimus, quae nobis videntur potius adhibenda, quum tamen optimi scriptores de iis certent adhuc, neque ii simus qui contendamus nobis solis affulsisse veritatem, satius visum est afferre diversa iudicia, ne verae opinionis forsan omissae nobis crimen iniiceretur.

Quod ad libros de Republica Ciceronis attinet, nulla potuimus commendatiore editione uti quam ea quae a Mosero in lucem edita est anno 1826, hoc titulo: « M. Tullii Ciceronis de Republica libri ab Angelo Maio nuper reperti et editi cum eiusdem praefatione et commentariis. Textum denuo recognovit, fragmenta pridem cognita et Somnium Scipionis ad codd. MSS. et edd. vett. fidem correxit, versionem Somnii graecam emendatius edidit, et indices auxit Georgius Henricus Moser. Accedit Friderici Creuzeri annotatio. Cum specimine codicis Vaticani palimpsesti lithographo. Francofurti ad Moenum, e typographeo Brœnneriano, 1826. » Quam editionem ad conficiendam quum Moserus optima quaeque adiumenta unde unde accersivisset, et accuratissime collegisset, nobis ad alios fontes minime recurrendum fuit, ac ipsius Moseri editionis contextum ubique quam fidelissime retulimus, praetermissis tantum nonnullis adnotationibus, quae non modo longiores, verum etiam omnino supervacaneae nobis visae sunt, utpote quae spectent ad vocabula levioris momenti, neque ullo modo ad rem, de qua agitur, spectent. Facile enim lectores egebunt disputationibus illis paene utilibus, quae solummodo scrupulos et patientiam germanicam arguunt.

Ex Additamentis etiam, quae in calce editionis Moserianae leguntur, novasque animadversiones praesertim F. C. Wolfii et I. Bakii haud dedignandas

Digitized by Google

continent, multa excerpsimus et inter cetera commentaria ipsi editionis contextui inseruimus.

Angeli Maii, in quem editores alii non gratos satis, nostro iudicio, gessere animos, luculentas tum de verbis, tum de rebus adnotationes, quarum ope Tullianum opus paene ad lucem revocatum est, magna sedulitate retinuimus, (1) eaque omnia quibus tum mutilata vocabula, tum loca, et plurima quidem, deleta supplevit, ita ingeniose et feliciter, ut ille non tantum nobis librorum de Republica repertor, verum etiam quasi alter conditor iure appellari possit.

Editiones etiam et versiones nostratum Villemanii et J. V. *Leclerc* adhibuimus, quotiescumque doctissimae illorum interpretationes ad excutiendas verborum aut rerum tenebras prodesse potuerunt.

Accurate quoque servavimus optimas Car. Sigonii, Vineti, Lambini et ceterorum adnotationes, quae ad sexti libri loca iam pridem nota spectant; dedimusque Excursum ad libri eiusdem cap. 18, ex Mureti Varr. Lectt. expromptum, in quo doctissime confertur locus quidam e Phaedro Platonis cum eiusdem loci interpretatione Ciceroniana.

Praecipuo etiam nobis adiumento fuit ad libros de Legibus illustrandos editio Creuzeri et Moseri sic inscripta: « M. Tullii Ciceronis de Legibus libri tres, cum Adriani Turnebi commentario eiusdemque apologia et omnium eruditorum notis quas Ioannis Davisii editio ultima habet. Textum denuo recensuit suasque Animadversiones adiiecit Georgius Henricus Moser. Accedunt copiae criticae ex codd. manuscriptis nondum antea collatis, itemque annotationes ineditae P. Victorii, I. G. Graevii, D. Wyttenbachii,

(1) Nos vero paucula hic illic, quae parvi momenti visa sunt, praetermisimus. Typ.

aliorum. Apparatum codicum et ineditorum congessit suasque notas addidit Fridericus Creuzer. Francofurti ad Moenum, e typographeo Brœnneriano, 1824. » In hac enim editione omnia quae de iis Tullii libris scripta sunt commentaria Moserus congessit ac complexus est, ita ut nobis tantum seligenda fuerint quae visa sunt ad propositum nostrum maxime idonea. Davisii, saepius iam de nobis, et in primis in Tusculanis Quaestionibus, bene meriti, adnotationes haud paucas retulimus, cuius acutum et sagax ingenium haud semel ad pravos locos emendandos feliciter valuit. Creuzerum quoque ac Wyttenbachium saepe induximus de iis quae ad romanum ius, aut usus antiquos, aut res historicas spectant, doctissime disserentes. Moseri ipsius adnotationes crebro usurpavimus, cuius maximi est momenti ad litem dirimendam auctoritas. Sed fons nullus nobis uberior apertus est quam Hadriani Turnebi commentarius, quem Moserus suae editioni iustissima causa adiunxit; illi enim viro, vere erudito, vastaque reconditioris doctrinae suppellectili ornato, sive de rebus historicis disserat, sive de philosophicis, sive Romanorum leges ususque describat, sive Ciceronis sententias interpretetur, aut illustret ac evolvat, vix facile invenias parem.

Ex Goerenzii posteriore editione nonnulla etiam exprompsimus quae nobis a Mosero visa sunt immerito neglecta, et ea praesertim quae ad primum librum pertinent. Vniuscuiusque libri calci laudabiles Moseri et Creuzeri Excursus apposuimus; neque ullum ex illis omittere fas duximus, ne ulla desiderarentur quae adiuvare possent ad intelligendum probe contextum huius operis, quod iurisconsultis veterum legum historiae studiosis maximi pretii auxilia suppeditat.

Digitized by Google

## G. H. MOSERI PRAEFATIO.

Pauca sunt, quae de nova hac Ciceronis de Republica librorum editione lectores monitos volo. Equidem quum primum ad me delata esset editio A. Maii, summo eam ardore et studio legere coepi; quumque per satis multos annos in Ciceronis de Philosophia libris accuratiore opera perlustrandis versatus essem, identidem in loca incidi, quibus probabiliter mederi me posse confidebam, alia ab A. Maio minus recte vel explicata vel tentata offendi, multis etiam a me collatione aliorum Ciceronis librorum lux afferri posse videbatur. Quae loca quum a me vel emendata vel illustrata in schedas coniecissem, de iisque Creuzerum meum consuluissem, factum est, ut is vir, quem parentis loco numquam non venerabor, auctor mihi fieret edendi libri, suamque mihi operam, quae est eius insignis in rebus meis adiuvandis humanitas, prolixe polliceretur. Ego autem, quum paullo post multae prodirent vel contextus romani repetitiones, vel aliae speciem emendatae lectionis plus minusve iustam prae se ferentes, una etiam (Heinrichii) esset promissa, quae virorum doctorum desideriis cumulate satis factura diceretur, differendam totam operam existimabam, donec ista editio iusta et plena prodiisset, quae sive supervacaneam faceret meam operam, sive meae magis etiam exornandae et emendandae inserviret. At dum eam exspecto, fama ad me perfertur, intermissam esse nescio quo casu editionis illius absolutionem; perferuntur ad me editiones Heinrichii minor, Steinackeri, Lehneri, Schützii, aliae, versiones etiam, gallica una et duae germanicae, aliique

libri et libelli, de quibus in librorum indice, (1) a nobis ad hanc editionem adornandam adhibitorum, satis mihi exposuisse videor. Quibus omnibus quamquam haud pauca inesse confiteor et ad lectionem emendandam, et ad res ipsas explicandas utilissima, paucissima tamen eorum praerepta mihi esse vidi, quae ego ad hos libros in schedas coniecissem: subnata potius inde est satis larga novarum emendationum et vindiciarum silva, et nova exstitit causa edendi totius operis, meis aliorumque curis illustrati. Erat consilium excerpendi ex annotationibus A. Maii ea, quae ad meas annotationes intelligendas essent necessaria, itemque ea quibus res ipsae egregie viderentur esse explicatae. Sed dum ad excerpendi laborem me accingo, eaque secludere incipio, quae omittenda viderentur, factum est, ut perpauca admodum supervacanea viderentur, et repetendi, quod in editione quoque Halensi factum est, commentarii integri, sed correcti et aucti, consilium loco prioris subiret, quod a viris doctis, iustisque harum rerum arbitris haud improbatum iri confido. Sed ut de A. Maii in hos libros meritis, cuius ego viri laudibus minime omnium aliquid detractum velim, paucis tantum defungar, faciunt virorum doctorum iudicia publica satis multa, quae neque repetere attinet, neque refutare animus est. Quis enim non admiretur viri doctissimi in adornandis hisce fragmentis sagacitatem atque acumen, in emendandis multis locis lacunisque explendis solertiam et felicitatem, in conferendis aliorum scriptorum locis, investigandisque fontibus literarum notitiam multiplicem et fere infinitam? Quare ut haec coniuncta cum mea opera ante oculos ha-

(1) Quem indicem vide infra, pag. 238.

berent, iisque copiis opibusque uti possent lectores nostri, faciendum ego censui, quod feci. Sicubi vero meum iudicium a viri illius sententia seiungendum esse existimavi, quod in lectione constituenda haud raro necessarium visum est, id ut sine offensione fieret, curavi. Schützianam lectionem quod saepius carpsi ob innumera fere festinationis vestigia, quorum tamen multa silentio praetermisi, id ita intelligi volo, ut editionem illam vituperandam meritoque reprehendendam censuerim, Schützium, virum summum, non item; cuius, si pauculas excipias, sed optimas, annotationes, nullae fere in illa editione adornanda et describenda partes fuisse videntur.....

At, dicet fortasse quispiam, qui iustam horum sive fragmentorum sive librorum editionem meditatur, is etiam fragmentorum ab A. Maio institutam dispositionem sub examen vocet, nonnullis certe in locis dubiam, in paucis manifesto falsam. Augeat idem fragmentorum numerum, excussis, qui A. Maium fugerunt, libris Patrum aliorumque scriptorum quibus Ciceronis libros integros legere contigit. Audio. Sed de universo fragmentorum ordine melius iudicare, quam A. Maius iudicavit, non facile quisquam sibi sumet. Loca aliquot, quibus aliquid mutandum esse videri posset, indicavi: ut ipse aliquid mutarem, id mihi sumere nolui. Exspectemus, dum novus aliquis liber reperiatur, qui et lacunas expleat, et eorum, quae habemus, dispositionem vel confirmet, vel corrigat. Nova vero fragmenta ut conquirant eos exhortor, quibus et otium est, quod mihi quidem fere est nullum, et librorum copia, qua ego in hac urbe plane destituor: eorum certe librorum in quibus aliquid, quod operae pretium sit, repertum iri cum aliqua veri similitudinis specie sperare possis.

Iam quod ad eam, quam sequutus sum et emendandi et explicandi rationem attinet, de ea non est, quod multus sim. Erunt, qui nimium me dedisse et indulsisse utrique generi dicant; erunt fortasse, qui plura etiam desiderent; erunt denique (tales nimirum, quibus nil, nisi sua ratio placet) qui obtrectandi inbidine et livore abrepti totam operam arroganter fastidiant, maledicendoque, quia bene dicere non didicerunt, gloriolam captent, inanem illam quidem, sed vulgo fucum facientem.....

Scribebam Vlmae idibus februariis MDCCCXXVI.

---

## INDEX LIBRORVM,

### ALIORVMQVE, QVIBVS VSVS EST MOSERVS, ADIVMENTORVM.

Editione quidem Romana Ang. Maii principe quamquam nobis uti non licuit, ea tamen haud aegre caruimus, quum ad manum fuerint, quae ad eius exemplar satis accurate expressae sunt, Stuttgartiana (in libraria Cottae M. DCCC. XXII), et Londinensis elegantissima (impensis I. Mawman. MDCCCXXIII) quae et inter se et cum ed. Rom. ita conveniunt, ut paginarum quoque numerus, exceptis indicibus, qui in ed. Lond. arctiore spatio continentur, plane sit unus idemque. In quarum editionum alterutra si quid, ut fit, erat commissum, altera statim, quippe quum non iisdem in locis peccarent, errorem detegebat. Vsus etiam

Digitized by

sum editione Parisiensi, cuius haec inscriptio est: « La république de Cicéron, d'après le texte inédit, récemment découvert et commenté par M. Mai, bibliothécaire du Vatican. Avec une traduction française, un discours préliminaire et des dissertations historiques, par M. Villemain, de l'Académie française, II tomes, Paris, Michaud. 1823. LXIV. 395 et 386 pp. in-8. »

Haec editio quamquam plerumque cum edit. Romana convenit, non tamen accurate eam reddit, neque in mutando vel omittendo constantia editoris apparet: correctiones sunt admodum paucae, ne dicam nullae; versio autem Gallica est eiusmodi, ut solent esse Gallorum versiones, paullo nimirum liberior. Dissertationem historicam et animadversiones, quas contextis subiecit, sua laude dignas esse ut facile concedo, ita tamen ad nostrum consilium parum in iis inesse adiumenti deprehendi.

Egregias haud paucas emendationes exhibebat editio Heinrichii minor sive compendiaria (Bonnae ap. Marcum, 1823) cuius utinam redemptor (si per eum stetit) fidem datam solvisset emittenda in lucem mense iulio anni eiusdem editione maiore cum commentario critico! sed quum ad hunc diem nondum lucem viderit haec editio, emendationum eius viri causas ubique perspicere non licuit. Nos ubicumque ab eo discedendum nostrumque iudicium ab eius iudicio seiungendum censuimus, candide id indicavimus.

Steinackeri (Lips. Hartknoch. 1823) et Lehneri (Solisbaci. Seidel. 1823) editt. probabilia exhibebant haud pauca, plura quidem prior posteriore. De Steinackeri cum Niebuhrio dissensione quod ad Centurias pertinet, deque libellis ultro citroque scriptis, variisque de ea re aliorum quoque virorum iudiciis

monuimus in Excursu de loco isto peculiari, ad calcem huius editionis addito.

Schützii editionem (ap. Fleischerum, Lips. 1823), vel eam potius, quae Schützii nomen in fronte gerit, utinam tam saepe laudare potuissem, quam vituperare coactus fui! Sed insunt tamen, quae admodum probanda videantur; quamquam describendo certe typis libro quemvis alium hominem, quam Schützium, invigilasse censeo.

Inspexi etiam editionem Halensem (Orphanotroph. in-8 1824), chartarum typorumque nitore minime conspicuam, Tauchnitzianam (Lips. 1823, in-12), Heidelbergensem (ap. Groosium 1823, in-12) admodum elegantem, distinctione identidem meliore gaudentem, quam ed. prc. Fuldensem (ap. Mullerum 1824, in-8, tom. I) cum disputatione et annotatione Villem. germanice versis, et versione horum librorum germanica pessima, ex gallica; neque vero ex latina lingua expressa ab homine quodam, cui nomen est J. M. *Pierre*; Kobbii versionem (Gotting. ap. Vandenh. et Rupr. 1824, in-8) germanicam, ad Heinrichii editionem factam, illa quamquam insunt, quae displiceant, multis nominibus praestantiorem; Zachariae librum bonae frugis plenissimum (inscribitur: *Staattswissenschaftliche Betrachtungen über Cicero's neu aufgefundenes Werk vom Staate.* Heidelberg. Oswald. 1823, in-8) et quae adhuc prodierunt horum librorum censurae in annalibus literarum Heidelbergensibus, Gottingensibus, Halensibus, Lipsiensibus, Ienensibus, aliis.

Quae pridem ferebantur et collecta erant horum librorum fragmenta in editionibus operum Ciceronis integris, adhibui, usus edd. Roberti Stephani (Victoriana), Caroli Stephani, Sylburgii (Wecheliana),

Lambini, Gothofredi, Verburgii, Ernesti, Bipontina, Schützii, itemque eo libro, in quo, ante repertos ab Angelo Maio hos libros, centonis instar concinnavit ex omnibus Ciceronis libris sex de Republica libros Francogallus Bernardus, ita inscriptos: « De la République ou du meilleur gouvernement, ouvrage de Cicéron, rétabli d'après les fragments et ses autres écrits, et traduit en français avec des notes historiques et critiques et une dissertation sur l'origine et les progrès des sciences, des arts et du luxe chez les Romains; nouvelle édition, revue et corrigée, à laquelle on a joint le texte latin, avec deux dissertations nouvelles: par M. Bernardi. II tomes, Paris, 1807. LI. 340 et 350 pp. in-8. »

Et hic quidem liber, ut suis laudibus non destituitur, quippe qui etiam Sancto Crucio (*Sainte-Croix*) placuerit, ita ad nostrum consilium admodum exigui fuit usus (1).

Quid vero debeat haec editio Creuzero nostro, neque meum est praedicare, et unusquisque videt ex nomine a nobis ad eius annotationes addito.

Doëderleinii, professoris Erlangensis, annotationes aliquot, quum serius ad me delatae essent, ad calcem horum librorum erant reiiciendae.

(1) Vt vero huius libri ratio et consilium magis appareat, age apponamus scriptoris ipsius expositionem sententiae suae: « Le traité de la République ainsi restauré contient un tableau historique des institutions romaines, des discussions sur les questions les plus importantes de la morale et de la politique, telle que l'origine de la société, l'essence de la loi et du devoir, la différence éternelle du bien et du mal, les fondements du bonheur public et particulier. On y trouve les fameux arguments de Carnéade contre la justice et le droit naturel. Lactance, qui les rapporte, les avait puisés dans la République de Cicéron. Il les juge insolubles à la raison humaine, destituée du secours de la religion. Il a négligé de nous faire connaître les réponses que Cicéron y avait faites. J'ai suppléé à cette omission, comme pour tout le reste, en cherchant dans ses autres ouvrages. J'ose me flatter que ces recherches n'ont point été infructueuses. »

Dirksenio meo acceptam refero annotationem ad lib. II, cap. 35, quem ego locum absque eo intactum reliquissem, iis quippe praesidiis minus instructus, quibus ad talia explicanda opus est (1).

Iam de Somnio Scipionis, (2) quod inde a Macrobio tot tantorumque virorum curis et illustratum et emendatum est, et longum est dicere, et ab hoc quidem loco alienum. Mihi ad manum fuerunt editiones Ascensianae, prima et secunda, Cratandri, Herwagiana, Caroli Stephani, Sturmiana, Aldina, Lambiniana, Gothofredi, Verburgiana, Ernestina, Bipontina, Schützіana, Ochsneri ( in Oliveti Eclogg. Cicc. ) (3).

Praetermittitur Descriptio codicum et editionum, quibus Moser V. cl. usus est, et longus locus de Somnii Scipionis versione graeca; quum praeter illam, quae iam dudum circumfertur sub Theodori Gazae nomine, alia quaedam exstare videretur, quae Maximo Planudi tribuebatur, Moserus suspicatus est unam eamdemque versionem esse sub duobus istis nominibus; quam suspicionem certissimam esse firmis argumentis, ex MSS. quae in Regia Parisiensi bibliotheca latebant collatione desumptis, doctissimique Hasii nostri auctoritate demonstrat. Ed. P. et Taur.

Delatus est denique, postquam dudum haec editio describenda operis typographicis tradita fuerat, ad me liber, cuius inscriptio in novorum librorum catalogo, nundinis Lipsiensibus praemisso, magnam mihi exspectationem commoverat, dolorem etiam, quod non licuisset eo uti in ipsa mea editione adornanda. Est vero eius libri inscriptio haec: « M. Tullii Ciceronis libri de Republica, notitia Codicis Sarmatici facta

(1) Nunc vero ( mense maio a. 1825 exeunte ) eumdem locum accurate pertractatum video in libro eius novissimo: *Beiträge z. Kunde des Röm. Rechts*, pag. 189 sqq.

(2) Exstat G. E. Groddeckii Programma, Wilnae 1814, in-4, pp. 14 editum, quod inscribitur: » Ad Somnium Scipionis monita «: neque vero mihi eo uti licuit.

(3) De istis omnibus editt. vide plura in eiusdem Moseri praefatione libris de Legibus praemissa. T.

illustrati quantumque fieri potuit restituti a D. Guilielmo Münnich professore Cracoviensi.» Goëttingae, apud Carolum Eduardum Rosenbusch. 1825, 14, et 245 pp. f. 8.

Quis non hoc indice lecto huic libro et Ciceronianum de Republica opus et supplementa ex Codice Sarmatico inesse credat? Et iustior quidem eius exspectationis causa esse videre poterat ei, qui legisset in Fr. Iakobsii Epistola ad F. G. Doëringium (secularibus Gymnasii Gothani a. d. S. Thomae, 1824, scripta), p. 29, haec viri illius clarissimi verba: «in reliquiis librorum de Rep. . . . . ab A. Maio ex palimpsesto Bibliothecae Vaticanae felicissime erutis, et mox, ut audimus, ex alio huiusmodi codice, in Gallicia forte reperto, multis accessionibus augendis». Quis, inquam, non thesaurum exspectaverit? Accepimus vero pro thesauro, non quidem, quod est in proverbio, carbones, sed nihil, propter quod, librum nostrum iam e manibus emissum fuisse, magnopere sit dolendum. Et primum quidem Ciceronis de Rep. libri plane non insunt, sed agitur tantummodo de iis, et duabus quidem constat ille liber partibus. Parte priore accuratius docet Münnichius, quod minus accurate adhuc sciebamus, exeunte saeculo XVI, exstitisse adhuc in Polonia codicem librorum de Republica, neque vero ad hunc diem compertum esse, utrum etiam nunc in iisdem regionibus exstet, an alio delatus sit, an plane interciderit. Parte autem posteriore illud probatum ivit, Praesulem Camenecensem, postea Chelmensem, Premisliensem, denique Posnaniensem, Laurentium Grimalium Goslicium (Goslicki), mortuum anno 1607, habuisse illum codicem, eoque usum esse in conscribendo opere, cuius inscriptio haec est: «De optimo senatore libri duo, in quibus

magistratuum officia, civium vita beata, rerumpublicarum felicitas explicantur. Opus plane aureum, summorum philosophorum et legislatorum doctrina refertum, omnibus respublicas rite administrare cupientibus non modo utile, sed apprime necessarium. Accessit locuples rerum toto opere memorabilium index. Cum privilegio. Venetiis ap. Iordanum Zilettum, 1568, in-4. Idem Basileae, 1593, apud Leonardum Osten, impensis Roberti Cambiers, in-8. » Et primum quidem illud satis probabiliter demonstrat, fieri potuisse per temporum locorumque rationem, ut isto codice uteretur Goslicius: deinde vero ex rerum cum libris Ciceronianis de Republica congruentia efficit, Goslicium non aliorum scriptorum veterum potius quam Ciceronis de republica optima constituenda sententiam esse sequutum, quem quidem non ad verbum descripserit (nam ne unus quidem Goslicii locus Ciceronis alicui loco plane geminus est), sed ratiocinando et rebus digerendis saepenumero expresserit; ex iis denique, quae plus minusve cum fragmentis servatis vel repertis congruant, colligi id posse existimat, ut nonnullae reperti operis lacunae, quarum quidem quod fuerit vel esse debuerit argumentum, innotescat, eadem fere ratione expleantur, qua nunc Augustini quibusdam et Lactantii aliorumque locis ab A. Maio complures sint expletae. Cuius rei aliquot exempla insigniora exhibet. Denique ex colore orationis satis Ciceroniano non nimium immutata esse ea concludit, quae suis immiscuerit Goslicius ex opere, quod non nominato auctore excerpserit: illud vero Goslicii opus denuo typis se vulgaturum spondens admonet lectores, ut vestigia Codicis Sarmatici librorum Ciceronis de Republica in Polonia persequantur. — Quae omnia ut multa cum diligentia

collecta et rationibus haud plane contemnendis demonstrata esse concedo, ita tamen animum nondum explevisse, nedum exspectationi speique, quam conceperam, satisfecisse, ingenue profiteor.

Tempestive quidem, quippe exeunte mense aprili anni 1824, prodierat F. C. Wolfii, Correctoris Gymnasii Flenopolitani programma, in quo insunt: « Observationes criticae in M. Tullii Ciceronis Orationum pro Scauro et pro Tullio et librorum de Republica fragmenta. » (43 pp. in-4.) Sed quum id comparuisse sero comperissem, serius idem etiam ad me delatum esset, factum est, ut in annotatione conscribenda eo uti non possem, sed, quae inessent ad hos de Republica libros sive emendandos, sive explicandos, ad calcem operis essent reiicienda et diiudicanda (1).

(1) Eas observationes nos, ut alia emendata de quibus agitur supra, suo quasque loco reponendas curavimus. Ed. P.

# A. MAII PRAEFATIO.

## I. *Quo anno scripti fuerint libri de Rep.*

TVLLIANI operis de Republica partes ineditas, et mox alia Veterum scripta, hortante ac favente in primis eminentissimo et reverendissimo cardinali Consalvio, patrono ac peramante liberalium studiorum viro et regendae reip. scientissimo, typis edere aggredior. Sed antequam de codice Vaticano loquar, cuius beneficio haec politicae scientiae incrementa nactus sum, ipsius apprime operis nec iniucunda nec inutilis historia pertexenda est.

Domitio Ahenobarbo et Claudio Pulchro coss. Varroniano scilicet Vrbis anno 700 (qui erat annus auctoris nostri quartus et quinquagesimus, post consulatum decimus(1)) aestivo tempore Cicero calores maximos vitans in Cumanum secessit, ibique hos libros politicos scribere instituit. (2) Et huius quidem scripti natalis annus ex epistola ad Atticum quarti libri sexta decima constat, in qua se Cicero et huic operi instare nuntiat, simulque ait designatos esse consules Domitium et Messallam, qui reapse consulatum inierunt anno Vrbis 701. Atque adeo notare lubet, inter Ciceronis, quae supersunt, exceptis epistolis et orationibus, nobiliora scripta, hoc quidem de Rep. natum esse tertio loco. Nam post editum iamdiu de Inventione rhetorica opus, superiore anno libros de Oratore se absolvisse ait Cicero ad Atticum scribens, IV, 13; qua in epistola

(1) *Decimus.* Censor Lipsiensis (1824, n. 7) hunc annum V. C. ait fuisse LIII aetatis et post consulatum Ciceronis nonum. Natum enim fuisse Nostrum ineunte anno 648, Q. Servilio Caepione et Servilio Serrano coss.: consulem vero factum anno 691 aerae Varronianae. Et ita est in tabulis consulum apud Wurmium de Pondd. Numm. Monsurr. ac de anni ordinandi rationibus ap. Rom. et Gr. (Stuttg. 1820.) Mr.

(2) Ad Q. fr. II, 14; III, 1, 5. A. M. — Quam praeterea laudat Ang. Maius Ep. ad Q. fr. II, 16, ea nihil continet, quod ad nostrum opus pertineat, ut recte animadvertit cens. Lips. Sed neque in prima libri tertii epistola de eo sermo est. Mr.

Digitized by Google

meminit Crassi, qui eodem tempore paludatus in provinciam erat profectus; (1) cuius profectionis annum fuisse Vrbis 699, exploratum est: nam consulatum cum Pompeio Crassus gerebat. Temporis igitur fecit propinquitas, ut duorum operum exordia parum dissimili ratione texerentur. Porro in Tullii editionibus si quis singula scripta chronologico ordine disponere volet, ei post oratorios ad Quintum libros, politici collocandi erunt; sin vero materiae rationem habebit, libros de Rep. ante libros de Legibus ponet. Reliqua Ciceronis opera ipsa se posteriora esse produnt, vel quia tempus inscriptum habent, vel quia politicos libros commemorant. Editis de Rep. libris non mediocrem scribendi intercapedinem fecisse Tullium ait Atticus apud eumdem in Bruto cap. 5. Vtrum vero auctor septimo illo saeculari Vrbis anno libros politicos ad umbilicum deduxerit, haud liquido constat. Quamquam reapse Tullius mira celeritate atque assiduitate scribere solebat, cuius rei testimonia apud ipsum sunt: (2) unde fere colligimus Tullium unica illa apud Cumas rusticatione potuisse opus absolvere. Et tamen eo anno negotiosissimus in rep. vir plurimas et prope quotidianas causas egit. Ait enim eodem anno ad fratrem scribens: (3) « diem nullum esse scito, quo die non dicam pro reo. » Nam et Crassi absentis causam in senatu defendit: tum dixit orationes contra Interamnates, et pro Messio, pro Druso, pro Vatinio, pro Scauro, pro Plancio, pro Gabinio, pro Rabirio Postumo, et fortasse etiam pro Coelio: (4) praeter quam quod laudationem funebrem Serrani Domestici filii scripsit. (5)

(1) Conf. Ep. ad Fam. I, 9.

(2) De Legg. I, 3; ad Attic. XII, 14, 40, XIII, 26; ad Fam. VII, 28; Orat. 30.

(3) Lib. III, 3 — Pro Gabinio. Monet cens. Lips. l. c. in epistola, quam laudat A. Maius ad Q. fr. III, 3, Ciceronem potius de Gabinii iudicio maiestatis loqui, eoque defenso se infamiam sempiternam subiturum fuisse contendere: eumdem tamen Gabinium paullo post a Cicerone de repetundis esse defensum. Frustra videlicet. Vid. M. T. Cic. historia a Fr. Fabricio Marcodur. conscripta ad ann. Vrb. 699, pag. 96 ed. Ern. min. Adde Corradum in Quaestura, pag. 264. Ma.

(4) Ad Fam. I, 9, V, 8, ad Att. IV, 15; ad Q. fr. II, ult. III, 1, 4; Varro de Re Rust. III, 2; Val. Max. IV, 2; Dio Cass. XXXIX, 63.

(5) Ad Q. fr. III, 8. Cf. de Rep. IV, 8, not.

II. *Scopus dialogi de Rep. atque aetas qua habitus fingitur.*

Propositum autem Tulliani operis idem fere fuisse videtur, quod sibi Polybius scribendae historiae statuit, nempe ut doceret, quo politiae genere, quibus viribus, quibus moribus populus romanus imperium orbis obtinuisset: (1) tum quia Tullius in vitiata iam tempora inciderat, eo praecipue nervos intendit, ut prisci moris severitatem reduceret, atque evanescentem vetustate remp. renovaret. (2) Et quidem de Divin. II, 2, quum paullo ante opus suum politicum memoravisset, ait auctor: « quod munus reip. afferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem? his praesertim temporibus atque moribus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coërcenda sit. » Atque eumdem sibi scopum Varro proposuit, quum libros scripsit de vita populi romani. Ergo Polybium praecipue spectans Cicero dialogos suos de Rep. in Scipionis Aemiliani et personam et aetatem contulit: erat enim Scipio πρόσωπον πόλεως, reip. princeps vir, et, ut Velleius loquitur, (3) eminentissimus saeculi sui; illa autem aetas romani nominis illustrissima, ut saepe servat Polybius, moribus nondum corruptis, maxima gloria victoriarum: sublata enim Carthagine quae diu aemula imperii fuit, manus suas Roma in totum orbem terra marique porrexit. (4) Fuit enim illo aevo triumphus Macedonicus de Perseo, Illyricus de Gentio, Achaicus de Corintho, Punicus de Carthagine, Numantinus, et praeterea de Andrisco, de Aristonico, aliique triumphi minorum nominum. Plena erat graecis eruditis Roma; efferebant se oratores; recens prope erat Ennii, Plauti, Caecilii, Terentii, Pacuvii, Accii Luciliique poësis. Tantus denique erat romanae felicitatis apex, ut noster Africanus censor publicam precandi formulam mutandam curavisset: rogari scilicet deos iusserat, non iam ut augerent romanam fortunam, sed ut conservarent. (5)

(1) Polyb. procem. lib. III.
(2) Cic. de Rep. III, 29, V, 1.
(3) Lib. I, 12.
(4) Seneca in historiis apud Lactantium, Inst. VII, 15.
(5) Valer. Max. IV, 1, 10.

Digitized by Google

### III. *Ratio operis saepe mutata.*

Ceteroqui rationem scribendi operis non semel a Cicerone fuisse immutatam exploratum est. Prorsus ut Euphorion atque Panaetius (1) tradunt ipsum Platonem suae reip. initia saepe subvertisse ac varianda curavisse. Cicero quidem Q. fratri narrat, se principio sermonem in novem et dies et libros distribuisse. (2) Sed enim mox versa sententia, e novem sex fecit, ut ipse Cicero testis est (3) et alii auctores passim confirmant: totamque disputationem triduo absolutam voluit, (4) quod praeter alia testimonia nunc codex Vaticanus demonstrat, ita ut bini diebus singulis libri recitentur. (5) Breviati sunt igitur dies dialogi, non tamen mutatus annus: tam enim novemdiales ferias prioris incepti, quam latinas posterioris, ipse auctor fuisse dicit Tuditano et Aquilio consulibus, (6) id est, Varroniano anno 625, quo dialogus recitatur. Praeterea personas principio fecit Africanum, Laelium, Philum, Manilium, Tuberonem, Fannium et Scaevolam. (7) Tum alibi (8) ad dialogum adiungit etiam Rutilium. Mummii persona nusquam antea apparuerat, nisi in paullum corrupta Nonii lectione; (9) nunc vero in Vaticanis reliquiis non semel loquitur. Illud mirum est, quod quum Fannius et in citatis locis et in codice Vaticano intersit dialogo, in opere (10) tamen de Amicitia, cap. 7, idem a Scaevola dicatur non adfuisse in hortis Scipionis quum est de rep. disputatum, quumque Laelius patrocinium iustitiae gessit; rursusque Laelius eodem in opere, cap. 4, praesente Fannio, dicat Scaevolam interfuisse secum dialogis de Rep. cum Philo et cum Manilio et aliis pluribus, quin tamen peculiarem faciat mentionem Fannii. Sane hi duo

(1) Apud Laertium, III, 25.
(2) Ad Q. fr. III, 5.
(3) Ad Att. XIII, 19; de Div. II, 1; Tusc. IV, 1; de Legg. I, 6, III, 2.
(4) Cic. de Am. IV, idemque apud Macrob. ad Somn. I, 4, sive de Rep. VI.
(5) De Rep. II, in fin.
(6) De Rep. I, 9; ad Q. fr. III, 5.
(7) Ad Q. fr. III, 5.
(8) Ad Attic. IV, 16.
(9) Vide de Rep. V, fin.
(10) Ita ed. Rom. In ed. Stuttg. est *et opere*.

loci de Amic. satis indicare videntur Fannium abfuisse ab iis dialogis, quia Cicero, quum alia mutaret, hanc quoque personam (unamne an forte plures?) removendam putaverit: atque ita in prooemio ad fragm. de Rep. censet Sigonius. Sed ecce nunc obstat codex Vaticanus, qui Fannii personam ad dialogum adducit. Itaque, ne cum A. Schotto (1) μνημονικὸν σφάλμα Ciceronis incusem, id unum effugium superest, ut Fannius secundi diei disputationi, cuius pars prior fuit de iustitia, non interfuerit, digressus fortasse cum alio quovis ad negotia; uti ante dialogum de Oratore secundum discedit Scaevola, cuius rei rationem reddit Attico (2) ipse auctor. Atque eiusmodi commutationes personarum et librorum in Academicis quoque scribendis fecisse se narrat Cicero. (3) Praeter librorum et temporis et personarum varietates aliam quoque novitatem cogitavit facere Cicero in his libris monente Sallustio; (4) nimirum omissis antiquis illis personis, loqui ipse vel solus, vel cum personis aequalibus; sic enim et suam consularis hominis doctrinam dignitatemque commendari videbat, et ansam nanciscebatur de suorum temporum moribus disserendi, quod fieri non poterat, si antiquiores personae dialogum facerent. Sed enim haec varietas mente semel concepta effectu caruit; maluit enim Cicero sua tempora vitare, ne quispiam offenderetur. Quare nec Varro in his dialogis includi potuit, quod a Tullio poscebat Atticus, nisi eum forte aliquo in prooemio appellavit auctor, quod satis incertum est. Quinta in his libris scribendis mutatio fuit ratio proemiorum. Namque ad Atticum, IV, 16, ait se in singulis libris uti prooemiis. Itaque vel novem, vel saltem sex fieri debuerunt proœmia. Sed enim quum deinde binos in singulis diebus concluserit libros, tribus tantum prooemiis opus fuit, ante primum videlicet librum, ante tertium, et ante quintum, quia nonnisi abrupto dialogo locus est interponendi proœmii. Itaque et tres libri de Legibus, quoniam uno die recitantur, unico utuntur exordio. Sane in Vaticanis de Rep. membranis

(1) Nodor. Cic. III, 5.
(2) Lib. IV, 16.
(3) Ad Att. XIII, 13, 16.
(4) Lege ad Q. fr. III, 5.

Digitized by Google

nihil est medium inter primum et alterum librum, ut necessaria ratio docet quaternionis XIV, qui integer superest: praeter quam quod ibidem librum incipere sine proœmio docet ille solemnis in initiis defectus aliquot verborum. E tertii libri proœmio supersunt in Vaticano codice paginae octo, itemque fragmentum quoddam apud Augustinum. Quinti libri prooemium memorat idem Augustinus, eiusque nobilem particulam recitat. Proœmia librorum reliqua, si quidem scripta fuerunt, in eo volumine proœmiorum, nunc deperdito, quaerenda sunt, quod Cicero sibi confecerat, et ex quo eligere solebat, quum aliquod πύγγραμμα instituisset: (1) Demosthenem in hoc etiam imitatus, cuius multa prooemia sunt; itemque Theophrastum et Demetrium Phalereum; (2) quorum postea exempla Fronto sequutus est. (3) Denique tantus fuit in politicis libris scribendis vel labor Ciceronis vel aestuatio, ut ipsemet de exitu dubitaverit, (4) scripseritque ad fratrem (5) se, nisi opus e sententia succederet, deiecturum illud in mare, quod scribens spectabat.

## IV. *Cuinam opus de Rep.* προσφωνεῖται?

Ciceronis de Rep. opus homini aequali inscriptum fuisse, patet invicte e Vaticanis reliquiis: (6) « disputatio repetenda memoria est, quae mihi tibique quondam adolescentulo est a P. Rutilio Rufo, Smyrnae quum simul essemus complures dies, exposita. » Ante opus de Rep. scriptum semel versatus est in Asia Cicero anno aetatis XXIX, quum eas provincias et valitudinis confirmandae et eruditionis causa peragravit; (7) quin et Rutilium Smyrnae a se auditum loquentem confirmat idem Cicero. (8) Age vero quisnam adolescentulus Ciceronis vel comes in illo itinere, vel certe simul Smyrnae

(1) Ad Att. XVI, 6.
(2) Laert. V, 2 et 5,
(3) Princip. Hist.
(4) Ad Atticum IV, 16.
(5) Lib. II, 14.
(6) De Republica I, 8.
(7) Brut. 91.
(8) Brut. 22.

versatus fingitur? Atticus in primis menti occurrit, qui Ciceronem vidit eo tempore Athenis, (1) quemque facile credideris comitem se Ciceroni in Asiam eunti adiunxisse, praesertim quum Atticus ad eas transmarinas regiones identidem se conferret negotiorum et nominum causa quae ibidem habebat. (2) Erat autem Atticus duobus tantum annis maior natu quam Cicero: Atticus enim anno aetatis septuagesimo septimo mortuus est, Domitio et Sosio consulibus, (3) anno Vrbis 722; Cicero annum agens LXIV occisus est, anno Vrbis 711; ergo is annus erat Attici sexagesimus sextus. Ergo quum Cicero audiebat Smyrnae Rutilium, Atticus annum agebat XXXI. Atqui hac aetate dici poterat Atticus adolescentulus: namque adolescentes dictos fuisse interdum, qui ·l quadraginta annos nati essent, satis exploratum est. (4) Ergo nihil obstat quominus Cicero in praedicto Vaticani codicis loco videatur de Attico loqui: quod si verum est, sequitur, ut eidem opus hoc politicum fuerit inscriptum. Sane universa prooemii ratio ad personam Attici fortasse quadrat: Cicero enim totus in eo est, ut suae vitae institutum defendat adversus eos, a quibus reprehendebatur, quod homo doctus et literarum omnium plenissimus in rep. administranda tempus terere maluisset, quam se quieti literariae tradere. Atqui haec erat solemnis et unica Epicurei Attici (5) in amicum Ciceronem criminatio, ut diserte comperimus. (6) Accedit, quod Atticus plurimis saepe laudibus libros de Rep. ornavit, (7) quod ut faceret non solum materia in causa fuit, verum etiam fortasse fama, quae ad eum apud omnes posteros redundatura videbatur, si no-

(1) Cic. de Finibus V, 1.

(2) Ad Att. IV, 15, 17, 18, V, 13.

(3) Nepos vit. Attic. 21, 22.

(4) Forcell. voc. *adolescens*. Populariter autem loquitur Augustinus Civ. Dei, XXII, 15, quum ait iuventutem ex sententia doctorum circa triginta annos definiri.

(5) Atticum fuisse Epicureum patet ex Cic. de Legg. I, 7, et ex Tuscul. I, 6, facta comparatione cum Lactantii loco Inst. VII, 7. Idem tamen Atticus quamvis a rep. gerenda abhorreret, nihilominus ad Att. IV, 6 dicitur natura πολιτικός.

(6) Ad Att. I, 17.

(7) Ad Att. V, 12; VI, 1, 2, 3; VII, 2, 3.

Digitized by Google

men Attici cum tanti operis gloria esset sociatum. Rursus pro Attico facit, quod ei inscribitur Laelius, cuius operis complures sunt cum hoc civili congruentiae. Infirmat vero sententiam severior illa in primi libri proœmio disputatio auctoris adversus vituperatores instituti sui; in quibus quum fuerit Atticus, nonne inhumane fieret in eum invectio, cui honos tribuendus est? Denique si forte vera sunt (fabularum enim similia videntur), quae paullo inferius e Bullartii historia referemus, codex olim in Sarmatia observatus libros de Rep. testatus est fuisse ad Atticum scriptos. Haec ego paullo prolixius disputavi propterea, quod gravis admodum dubitatio mihi esset oborta, num politici libri Quinto fratri fuerint inscripti. In multis autem quaestionibus fit, ut res verbosior haec fuerit, illa verior. Causa mihi dubitandi sunt illa verba Marci ad fratrem (1) loquentis de varianda temporum et personarum ratione in his dialogis: « ego autem id ipsum tum eram sequutus, ne in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam: nunc et id vitabo, et loquar ipse tecum; et tamen quae institueram ad te, si Romam venero, mittam. » Quid est enim *loquar tecum*, nisi vel in proœmio vel in dialogo cum Quinto loqui? Nam coram certe non poterat, quia tempore illo Quintus versabatur in Britannia cum C. Caesare. Atqui in dialogo non est Quintum alloquutus; ergo in proœmio: nisi forte id quidem facere cogitavit Cicero, sed deinde sententiam mutavit. Tum et locutio *quae institueram ad te mittam*, hoc quidem loco videtur intelligenda de volumine in Britanniam ad Quintum transmittendo; ceterum *alicui mittere librum* significat interdum apud Latinos, quod graece προσφωνεῖσθαι, ut Varro Ling. Lat. IV, 1, et Dig. XXVII, 1, 1; sicuti apud Lactantium Inst. VII, 4, et de Op. D. I, idem sonat « librum scribere ad aliquem. » Superest videndum num Quintus adolescentulus cum Marco Smyrnae fuerit. Comitem fuisse Marco Quintum in illo itinere iuvenili, saltem Athenas usque, patet omnino e proœmio libri extremi de Finibus, ubi Marcus narrat, se quodam die postquam Athenis audivisset Antiochum (quem sex menses audivisse illa in urbe, dum peregrinaretur,

(1) Lib. III, 5.

confirmat Cicero Brut. 91,) dialogum instituisse cum Q. fratre, T. Pomponio, Lucio Cicerone patruele, et M. Pisone. Quidni igitur Quintum in Asiam quoque comitatum esse fratri arbitremur? Illud etiam in memoriam revocemus, Marcum libros oratorios, quos anno ante politicos scripsit, Q. fratri misisse: quae res utri faveat sententiae, non definio: esset enim pietatis maximae indicium, binum opus tantique pretii ad fratrem misisse; et tamen Atticum summo amore devinctum non saltem secundo munere adfecisse, vix credibile videtur. Denique levis mihi et vix probabilis suspicio incidit, libros Tullii politicos neque Attico, neque Quinto, sed Varroni fuisse inscriptos, qui fuit decennio maior Tullio. (1) Namque in mentem venisse Ciceroni Varronem appellandi prooemio aliquo librorum de Rep. testis ipse est: (2) « Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem. » Sed enim consideratis Tullii epistolis ad Varronem facile existimes nullum huic ab illo ante Academicos inscriptum fuisse librum; denique eiusdem Tullii ad Atticum verba, (3) quae in decimo testimonio a me proferuntur, rem adhuc vehementius negant.

(1) Hieronym. Chron.

(2) Ad Att. IV, 16.

(3) Ad Attic. XIII, 18. Confer etiam XIII, 16. — *Negant.* Admodum infirmas esse rationes, quibus a Cicerone alii cuipiam, quam Attico, inscriptos esse hos libros probatum ivit A. Maius, iam ante me iudicavit censor editionis Romanae Gottingensis ( 1824, n. 44 ), et liquido demonstravit censor Lipsiensis ( l. c. n. 5 ), cuius rationibus non est quod nova adminicula quaerantur. Quod enim A. Maius affert ex quinta libri tertii ad fratrem epistola, de eo Ciceronis proposito intelligendum, quod non ad exitum perductum est. Quum enim sibi proposuisset mutare totius operis formam ( de quo consilio hoc ipso et tertio potissimum huius praefationis capite loquitur A. Maius ), ipseque in eo cum fratre colloquentem se fingere voluisset, quod consilium cepit absolutis iam duobus libris, mutato rursus consilio *loquendi cum fratre* ad primam rediit sententiam, neque ipse loquutus est. Attico vero inscriptos re vera esse hos libros, praeter rationes ab ipso A. Maio allatas, demonstrat locus Cic. Brut. 5, § 19, ubi, postquam Cicero ob opus historicum ab Attico sibi inscriptum simile aliquod *ἀντίδωρον* ei promiserat, Atticus respondet: « ego a te peto. .... ut scribas aliquid: iam pridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de Republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmet ipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam

## V. *Quinam opus de Rep. memoraverint usque ad Christi saeculum VII.*

Quanta olim admiratione excepti sint Ciceronis de Rep. libri pronum creditu est, si auctoris famam, si argumenti praestantiam, si styli splendorem cogites. Cicero quidem ipse ait, ut supra docui, eos fuisse ab Attico lectos ac devoratos, probatosque valde ac dilaudatos. Coelius item Ciceroni nuntiabat, libros eius politicos omnibus vigere. (1) Iam consequutis temporibus sine dubio in omnium manibus fuerunt, quod apparet ex eorum multitudine, qui de illis loquuntur. Suetonius quidem eos peculiari opere collaudavit: (2) tum lecti sunt seu citantur hi libri a Seneca, Plinio seniore, Frontone, Gellio, Macrobio, Eulogio, Servio, Philargyrio, Iuvenalis scholiaste, Lampridio, Nonio, Charisio, Diomede, Victorino, Nectario, Hieronymo, Ambrosio, Boëthio, Isidoro, Prisciano, praesertim vero a Lactantio atque ab Augustino, quorum uterque multos ac splendidissimos locos mutuatus est: immo, ut opinor, e Tulliani operis titulo ortum est Augustino consilium scribendi operis inter sua praeclarissimi de Civitate Dei. Quin Livius politicos Tullii libros legerit, dubitari non potest. (3) Suspicari licet etiam de Dione Cassio, de Arnobio, Ammiano Marcellino, Appuleio, Cypriano, Tertulliano, Aur. Victore, Ampelio, et de etymologo quodam Vaticano. (4) Vtrum veteres grammatici ad hoc opus Tullianum

Impulsi atque incensi sumus. » Quem ego locum cum cens. Lips. a Schützio haud satis idoneis rationibus aliunde huc translatum dici existimo. Quod vero ait Ciceronem, inter hos de Republica libros et Brutum, libros de Legibus edidisse, id velim discere unde sciat. Ego enim, collatis ponderatisque omnibus quod ad librorum illorum compositionem editionemque pertinet argumentis, eos post Ciceronis demum mortem exiisse, neque ab eo plane esse absolutos, quamquam scriptos a. Vrb. cond. 702, Ciceronis anno LVI, veri habeo simillimum. Vide meam in libros de Legibus introductionem, pag. XXV-XXVIII. Conf. Corradi Quaestur. p. 265; Fr. Fabr. Marcodur. in Vita Cic. pag. 100. Ma.

(1) Ad Fam. VIII, 1.

(2) Vide testimonia.

(3) De Rep. II, 5, not.

(4) In notis de Rep. I, 25, 28, 32, 43; II, 18, 20, 22; III, schol. IV, schol. V, fin. et fragm. incert.

commentati sint, nescimus; nisi forte id fecit Victorinus; quam rem sibi prope persuaserunt A. Schottus (1) atque Patricius: (2) uterque autem nititur auctoritate divi Hieronymi, (3) qui commentarios Victorini memorat ad dialogos Ciceronis, quo nomine hi libri civiles intelliguntur ob eorum praecipuam dignitatem. (4) Ne Graecis quidem id opus ignotum fuit, quamquam hi plerumque suis contenti, et elati, latina scripta valde negligerent: sane et politicis libris Graeci ita abundarunt, ut Ciceronis opus ab iis consuli necesse vix fuerit: quum contra Cicero Graecorum fontibus suos omnes hortulos irrigaverit. Adversus Ciceronis politiam calamum strinxit Didymus chalcenterus, ille Augusteo aevo innumerabilium scriptorum parens; quem mox retudit patrocinio arrepto Suetonius, ut nos Ammianus Suidasque docent: (5) neque illud mirum fuit, quandoquidem et Platonis politia criminatores graecos nacta est, quos inter Zenonem, Aristotelem atque Athenaeum. (6) Aristides item Quintilianus politiam Ciceronis novit. (7) In Vaticano quodam palimpsesto latet graecus auctor politicus, sive potius fragmenta eiusdem: is auctor neque antiquissimus est, neque valde recens: scriptura quidem codicis sapit saeculum decimum; sed de auctoris ipsius aetate nihil adhuc decerno: quamquam ille politicus, cuius Photius Cod. xxxvii notitiam nobis exhibet, adeo congruit cum Vaticano, ut plane idem homo esse videatur, Iustinianaei scilicet aevi scriptor, et fortasse ille Petrus Protector politica doctrina clarissimus. Is igitur Vaticanus anonymus libros aliquot conscripsit περὶ πολιτικῆς ἐπιστήμης; libro autem quinto, qui est de Arte regnandi (sicuti quintus Ciceronis est de reip. rectore), praeponit summarium in complura capita tributum, quorum in uno comparatio fit politiae Platonicae cum Tulliana; quodque magis interest, praefertur Platoni Cicero. Merito

(1) Nod. Cic. III, 5.
(2) Praef. ad Fragm. de Rep.
(3) Contra Ruf. I, 16.
(4) Vide scholion ante librum IV de Rep.
(5) Vide testimonia.
(6) Plutarch. de Stoic. repugn. ed. Reisk. I, 10, p. 282; Aristot. Reip. II, Athen. XI, 15.
(7) De Rep. IV, in fin.

igitur literatissimus Gallus, et de Rep. Ciceronis optime meritus, Bernardus (1) praef. nov. ed. pag. 11, suspicatus est, Graecum illum Photii anonymum ad imitandam Ciceronis politiam studium suum contulisse: nunc autem commode accidit, ut reliquias utriusque operis Vaticanorum codicum beneficio vulgare liceat.

## VI. *Quinam memoraverint a saec. VII ad XII.*

Post Isidorum, id est post christiani aevi saeculum septimum, haud scio an quisquam Tullianum de Rep. opus commemoret ante Gerbertum Gallum, qui saeculo decimo e monacho Floriacensi abbas Bobiensis, deinde Rhemorum tum Ravennae archiepiscopus, et denique romanus pontifex creatus est. Is epistola LXXXVII Constantinum scholasticum ad se accersens, ait: « comitentur iter tuum Tulliana opuscula et de Repu-

(1) *Bernardus.* Est vero libri eius haec inscriptio: » De la République, ou du meilleur gouvernement; ouvrage de Cicéron rétabli d'après les fragments et ses autres écrits, et traduit en français avec des notes historiques et critiques, et une dissertation sur l'origine et le progrès des sciences, des arts et du luxe chez les Romains. Nouvelle édition revue et corrigée, à laquelle on a joint le texte latin, avec deux dissertations nouvelles: 1.a Recherches sur le traité de Cicéron, intitulé de la Gloire: » probare vult in hac dissertatione Bernardus, Alcyonium saeculo XV re vera superstites habuisse libros Ciceronis de Gloria, eosque, postquam aliquot eorum laciniis suos de Exsilio libros exornaverat, igni vel alio modo corrupisse: » 2.a Sur les Fondements du droit et de la Justice, par M. Bernardi, 2 voll. Paris, chez Delance, imprimeur-libraire, 1807, f. 8. » Collegit in hoc opere Bernardus ex libris Ciceronis superstitibus omnia fere, quae de republica administranda variis locis sunt disputata, admixtis, quae prius ferebantur, librorum de Republica fragmentis, eamque farraginem satis commode in sex libros centonis instar distribuit ad modum Brossii, qui Sallustiani historiarum operis (quamquam non semper accurate adhibita arte critica) probabilem conflavit speciem. Obiter moneo errare Bernardum in sua de Alcyonio disputatione (t. II, p. 281 sq.), si credit hunc Alcyonii locum esse ex libris de Gloria, ubi ait (pag. 104 ed. Menkenii, Lips. 1705): » ut eximius orator Isocrates refert, cuius quidem optimis praeceptis et summa eloquentia adductus, saepius laudare soleo, quam forsitan necesse sit. » Verum est, insunt huic loco verba Ciceronis, sed memoriter et parum eleganter ex initio tertii Ciceronis de Legibus libri deprompta vel detorta potius, ubi Noster de Platone loquens, » Sequar igitur, ait, ut institui, divinum illum virum; quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. » Ma,

blica et in Verrem, et quae pro defensione multorum plurima romanae eloquentiae parens conscripsit. » Ergo illo adhuc tempore politici libri superesse credebantur, quandoquidem Gerbertus sine ulla dubitatione eos ad se deferri iubet. Iam vero quoniam codex de Rep. Vaticanus e Bobiensi s. Columbani coenobio Romam, ut mox dicemus, advectus est (cui coenobio praefuit abbas Gerbertus et libros plurimos undique conquisivit (1)) haud iniuria credendum videretur, hunc ipsum codicem allatum esse Bobium ad Gerbertum a Constantino; ibique consequutis temporibus fuisse rescriptum a monachis; et denique multa post saecula Romam et in Vaticanam bibliothecam translatum, a me denique nunc esse lectum. Verum ei coniecturae duo maxime obstant. Primo enim praedictas literas non Bobii scripsit Gerbertus, sed Rhemis, quum ibi esset Adalberoni archiepiscopo ab epistolis anno 987: (2) itaque ait expectare se Constantinum ad XVI kal. septembris, quae dies praefiniri poterat venienti de Floriacensi ad Ligerim monasterio Rhemos, non item venienti e transalpina Gallia Bobium in Italiam. Igitur Constantinus codicem de Rep. non Bobium, sed Rhemos detulit, si tamen detulit. Praeterea Vaticanus codex ante aetatem Gerberti videtur Bobii non solum exstitisse, verum etiam ibidem fuisse rescriptus: namque Augustini superimposita Ciceroni scriptura (de qua mox loquar) videtur antiquior saeculo decimo. Ergo non audeo definire utrum Vaticanus hic codex Gerberto aliquid debeat necne. Saeculo XII Ioh. Saresberiensis Ciceronis de Rep. locos citat, quos in nostra editione et in praepositis testimoniis videre est. Et quidem locus de poëtis (3) (si quidem is pertinet ad libros de Rep. ut putavit Sigonius, utque docere videtur Augustinus ep. xci) longior multo est apud Saresberiensem, quam apud Augustinum: quamquam ea potius interpolatio quaedam credenda est. Alterius loci (4) etsi initium sumi poterat e Macro-

(1) Gerb. Ep. CXXX.

(2) Vide Rer. Gallic. et Francic. scriptores, itemque eorum indicem chronologicum, tom. X, pag. 392, 393.

(3) De Rep. IV. 9.

(4) Polycr. VI, 21. Vide testimonia.

bio, (1) tamen sequentia videntur sumpta ex ipsius Ciceronis lectione, quoniam Macrobius in alia abit. Ergo utrum manibus ipsum Ciceronis opus triverit Saresberiensis, haud liquido constat. (2) Ceteroqui mirum non esset haud caruisse his libris politicis Saresberiensem saeculo XII; siquidem ii vix ducentos ante annos ad Gerbertum deferebantur. Sane Lipsius aiebat (3) se in Ioh. Saresberiensis centone multos pannos purpurae agnoscere et fragmenta aevi melioris. Eodem saeculo Petrus Blesensis indicium aliquod edidit, se legisse libros de Rep. (4) Itemque aequalis eius Petrus Pictaviensis locum ex iisdem libris profert: (5) quod ipsum animadversum Barthio puto, a quo diserte dicitur (6) Petrus Pictaviensis habuisse Ciceronis de Rep. libros integros.

## VII. *Spes inveniendi operis de Rep. usque ad saec. XVII.*

Recentiora tempora ingressis duo nobis occurrunt graeci homines, Planudes et Gaza, quorum alter saeculo XIV, alter sequente, Somnium Scipionis in graecam linguam converterunt. Cave tamen credas graecos hos interpretes habuisse codicem de Rep. integrum. Scipionis quippe Somnium a politico corpore avulsum passim occurrit in codicum apothecis, praeter quam quod in Macrobii quoque exemplaribus exstat. Affirmare igitur licet, post duodecimum certe saeculum famam tantummodo incertam et levem de politicorum librorum incolumitate seu spe mansisse. — Ciceronis de Rep. nominatim libros cum aliis eius-

(1) Ad Somn. I, 1. Locus item Macrobii, in quo sermo fit de Frontone, profertur integrior a Saresberiensi, quam est in editionibus Macrobii. Vide testimonia in mea Frontonis editione.

(2) Videsis disputata a nobis ad IV, 9 de Rep.

(3) Ad Tacit. Annal. XII, 63.

(4) Ep. LXXXV. Conf. de Republ. lib. IV, cap. 1, not. Petrus certe Somnium legebat; nam Epist. LXV visionem Africani memorat. Tum Epistola LXVII tota est de administranda rep. Epistola vero LXXI tota de iure. In aliis quoque Epp. multam Petrus doctrinam auctorumque veterum lectionem prae se fert.

(5) In Epistola ad calumniatorem, Biblioth. Lugd. PP. tom. XXII, p. 824, Conf. de Rep. V, 7.

(6) Adversar. XXXII. 5, 18.

dem operibus, iussu praesertim Clementis VI, papae literatissimi, (1) a Francisco Petrarcha diu fuisse, acriter, magnis impensis curisque vestigatos, testem ipsum habemus virum incomparabilem prolixa epistola sen. XV, 1, quae tota est de Ciceronis libris. (2) Sed tamen incassum politicorum librorum fuisse vestigationem, seque de iis demum desperavisse confirmat idem et in praedicta epistola et in secunda ad viros illustres. Fortunatus alioqui homo in inveniendis Ciceronis scriptis et aerumnosus in amittendis! Namque is reperit Tullii epistolas ad diversos, idemque amisit libros de Gloria. Illud miror ab infinitae memoriae viro I. A. Fabricio fuisse in Varrone praetermissum, quod nempe Petrarcha Varronis libros divinarum et humanarum rerum puer legerit, quam rem ipse Petrarcha non sine dulci animi sensu memorat epistola quinta ad viros illustres; moeens pariter, quod illud volumen sibi iam ad manus non esset. Tantum opus, quingentis abhinc annis a Petrarcha lectum, si cui demum mortali se visendum constituet, is merito hecatomben fortunae immolabit. Rei tamen dubito utrum arrogem, an derogem fidem: licet enim suspicari lapsum esse memoria senem Petrarcham, ita ut puer legerit de Lingua potius latina libros ( cuius operis codex omnium parens et antiquissimus iam tum Florentiae exstabat ). Sic enim in his loquitur haud semel Varro, (3) ut prius de iis quae ad deos, deinde quae ad homines, dicturum se esse spondeat. Divinarum autem et humanarum rerum Varronianos libros ex Augustino potius innotuisse Petrarchae putem. Interim alia quoque calamitas Varronis librorum est, quod Hieronymi epistola XXXIII, in qua syllabus eorum praescribebatur, mutila est, quam utinam codex aliquis expleat! Sed in viam redeamus. Pogii quoque ( qui tot Veterum scripta invenit ) aetate quaesitum esse Ciceronis de Rep. opus satis declarat Leonardus Aretinus, qui Pogio anno 1416 gratulans de reperto Quintiliano, ait: « quem ego post Ciceronis de Rep. libros plurimum e latinis desideratum et prae

(1) Sic eum appellat ipse Petrarcha Ep. fam. VIII, 6, qui saepe se ante eiusdem Pontificis maximi pedes fuisse dicitur Rer. memor. II, 1, fin.

(2) De Ciceronis scriptis a Petrarcha iubente Pontifice quaesitis legesis etiam Ep. fam. VII, 4, et ad Vir. ill. 1 et 2.

(3) Ling. Lat. IV, 10, 11; V, 3.

cunctis deploratum affirmare ausim. (1) » Qui autem politicos Tullii libros eo tempore vestigavit, ipse in primis Pogius fuit, hortante ad id inter alios Fr. Barbaro, ep. I, p. 7. Pogius ipse ad amicum scribens (2) de Nicolai Treverensis bibliotheca codicum veterum, sic hunc facit loquentem: « de Rep. dicit se deceptum, (3) et illum librum fuisse Macrobium super Somnio Scipionis; sed tamen se non desperare quin reperiatur: ait enim quemdam doctum virum dixisse sibi, ubinam esset, et se quamprimum eo profecturum. » Rursus idem Pogius alia epistola: (4) « quantum Nicolao Treverensi credendum sit iudicabo, quum in lucem venerint, quae retulit de Rep. Ciceronis. » Porro quum cardinalis Bessario ob inquirendum Ciceronis de Rep. opus plus mille aureorum insumpsisse tradatur, (5) quumque Pogius in Bessarionis clientela fuerit, (6) opinari licet, Bessarionem usum esse vestigatore Pogio tot iam veterum voluminum felicissimo inventore. — Io. Lelandus, qui commentarios de scriptoribus Britannicis edidit, ex incerta fama refert (7) Ciceronis codicem de Rep. exeunte saeculo XV fuisse inter libros Gulielmi Tillaei in Anglia, sed ibidem incendio deinde absumptum. — Io. Sturmius anno 1552 epistola ad Rogerum Aschamum, p. 534, ait: « sed ecce, Aschame, quidam in hac vicinia (urbis Argentorati) mihi promisit libros Ciceronis de Rep. Sexies misi ad eum: si adferantur, me quid poterit esse beatius? senatoriam prae me gravitatem feram ex antiqua disciplina, si obtinebo. Sed ut nunc homines sunt, valde metuo, ne sit nihil: sed si verum sit, mittam etiam tibi, etc. quam vereor, ne sit nihil! verum tamen in epistola quam ad me scripsit, attingit loca quaedam et eorum argumenta, quae non puto esse de nihilo. » Vtinam vere distincte memorasset Sturmius ea loca et ea argumenta! nunc enim Vaticanus codex

(1) Ep. IV, 5.

(2) Ep. XXVI, p. 79, apud Mehusium praef. ad Ambros. cam. p. 41.

(3) Idem propemodum error accidit Mabillonio Mus. Ital. t. I, p. 79.

(4) Inter Epistolas Ambr. cam. lib. XXV, 42.

(5) Fabric. Bibl. Lat. in Cic. Nihil tamen ait hac de re Bandinius in vita Bessarionis; quare licet suspicari confusum cum Polo (de quo mox) Bessarionem.

(6) Bandin. vit. Bessar. pag. 21.

(7) Tom. II, cap. 95, pag. 483.

fortasse doceret, verus ne fuisset ille rumor, necne. — Iam post elapsum triennium haec ipsi Sturmio scribebat ex Anglia Aschamus p. 99: « quaerebat a me (card. Polus),an quidquam ego umquam vidi de libris Ciceronis de Rep. Aiebat se semel xxx ( Villem. expressit *millies* ) aureorum consumpsisse mittendo certo quodam homine in Poloniam, qui eos libros perquireret, quorum illic inveniendorum spem quidam ei fecerat. Ego statim narravi, quid tu ad me olim de illis libris: et rogavit, ut ad te scriberem, ut sciremus, ecquidne certi de illis libris. » — Andreas Patricius Polonus, praef. ad fragm. de Rep. (1) sic loquitur: « haec quum scriberem, ac eorum de Rep. librorum iacturam tacitus mecum meditarer, narravit mihi patronus et amicus summus meus (videtur Philippus Padnevius episcopus Cracoviensis) se ex Alb. Crissio, homine, dum viveret, perurbano et pererudito, audivisse, primos ex iis libros quatuor ab eo in legatione anglicana, anno Chr. 1557, in quodam monasterio visos esse: quos quum ita ibi tum reliquisset, ut eos in reditu vellet secum asportare, ex legatione rediens nullos reperit. Dicebantur autem furto inde praerepti fuisse. » — Revera Petrus Ramus, cuius item in Ciceronem nobilitatae curae sunt, quique paullo post in Bartholomitica clade periit, sic ait praef. ad Scipionis Somnium: « sex libri de Rep. sive pericrint, sive sub signo claustrisque, quod audio, a certis hominibus in rep. nimium religiosis tamquam Sibyllini libri retineantur. » — Porro de politicis Tullii libris per Sarmatiam quaesitis, mira sunt quae in Io. Zamoscii vita narrat Bullartius, (2) nempe nobiles quosdam Polonos post annum 1576 ab obsidione Plescoviae urbis digressos perrexisse in interiores regiones, ibique cum aliis priscarum literarum monumentis invenisse *les livres de Cicéron de la République adressés à Atticus, écrits en lettres d'or*. Bullartii hunc locum vel non vidit, vel contempsit Walchius, qui in libello de dedicationibus librorum veterum latinorum ne verbum quidem facit de politicis Tullii libris. Sane fabulam suam Bullartius

(1) Ed. 2. Venet. ann. 1565.

(2) Bullartii locus est in libro, qui inscribitur *Académie des sciences et des arts*, tom. I, pag. 87. Ma.

Digitized by Google

facilius nobis persuasisset, si graecos libros iis in regionibus repertos narravisset: latina (1) quippe monumenta numquam

(1) *Latina... videntur.* Non possum facere, quin hic adhibeam, quae docte et admodum probabiliter contra hanc A. Maii sententiam protulerunt censores non semel laudati et saepius laudandi, Gottingensis (1824, n. 44) et Lipsiensis (1824, n. 5). In eo quidem uterque cum A. Maio consentit, Bullartii fidem haud magni esse faciendam, quippe non fideliter, sed raptim et contorte, quae ex meliore fonte hauserit, suo more turbaverit; eoque, quo minus fides narrationi haberetur, ipse in causa fuerit. Exstat enim liber fide dignissimus Laurentii Mülleri, qui quondam Curlandiae principi fuit a consiliis aulicis, cuius inscriptio haec est: *Polnische, Liefländische, Moskowitische, Schwedische und andere Historien, so sich unter dem jetzigen Könige zu Polen (Stephan Batori) zugetragen.* Primum comparuit hic liber Francofurti anno 1585, duodecim plagulis forma in-8; postea saepius editus est. Vid Hoppii Schediasma de scriptt. Polon. § 16. In illo libello locus inest iam a Schmausio, professore quondam Gottingensi, laudatus (*Hannover. gelehrte Anzeigen* 1750, n. 9, p. 74), ubi L. Müllerus de itinere suo loquens, quod cum aliquot sociis fecit anno 1581 per Chersonesum Tauricam, ita (utimur enim ipsius verbis): *Wir haben auch einen Wolthynischen Edelmann mit uns gehabt, Woinowsky genannt... Derselbe hatte aus der Bibliotheca in der Wallachey, als der Despot vom Herrn Lasky eingesetzet, und ter Türkische Gubernator, der Alexander, geschlagen worden, herrliche* monumenta scripta *bekommen, darunter auch die* libri Ciceronis de Republica ad Atticum, *mit güldenen Buchstaben* (aureis videlicet literis initialibus) *auf Pergament geschrieben waren, in einem Umbschlage mit einem unbekannten Sigel verpitschiert gewesen, wie man noch sehen konnte; und musste sie etwa ein grosser Herr in Werth gehalten haben.* Cui non haec extrema in memoriam revocant, quae Petrus Ramus scripsit in Introductione in Scipionis Somnium, Parisiis a. 1546 editum, cuius hoc est initium: « Sex libri de Republica... sive perierint, sive sub signo claustrisque (quod audio) a certis hominibus in rep. nimium religiosis... retineantur, magna sane publicae utilitatis iactura desiderantur. » Illa vero, quam laudat Müllerus, bibliotheca non fuit, ut Schmausius existimabat, in Valachia, quam dicunt, propria, sed in Moldavia (solent enim Poloni, Turcae et Graeci hodierni Moldaviam plerumque appellare Valachiam): et in ea quidem urbe, quae tum fuit illius regionis metropolis, Sucidava (Soczowa), in qua sedem habebat Despotes, quem dicunt Iacobus Basilicus, vel Ioannes Heraclides. Woinowskius, ut apparet, nactus erat illum codicem anno 1561, qui cur non in Moldavia fuisse potuerit, ut credere videtur A. Maius, non satis idonea est ratio; praesertim quum Sam. Hahnemannus, ut constat, antiquissimum Pomponii Melae codicem repererit Cibinii (Hermanopoli), Transsylvaniae urbe. — Eamdem rem eodem ex fonte narrant Zeilerus (*Epistolische Schatzkammer*, p. 579); M. ab Isselt (sui temporis historia, Colon. ap. Arn. Quentelium a. 1602, p. 735 sqq. in Supplemento Surii ad a. 1581); Rabenerus (Amoenitatt. histor. philol. p. 431 sqq.); Io. Lomeierus (cap 9 de bibliothecis, p. 222, vel in accessione altera, collectioni Maderianae adiuncta a I. (oann.) A. (ndr.) S. (chmidtio) D. (oct.) Helmst, 1705, in-4, pag. 167); ex eo denique G. E. Müllerus (*Histor. krit. Einleit. zu nöth. Kenntn.—der*

ibi exstitisse videntur. — Caspar Barthius saeculo XVII haec scribit (1) « incidit nunc memoriae vidisse virum cordatum et doctum documentum, quo probari possit, ante paucos annos eos libros ( de Rep. ) in Germania etiam superfuisse. Prope urbem Brunswicium, inquit Io. Henr. Meibomius, in Saxonia monasterium est Rittershusium nomine: in eo fuit librorum quondam non incelebris copia. Supersunt tituli capsulis adfixi, qui in quoque forulo codices fuerint positi: inter ceteros titulus inibi restat glutino adfixus, in ea capsa fuisse Ciceronem de Republica. Infortunatos vero et immemorabiles lixas dicam, an milites, an alios quospiam ingratis diis editos homines, qui eo thesauro literatum orbem interverterunt, quorum tam dirum facinus nulla reparare saeculorum poterit successio. Sed dolorem eum alibi testabimur. » — Idem Barthius oculatus testis Daumio narrasse dicitur, (2) ante bellum tricennale exstitisse in bibliotheca Fuldensi in aliquot voluminibus membranaceis libros de Rep. Ciceronis, quos militum petulantia discerpserit equisque substraverit: id quod lacuna capacissima et tituli librorum loculamentis inscripti post illam vastationem bellicam probaverint. — Atque hi, siqui fuerunt alii, de hac re rumores, mihi videntur eorum similes, qui de Vlphilae Gothicorum bibliorum, praeter illud Suecum, novo volumine multis locis ac temporibus viso, nequidquam ac fortasse temere disseminati sunt; et quos ego ipse recensui, quum Vlphilae partes incognitas Mediolani denique inventas nunciavi, earumque specimen cum meo socio literatissimo edidi.

*alten lat. Schriftsteller*. Dresd. 1717, tom. II, p. 369 ). Huc etiam referendum videtur, quod, ut refert Fabricius (B. L. pag. 127 ) Bessario cardinalis multis sumptibus in Polonia potissimum hos libros requiri curavit. Alia praeterea esse vestigia, affuisse ibi et revera exstitisse illum codicem ait cens. Gott., ulterius persequenda. Quare, quod Schmausio optante nemo fecisse videtur, ut nunc fiat cum isto viro summopere optamus, videlicet ut, qui et facultate pollent et potestate, summo studio omnibusque, quae iis praesto sunt, adiumentis operam dent investigando isti *κειμηλίῳ*: nunc praesertim, quum parte ( ne dicam particula) librorum tam diu desideratorum servata egregii operis et praestantia magis cognita et desiderium auctum sit. Mn.

(1) Adversar. XXXII, 18.

(2) Apud Feustellium in Miscell. cap. 43, p. 47. ( Sed enim Barthium haec dixisse minime credendum est. In catalogo enim bibliothecae Fuldensis (qualis ea fuerat ante illum ), non ita pridem in Germania impresso, nulla mentio est codicis de Rep. A. M. in Add. )

Digitized by Google

## VIII. *Quandonam palimpsestus de Republica in Vaticanam bibliothecam venerit.*

Enarratis circa spem reperiundi Tulliani de Rep. operis vanis rumoribus, sequitur ut de nostro invento dicendum esse videatur. Is est codex Vatic. membraneus in f. VMDCCLVII, secunda scriptura Augustini commentarium seu varios tractatus in psalmos continens, priore autem librorum Tullii politicorum reliquias: quem codicem in oppido Ligurum Bobio exstitisse olim, docet eius inscriptio « liber s. Columbani de Bobio »; quae verba vetere admodum manu exarata sunt in cunctis fere Bobiensibus codicibus, quorum pars maxima in bibliotheca Ambrosiana Mediolani nunc est pars, pars alia in regia Taurinensi bibliotheca; exiguus denique numerus in Vaticanis pluteis servatur: aliquot denique bobienses codices, et quidem palimpsesti, Neapoli sunt, Vindobonae, et Guelpherbythi; quam rem partim inspectione mea, partim certissimis testimoniis compertam habeo. Praedicta inscriptio videtur saeculi fere decimi, quo nimirum tempore confectus creditur ille Bobiensis bibliothecae catalogus, quem Muratorius vulgavit. (1) Atque hic cum paucis aliis codex quonam tempore Bobio Romam migraverit, merito quaerendum est. Namque in primis Raphaël Volaterranus Bobienses aliquot codices saeculo XV exeunte Romam translatos narrat. (2) Ii codices quum a Thoma Phaedro Romam delati sint, qui Vaticanae bibliothecae praeses fuit et pontificiarum literarum scriptor, merito videntur in eadem fuisse collocati; quamquam ibi plerosque haud exstare satis scio, quia clade fortasse Borbonica sub Clemente VII corrupti distractive fuerunt. Illi certe codices bibliothecam Sixti V Vaticanam numquam ingressi videntur; quod si accidisset, ii primas facile sedes nunc occuparent, vel certe in antiquiores syllabos fuissent relati, quod neutrum esse video. Rursus aliquot manu scripta volumina e Bobiensibus pluteis a Paulo V in Vaticanum palatium fuisse sevocata probe novimus, quo tempore praeclarum illud opus adornabat, cui nomen fecit archium secretum pontificium.

(1) Antiq. Ital. med. aevi, tom. III, p. 818, dissert. 43.
(2) Geograph. lib. IV, sub finem.

Ceteroqui est mihi ad manus catalogus copiosus codicum quos Paulus bibliothecae Vaticanae donavit, in quo tamen Bobiensis nullus est. Quin adeo Bobienses cuncti codices, nunc Vaticani, stemma habent impressum Gregorii XV, qui Paulo successit, nec non cardinalis Scipionis Cobellutii, qui sub utroque pontifice bibliothecarii munere functus est. Ego igitur in hanc facile sententiam concedo, ut sub initiis saeculi XVII (quo tempore tot alii codices ad Federicum cardin. Borromaeum Bobio Mediolanum missi fuerunt) Augustinianum codicem Paulo V a Bobiensibus monachis inter alios oblatum credam; qui mox successoris pontificis iussu eleganter compacti ornatique sint: sic enim plerisque Vaticanis codicibus contigisse video, quorum instauratio et ornatus non unius pontificis opus est. Codices Bobienses aliquot in Vaticana bibliotheca tractavit vir cl. Faustinus Arevalus e soc. Iesu, eosque in suis prolegomenis Isidorianis, cap. 98, descripsit; in his tamen palimpsestos duos, nempe de Rep. et Frontonem videre non potuit, quia materia his superposita non est Isidorus, cuius unice auctoris ille codices conquirebat. Quod autem Arevalus unum ex illis Isidorianis rescriptum esse sensit, prioremque scripturam ad sacras literas pertinere suspicatus est, recte id habet; latet enim in eo bibliorum latinorum pars; praetereaque, quod ille non memorat, folium unicum graecum literis magnis quadratis geoponici argumenti, cuius accuratam descriptionem hic locus non patitur. Porro Bobiensium codicum, quotquot ubilibet in Italia sunt, exoptatum catalogum a clarissimo viro Amedeo Peyrono propediem exspectare licet.

## IX. *Augustini opus in palimpsesto Vaticano.*

Augustini commentarius in Bobiensi, nunc Vaticano, codice scriptus a psalmo CXIX ad CXL pertinet. Quaternionum Augustinianorum notae leguntur a prima usque ad secundam supra vigesimam, ita tamen ut II, VII, XVI quaterniones desiderentur: quin et quaternio XXII bibliopegi incuria ante vigesimum compactus est: folia insuper aliquot hac illac exciderunt, quo fit ut tot membranae supersint, quot omnino ad quaterniones XIX efficiendos necessariae sunt. Igitur paginae XVI ductae in

Digitized by Google

quaterniones XIX fiunt CCCIV. Codicis tamen primum sine pare folium, quod recentior manus supplevit, non est rescriptum: ergo vetustae paginae CCCII sunt rescriptae omnes, atque ad Tullii codicem de Rep. pertinentes. Augustini scripturam in excuso specimine cognoscent eruditi, quae mihi quidem ante saeculum decimum exarata videtur. Id quoque memorandum est, quod nempe in codicis marginibus Tironianae notae passim apparent, quas ego certe, considerato atramenti genere aliisque indiciis, ad Augustini potius scripturam quam ad Tullii referri puto: quum praesertim sicubi Augustiniana scriptura ultra limites Tullianae procedit, ibi quoque Tironianarum notarum comitatu non careat. Haec omnia codicis aenigmata eius plane generis sunt, quod docti Maurini et saepe occurrere et esse adhuc inexplicatum aiebant: (1) *combien de manuscrits, où des notes tironiennes en marge nous annoncent peut-être des secrets que personne ne tente d'approfondir!* Nunc tamen, post Carpentarii aliorumque vetustiorum conatus, Tironianas notas amplo et immensi laboris opere collegit explicavitque vir cl. Koppius: (2) quare et has Vaticani codicis notas interpretari demum licebit. Augustini codex initio quidem integer est, uti quaternionum series demonstrat; laborat in medio, ut dixi; tum in fine partem sui tertiam amisit: auctor enim opus ad psalmum usque CL produxit; scriptura vero codicis citra psalmum CXLI, et quidem in folio lacero, desinit. Ergo, quot folia Augustini, totidem Ciceronis amisimus. Alia tamen pars membranarum de Rep. sine dubio maior vel rescribendo reliquo Augustini operi, vel aliis usibus adhibita fuit: uno certe volumine neque Tullii, neque ipsius Augustini opus concludi potuit. Sane Augustini commentarium ad psalmos in duobus praeterea vidi codicibus antiquissimis, nempe in Vaticano saeculi ferme septimi, et in Vallicelliano saeculi sexti: quorum aspectus etsi primum me delectavit, atque in spem quamdam erexit, mox tamen, quia deprehendi non esse palimpsestos, nulli eos mihi usui fore cognovi.

(1) *Nouveau traité dipl.* tom. III, cap. 10, pag. 562.

(2) *Koppius.* Ita scribendum, monente Mosero, ut habet editio Romana II; male in ed. Villemanii Parisiensi, in ed. Londinensi, Steinackeri et Orphanotrophei Halensis, ut etiam in recentiori Parisiensi, legitur *Kappius.* T.

## X. *Ciceronis sub Augustino scriptum.*

Sed misso iam Augustino, ad Tullianum, quod sub eo latet, scriptum veniendum est. Quum ego multos veteres palimpsestos iam viderim, tum prope in nullum spatiosis aeque literis exaratum me incidere memini. Trecentae duaeque, ut dixi, paginae sunt: singulae vero binis laterculis constant: quae rursus latercula singula complectuntur versus quindecim, ita ut in omni pagina triginta sint versus; in singulis vero versibus literae circiter decem. Quoniam igitur literae praegrandes sunt, sequitur ut materiae copia volumine suo minor esse deprehendatur. Quam ob rem licet graviter expostulare cum livore fortunae, quae tantam operis partem nos adhuc celat. Tituli librorum toto ferme codice apparent usque ad quintum. Sextus liber universus a codice exsulat. Sed enim tertii libri etsi reliquiae sunt praeclarae et certissimae, titulum tamen semel video. Paginam 156 totam occupat titulus spatiosissime scriptus DE RE PUBLICA INC. LIB. II. In decimae paginae secundo laterculo scribitur M. TULLI CICER. DE REP. LIBER II. EXP. INC. LIB. III. Ex quo cognoscimus Ciceronis nomen singulis libris fuisse subiectum. Interdum titulos superiore in margine frustra quaeras, sive oblivione librarii, sive rescribentis ablutione, seu vetustatis iniuria. Quater etiam accidit, (1) ut libri nota numeralis in mendo cubet, nempe I pro II, quem errorem nexus materiae certissimus obiurgat. Folia codicis integra sunt, praeter unum angulo multatum, alterumque diffissum seu dimidia parte imminutum. Paginae pleraeque lectu facillimae: paucae vero satis obscuratae sunt; ita tamen, ut toto in codice paucos oppido versus difficultas legendi mihi eripuerit.

## XI. *Palimpsesti perturbatio, lacunae et restitutio.*

Praeter obscuritatem, quam dixi in hoc codice minimam, duo sunt palimpsestorum incommoda, perturbatio atque imperfectio: utrumque autem huic codici non mediocriter accidit. Atque, ut de priore primum loquar, folia quidem (quae quatuor exceptis

(1) Cod. pp. 167, 239, 287, 289.

Digitized by Google

omnia sunt paria) solita confusione permixta sunt, quam rem notae codicis numerales, quas in mea editione servavi, apprime demonstrant. Iam ordini restituendo valde favent quaternionum notae superstites. Quas ut hic enumerem, primi quidem quaternionis et secundi nullum folium superesse video. Tertii quaternionis desideratur primum folium sive extimum, in cuius nimirum calce nota quaternionis scribi solet. A quarto incipiunt notae IV, V, VI, VII, VIII, IX. Exin usque ad tertium decimum quaternionem inceptum sunt folia paria interiecta octo absque notis; nempe, ut coniecturaliter iudico, decimi secundum et quartum; undecimi secundum, tertium et quartum; duodecimi item secundum, tertium et quartum. Sequuntur notae XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX. Quaternio XXI, totus excidit. Pergunt notae XXII, XXIII. Exin usque ad inceptum quaternionem XXVIII, sunt folia paria interiecta tria absque notis; quorum unum puto esse secundum aut tertium quaternionis XXIV, vel XXV; alterum secundum item aut tertium quaternionis XXVI; extremum denique, videtur habere quartam sedem in quaternione XXVII. Sequuntur notae XXIIII et XXIIIII. Deinde immanis hiatus est usque ad initium quaternionis XL; quo tamen in gurgite duo manent absque notis paria folia incertorum quaternionum. Denique sequuntur notae XL et XLI. Posthinc duplex tantum par foliorum in codice superest, et praeterea folium impar: par primum pertinet ad quartum librum, reliqua folia quinti libri sunt. En autem quaternionum tabulam, unde ratio redintegrandi ordinis, quam sum sequutus, constabit. Quaterniones ii, quorum nota deest, minore cruce designantur: ubi nulli sunt, asterisco utor: folia vero quaenam ab eo qui codicem rescripsit inversa fuerint, quum ipse numerorum praeposterus ordo declarat, tum etiam maiore cruce demonstro. Denique signum — foliorum parium nexum indicat; puncta autem, foliorum defectum.

* * * *

III. . . . . .

pag. 63. 64— 73. 74
77. 78— 91. 92
123. 124—125. 126

IV 259. 260—273. 274

49. 50— 55. 56
† 89. 90— 79. 80
83. 84— 85. 86
V. 97. 98—103. 104
33. 34— 43. 44
263. 264—269. 270

† 209. 210—197. 198
VI. (1) 65. 66— 71. 72
. . . . . .
. . . . . 59. 60
. . . . . .
VII. 279. 280—285. 286
. . . . . .
121. 122—127. 128
139. 140—141. 142
VIII. 181. 182—195. 196
213. 214—223. 224
215. 216—221. 222
. . . . . 293. 294
IX. 61. 62— 75. 76
. . . . . .
211. 212—225. 226
95. 96—105. 106
† X. . . . . .
51. 52— 53. 54
. . . . . .
† 175. 176—169. 170
† XI. . . . . .
179. 180—165. 166
117. 118—131. 132
233. 234—235. 236
† XII. . . . . .
99. 100—101. 102
153. 154—159. 160
265. 266—267. 268
XIII. 149. 150—163. 164
† 147. 148—133. 134
243. 244—257. 258
151. 152—161. 162

XIV. † 177. 178—167. 168
155. 156—157. 158
275. 276—289. 290
277. 278—287. 288
XV. 227. 228—241. 242
229. 230—239. 240
231. 232—237. 238
261. 262—271. 272
XVI. † 301. 302—295. 296
67. 68— 69. 70
81. 82— 87. 88
281. 282—283. 284
XVII. † 39. 40— 37. 38
217. 218—219. 220
. . . . . .
171. 172—173. 174
XVIII. 31. 32— 45. 46
291. 292—. . . . . .
. . . . . .
† 107. 108— 93. 94
XIX. † 145. 146—135. 136
. . . . . .
15. 16— 29. 30
† 255. 256—245. 246
XX. † 189. 190—187. 188
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
* * * *
XXII. 35. 36— 41. 42
119. 120—129. 130
185. 186—191. 192
5. 6— 7. 8

(1) Haec huius quaternionis lacunarum enumeratio non plane consentit cum ea, quae est pag. 37 et 38, ut animadvertit cens. Lips. l. c. n. 7, p. 50, quamque aliquanto veri prae similiorem iudicat. Mn.

XXIII. 137. 138—143. 144
183. 184—193. 194
. . . . . .
. . . . . .
† XXIV. . . . . .
aut XXV. 19. 20— 25. 26
. . . . . .
. . . . . .
† XXVI. . . . . .
† 9. 10— 3. 4
. . . . . .
. . . . . .
† XXVII. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
† 207. 208—201. 202
XXIII. 23. 24— 21. 22
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

XXIIII. . . . . 13. 14
. . . . . .
. . . . . .
† 205. 206—203. 204
17. 18— 27. 28
* * * *
† pag. 47. 48— 57. 58
† pag 1. 2— 11. 12
XL. 249 250—251. 252
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
XLI. 109. 110—115. 116
† 299. 300—297. 298
. . . . . .
. . . . . .
* * * *
† pag. 111. 112—113. 114
† pag. 247. 248—253. 254
† pag. 199. 200.

Quae quum ita se habeant, usque ad quaternionem XLI expletum numerare adamussim licet, quot folia e codice exciderint. Nempe est summa paginarum DCLVI, quarum CCCLXIV desunt. (1) Immo licet certa prope ratione definire, quanta pars totius operis adhuc desideretur. Primi enim libri quaterniones tredecim sunt: (2) secundi item libri totidem ferme fuisse apparet. (3) Conclusio denique tertii libri quaternionem XLI perparum excedit. (4) Ergo instituta proportione singuli libri quaternionibus circiter XIII constitisse videntur; ergo sex libri habuerunt quaterniones plus minus LXXVIII. Atqui supersunt in codice paginae CCCII, quae quaterniones XIX efficiunt; ergo est in codice Tulliani operis quarta pars. Porro additis, ut necesse

(1) De Rep. III, 35, not.
(2) De Rep. I, 47, not.
(3) De Rep. II, 40, not.
(4) De Rep. III, 35.

fuit, ad nostram editionem fragmentis omnium librorum cognitis, et quidem tertii sextique valde copiosis; si quis rem probe consideret, tertiam circiter operis partem nos habere comperiet. (1) Neque quisquam miretur haud prolixos videri civiles hos libros: rem enim ita se habere docet manifeste liber primus, cuius etsi quatuor quaterniones insumuntur in prooemium, totidemque in dialogi politici praeludia (auctor enim non statim vela facit, sed quasi e portu egrediens paullulum remigat) idem nihilominus liber fines quaternionis XIII vix egreditur. Et quidem multa Ciceronis volumina hac concinna brevitate utuntur, nominatimque libri de Legibus, qui sunt politicorum veluti appendices.

## XII. *De legendis ordinandisque palimpsestis.*

Etsi superior tabula doctis antiquariis artificium libri mei satis aperit, nihilominus et legentium imperitiorum et ipsius rei gratia, paullo diutius huic argumento insistendum est. Illud autem in primis menti occurrit, quam vetus mos palimpsestorum faciendorum sit, quoniam horum meminit ipse Cicero in epistola ad Trebatium iuris consultum: (2) « ut ad epistolas tuas redeam, cetera belle, etc. nam quod in palimpsesto, laudo equidem parcimoniam: sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quam haec non scribere; nisi forte tuas formulas. Non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. An hoc significas, nihil fieri? frigere te? ne chartam quidem tibi suppeditare? » Hoc loco Cicero tres innuit solemniores et veras

(1) *Tertiam... partem nos habere comperiet.* Non plane certam esse hanc rationem vel suspicionem, internis, quae dicunt, argumentis demonstrare studuit cens. Gott. l. c. n. 44, externis Lipsiensis. Aliunde enim et ex ipsis nostri operis fragmentis (I, 8 et 23) scimus, tantam in his de Republica fuisse rerum copiam, ut maiorem eorum ambitum fuisse facile is sibi persuadeat, qui, quam pauca in his fragmentis tractentur et absolvantur, probe consideret. Accedit, quod ex trium priorum librorum ambitu non satis certo, qui fuerit trium posteriorum ambitus, iudicari potest. Quanta enim differentia sit inter primum de Oratore librum et tertium, primi secundique de Finibus libri et de Natura Deorum, itemque primi, secundi et ultimi Tusculanarum, librorumque de Divinatione quam impar ambitus, primo apparet obtutu. Ma.

(2) Ad Fam. VII, 18. Conf. etiam Martialem, XIV, 7. (Add. Catull. Epigr. 22, ibique interprr. Ma.)

palimpsestorum faciendorum causas, contemptum veteris argumenti, parcimoniae studium, membranarum penuriam. Atque ego palimpsestos in membranis hactenus videram: chartarum enim quotquot sunt genera vix ei rei apta videntur. Nuper tamen e duobus papyraceis diplomatibus saeculi IX, quae impetrante eminentissimo ac reverendissimo cardinali Guerrerio nobilis Gualtheria gens Vrbevetere ad Vaticanam bibliothecam donans misit, unum certe ipsis dominis ill. observantibus rescriptum est; quamquam prior scriptura satis legi non potest. Quare superest, ut palimpsestos quoque papyraceos eruditi scrutentur. Ceteroqui palimpsestorum lectio perito patientique homini haud plerumque molesta est: in omni tamen eiusmodi scripto plures occurrunt paginae valde lectu difficiles et obscuratae. Itaque in uno versu verbove bonam quandoque horam consumere non recusabis, ut rem tandem ex integumentis suis evolvere queas: et quidem exspectandus serenus dies, et in solis fulgore maximo ad lectionem incumbere necesse est. Porro nullus est palimpsestus, in quo scriptura non sit continua, indiscretis nempe vocabulis, nulla commatum distinctione, exceptis interdum valde evanidis paucisque punctis. Scriptum igitur universum commovendum est, atque in propria vocabula distinguendum: quae res neque semper dubietate caret, neque periculo. Nempe ex. gr. libro I, 14, lego: « sol e regione » non « sole regione »; I, 15: « ostentatio neque » non « ostentationeque »; I, 19: « et iam » non « etiam »; I, 21: « paratior es » non « paratiores »; II, 11: « situ revoces » non « si tu revoces, etc. » Nequid dicam de scripturae mendis innumeris quae primi potissimum editoris medelam exspectant. Quippe antiqua cuiusvis classici via sentibus plurimis virgultisque semper purganda est. Perturbandorum in palimpsestis foliorum ea causa fuit, quod priscus codex, ut novae scripturae aptus fiat, humectari et lavari atque abradi solet. Dissuuntur igitur folia, manibus artificum contrectantur, laevigantur iterum et exsiccantur, ut novo volumini accommodentur; quod quum fit, prioris scripturae series neque servari potest ob inductam obscuritatem et labem, neque porro debet ob eiusdem usum antiquatum. Sed ecce tibi aliam cladem, dum plagularum veterum, prout novi operis ratio postulat, vel orae circumciduntur, vel sinus

complicantur, vel latercula conscinduntur. Iam de foliis palimpsesti ordinandis etsi est ingens ad disserendum locus, tamen, ut in transcursu, leviter stringendus est brevique magisterio absolvendus. Veterum scilicet mos componendorum librorum idem erat, qui apud nos post inventos typos: nimirum liber non e singulis separatisque foliis, verum e foliorum parium fasciculis conficiebatur. Hi fasciculi pro parium foliorum numero dicuntur vulgo duerniones, terniones, quaterniones aut quinterniones. Nonnunquam etiam videmus haec fasciculorum genera in codicibus commisceri. In cuiusque fasciculi postrema plerumque pagina nota scribitur numeralis; quae tamen interdum, sed rarius, occurrit in prima pagina. Vtramque consuetudinem a primis etiam typographis retentam videmus. Igitur qui codicem ordinat huc apprime mentem intendat, ut folia dissita ad suos fasciculos retrahat, deinde, ut hos pro notarum serie disponat. Id quum in integris codicibus facile fit, tum in mutilis et pessumdatis, ut sunt plerique omnes, multo laboriosius. Quid enim, si nota obscurata est? quid, si extimum fasciculi folium desideratur? quid rursus, si perierunt folia aliquot intermedia? ita ut nexu sublato, foliorum quidem, si nota superest, extremorum processum videas, verum folia intermedia, in quem potissime fasciculum coniicias, incertum sit. Illud quoque accedit incommodum, quod parium foliorum saepe plicatura praepostera est. Ea res quidem dissuto codice certis interdum membranae indiciis se ipsa prodit; saepius tamen de sermonis contextu cognoscenda est. Quid demum, si folia complura, aut omnia, imparia sunt? Et quidem ita se habent ii cuncti codices, quorum par folium ex unico maiore impari confectum est. Atque in toto hoc negotio ratio continuae sententiae habenda est, qua duce notis aliis interdum vix indigemus. Sententiae autem nexus quum in historicis saepe evidens est, tum in philosophicis aut oratoriis libris paullo est obvolutior; et minus quidem in integris scriptis, maxime tamen in hiantibus aut partim obscuratis. Hac ego doctrina fretus folia omnia politici codicis e miro vagoque errore ad sedes suas, quantum licuit, revocavi. Iam etsi pleraque dispositio certissima est, sunt tamen aliquot folia quorum genuina et propria sedes evidenti veritate non patet; praesertim ubi codex valde abruptus et hians materiam exiguam

laciniosis hinc inde reliquiarum sinibus trahit. Quaternionum notas, quae sunt in calce fasciculorum, in librum transfero; notas item paginarum margini adlino, non tam, ut veterem perturbationem demonstrem (haec enim uno verbo dici poterat) quam ut curiosi lectores paginas libri mei cum codice commodius conferre possint.

## XIII. *Palaeographia palimpsesti de Republica.*

Scriptura Tulliani codicis spatiosa, ut dixi, est ac prope quadrata; ita tamen, ut aliquot literae ab illa perfecta elaborataque forma recedant, quam vulgo lapides nec non quidam palimpsesti retinent. Ea prostat in excuso a me specimine. Ceteroqui id grandis scripturae genus haud plerumque auctoribus, sed librariis calligraphisque debemus. Fronto in epistolis a me propediem edendis ait se delectari ipsis literulis Marci Aurelii; cupitque, ubi quid ad se scribet, sua manu scribat. In Catonis censorii vita, cap. 20, narrat Plutarchus, Catonem in filii gratiam, quem ipse doctrinis informabat, non recusasse laborem scribendi historias sua manu literis magnis, quo puer domi haberet commoda exemplaria ad discenda maiorum instituta: quibus verbis satis innuit Plutarchus moris non fuisse ut auctores ipsi vel nobiles viri scriptura illa operosa grandique semet defatigarent. Neque sane dubitare licet, quin Romani quotidianam properatamque scripturam ea literarum forma effecerint, quam cernimus in papyris. (Vtique id de Graecis nunc demum constat). Ipse Cicero festinatas rudesque literas pinxisse videtur. Sic enim ad fratrem, II, 15: « scribis te meas literas superiores vix legere potuisse. Hoc facio semper, ut quicumque calamus in manus meas venerit, eo sic utar tamquam bono. » Interdum etiam scripsit Cicero διὰ σημείων. (1) Cuiusmodi essent illae πηλίκαι literae, quas manu sua Paulus apostolus exarabat, controversia fuit inter Io. Chrysostomum et Hieronymum. (2) Auctoris quidem autographum plerumque erant

(1) Ad Att. XIII, 32.

(2) Hieronym. comm. ad Galat. lib. III, cap. VI, 11. Vide tamen ibidem observationes.

liberiore scriptura schedae, quas Isidorus (1) definit esse « quod adhuc emendatur et necdum in libris redactum est. » Cicero ad Atticum, XVI, 3, suum de senectute « σύνταγμα mittit retractatius, et quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum et refectum. » Iam ubi satis auctori placeret scriptum, tradebatur librariis, qui in macrocolon transferrent, ut pergit ibi dicere Tullius; (2) et tum demum calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agi dicebatur, teste eodem Tullio ad fr. II. 15. Scribendi mos quadratis et magnis literis sane gratus utilisque erat puerorum eruditioni, tum etiam senibus iam caecutientibus commodus: quare senex Hieronymus queritur (3) se non posse legere, praesertim ad nocturnum lumen, hebraica volumina propter literarum parvitatem; quod incommodum apud Veteres molestius erat, quos microscopiis caruisse compertum est. Alioqui idem Hieronymus contra scripturae latioris atque ornatioris, puta argento vel auro et in membranis purpureis, insanum luxum, cuius meminit etiam Caius, (4) haud immerito stylum acuit. (5) Ego autem peculiari meo iure huic luxui subirascor, qui in tam amplo codice nimis modicas mihi reliquias librorum de Rep. peperit. Morem denique scribendi libros tum minimis, tum etiam maximis formis belle tradit Martialis XIV, 190: « Pellibus exiguis arctatur Livius ingens, Quem mea non totum bibliotheca capit. » Illud etiam observare memini, quo maior est in codicibus apicum pulcritudo, eo saepe pluribus mendis exemplaria scatere. Notissimum est amanuenses (notariorum enim nobilior ordo fuit) e servorum grege saepenumero fuisse: quo magis miror tot insignium codicum inventorem lectoremque Pogium, qui libros eiusmodi antiquos a mulieribus fuisse conscriptos sibi persuasit. (6) Quamquam vero servorum nonnulla eruditio fuit, quas nimirum Seneca (7) dicit literas serviles, nihilominus id genus hominum

(1) Orig. VI, 14.
(2) Conf. etiam ad Att. XIII, 23.
(3) Prolog. lib. VII in Ezech.
(4) Inst. II, 77.
(5) Prolog. in Iob. et Ep. XXII, 32.
(6) In Epist. apud Mehusium praef. ad Ambr. cam. pag. XLII.
(7) De tranquill. cap. 9.

Digitized by Google

neque a linguis neque a cetera doctrina saepe paratum, calligraphiam suam multis magnisque mendis inquinabant. Hinc Cicero: (1) « de latinis libris quo me vertam, nescio, ita mendose et scribuntur et veneunt. » De librariis suis, qui bona scripta a malis seu mediocribus non distinguerent, conqueritur Symmachus. (2) Denique codices inemendatos et exemplarium varietatem non semel obiurgat Hieronymus, praesertim quia librariorum negligentia auctoribus fraudi esset. (3) Vaticanus quoque de Rep. codex mendose admodum scriptus fuit: quam horrentem errorum segetem partim vetus emendator, partim ego in scholiis criticis depastus sum. Attamen in hoc codice multa sunt ad priscae orthographiae normam rectissime scripta: et quidem pleraque constanti adeo priscorum codicum auctoritate firmantur, ut in usum quotidianum revocanda videantur, v. gr. « adulescens, intellego, querella, uilicus, uilicare, poenire, poenitere, maerere, temptare, taeter, tramittere, saepire » atque alia plurima. Etsi hodiernae consuetudinis tanta vis est, ut etiam confessa vitia placeant: quae siquis temptaret abiicere, statim eum circumlatrantes grammatici omnes coarguerent. Ad veterem emendationem quod attinet, morem fuisse scimus, antequam exemplaria vulgarentur, dandi operam, ut corrigerentur. Testantur id codicum subscriptiones « legi, emendavi, recensui; » tum ipsae emendationes minutioribus et plerumque rudioribus literis interpositae. Cicero ad Att. XIII, 23: « libri ad Varronem non morabantur; sunt enim defecti, ut vidisti; tantum librariorum menda tolluntur. » Grammaticos adhiberi solitos ad emendanda exemplaria docet Gell. V, 4; (4) idque fieri solitum collatione meliorum librorum, tradunt non semel

(1) Ad Q. fr. III, 5.

(2) Ep. V. 85.

(3) Prol. in Iob. prol. in Chron.

(4) Quamquam credibile est hoc factum esse, id tamen non probatur Gellii loco, ut monet cens. Lips. ibi enim grammaticus quidam ab emptore ad spectandos libros adhibitus esse narratur, qui loco quodam, cui non inerat vitium, vitium tamen subodorare sibi visus est. Ceterum vide, quae de correctoribus congessit Herm. Hugo in libro de prima scribendi origine et universa rei literariae antiquitate (Trai. ad Rhen. 1738), vel potius qui notas ad eum librum conscripsit Trotzius, pag. 270 sqq. Ms.

Hieronymus, Augustinus et Cassiodorius. Modus emendandi sive in codice de Rep. sive in priscis aliis hic fere est. Si verba addenda sunt, ea supra versum, rarius in margine, adscribuntur; sin detrahenda, ea punctis saepe superne, raro inferne notantur. Hinc *expungere* pro *delere*. Denique si literae transferendae sunt, corrigendaeque vitiosae metatheses, in codice quidem de Rep. fit emendatio signis ☰ ☲ —, ita ut, quae litera, vel quod verbum una linea notatur, ad primam sedem sit transferendum, eodemque ordine reliqua. Pausae in hoc codice haud raro apparent, nempe punctum quoddam recurvum iuxta literae summitatem, quod tamen in Frontonis codice multo accuratius frequentiusque fit. Est autem id punctum pausa saepe minor, non in codicibus solum latinis, verum etiam in gothicis Vlphilanis. Quin haud raro vel prope temere appingitur, vel separandorum verborum causa, ne qua sit ambiguitas. Atque omnis orthographia politici codicis valde congruit cum illa Taurinensis Lactantii, quam praeter caeteros observavit nosque docuit Scipio Maffeius. (1) Literae singulariae duobus punctis concluduntur, neque imis neque supernis, sed mediis; isque in antiquis codicibus perpetuus fere mos est. Ratio diphthongorum saepe recta est. Literae in fine versuum aliquando minuuntur, vel in monogramma coeunt. Semel forma V scribitur, p. 156, in titulo libri, et quidem sono vocali: ceterum toto in codice est U, quam unicam idcirco formam meo in libro retinendam curavi. Illud etiam in Tulliano codice aliisque priscis sive sacris sive profanis codicibus notare memini, tum latinis, tum graecis, tum etiam gothicis Vlphilanis, nempe quotiescumque insignis admodum sententia vel transitio fit, librarium solito interius, aut exterius ordiri versum in margine libri, ita ut una saltem litera, eaque grandior, sumpta interdum e medio vocabulo, seriem scripturae in sinistro margine excedat. Codicis orthographia miris laborat varietatibus et inconstantia. Est enim id fatum latinae scripturae ac pronuntiationis, quod grammaticorum tot pugnantia praecepta infinitaeque quaestiones demonstrant. Hinc merito Cassiodorius: (2) « orthographia apud

(1) In Epistola praeposita opusculis eiusdem Maffei.
(2) Inst. praef.

Digitized by Google

Graecos plerumque sine ambiguitate probatur expressa; inter Latinos vero sub ardua difficultate relicta monstratur; unde etiam modo studium magnum lectoris inquirit. » Exempli causa, labdacismus proprius Afrorum fuit; sicut *colloquium* pro *conloquium*, teste Isidoro. (1) Quid porro? nonne ipsa latinitas, uti observabat Hieronymus, (2) et regionibus quotidie mutabatur et tempore? postea praesertim quam tanta barbarorum peregrinitas in imperium rom. infusa est, lingua autem generis quarti esse coepit, quod Isidorus (3) mixtum appellat. Codici Vaticano priscus emendator, ut dixi, non defuit, qui vel praetermissa verba, aut membra supplevit, vel menda plurima recte sustulit: idem tamen lectioni bonae aliquando deteriorem supposuit, et errores non abstulit, sed sevit. In eo quoque non bene meritus est, quod antiquiorem scribendi rationem haud semel immutavit. Hae mutationes atque emendationes, quia literis minoribus festinatisque fiunt, aegre in codice leguntur, semperque mihi novum aliquid sub palimpsesti involucris lectitanti occurrebat: neque enim perfunctorie, sed tota mente, codices istiusmodi atque omni acie oculorum intueri necesse est.

## XIV. *Coniecturae de palimpsesti aetate.*

Fieri non potest, ut a palaeographia politici codicis edisserenda recedam, prius quam de eiusdem verisimili aetate quaestionem saltem attingam; tum quia id a plerisque editoribus in re simili factum video, tum quia eorum multorum cupiditati occurrendum est, qui me saepe sententiam rogaverunt. Si de prisci codicis aetate iudicare velis, illa in primis discretio adhibenda est, ut aliter coniecturam facias e literis titulorum vel subscriptionum, vel etiam brevium elogiorum, aliter ex ipsius contextus scriptura. Namque in titulis quidem brevibusque lemmatibus quadratam maximamque scripturam plurimi vulgo libri ab ultima fere antiquitate usque ad hodiernum diem prae

(1) Orig. I, 32.
(2) Prol. lib. II, comm. ad Gal.
(3) Orig. IX, 1.

se ferre solent. Quum enim rei natura postulet, ut vel perspicuitatis, vel honoris, vel ornatus gratia hae literae magna forma fiant, is semper mos in membranis non secus atque in lapidibus retentus fuit. Terentii codex Ambrosianus habet longas fabularum epigraphas quadratis magnisque literis; ipse tamen textus minutus, inclinatus, properatusque est, prout in codicibus saeculi decimi conspici solet. Alcuini quoddam opus in Vaticano codice minutis literis rotundatisque scribitur; idque volumen ab ipsius Alcuini vix aetate distare videtur; priores tamen duae paginae honoris causa quadratis literis atque ita speciosis exaratae fuerunt, ut a Livianis Palatinis parum differant. Sic est illud capitalibus literis carmen ad Carolum Magnum bibliis urbani monasterii s. Callixti agglutinatum, quorum item bibliorum contextus exili rudique scripturae genere digestus est. Exceptis igitur titulis aut elogiis, aut praefationibus, rursus excepto aliquo longe rarissimi luxus codice; ego sane me animadvertere memini, scripturam magnam, pulchram, quadratam, et romana quodammodo maiestate praeditam, post sextum aut certe septimum saeculum vix comparere. Quin adeo sexto saeculo et consequutis proxime aetatibus dominari videtur illa in libris scriptura, quam Symmachi, synodi Chalcedonensis, Sedulii, Hieronymi, Gregoriique specimina a me olim impressa docent. Bobiensium codicum, quorum spectabilem numerum in Ambrosiana bibliotheca, breviorem in Vaticana tractavi, scriptura saepius rotundior, inclinatior corruptiorque est, praeterquam in Sedulio, qui nunc est Taurini: quem tamen codicem monachi ipsi Bobienses haud scripserunt, si quidem saeculi sexti est. (1) Extra Ambrosianam bibliothecam (cuius numquam sine dulci animi sensu recordor) multos ego latinos insigni vetustate codices in Italia vidi. Nam, ut de ingenti Vaticanorum codicum copia brevitatis causa nunc sileam, Ambrosianae quidem Mediolanensium basilicae, tum et Modoëtiensis ecclesiae, tabularia pervetustos libros habent. Vercellis, praeter notissimum Evangeliorum χειμήλιον, antiquissimum et fere saeculi VI est Clementinarum recognitionum volumen: et quidem in eius Cathe-

(1) Catalog. MSS. Taurin. tom. II, pag. 241.

Digitized by Google

dralis archio plus ducenti sunt prisci codices, quos inter homiliarium Anglo-Saxonicum, corpus legum barbararum, collectio canonum insignis, Iustinus pervetus, et copiosum lexicon latinitatis. Neque caret palimpsestis archium Vercellense, quamquam, ut puto, re bona vacuis. Rem utilem fecisset vir cl. Gregorius, si in nupera literaturae Vercellensis historia catalogum nobis patriorum codicum exhibuisset: vix enim dubito, quin aliquid opis literarum incrementis ex illo nobili archio repetendum sit. Mitto veteres multarum urbium codices; ad eos mente propero, quos paullo diligentius manu versavi Veronae in patria praeclari magistri mei, et summa mihi pietate colendi, reverendissimi P. Aloysii Fortis, a quo nunc Societas Jesu perpetua dignitate regitur. Ibi, praeter iuris civilis palimpsestos, quibus egregie literati Germani nuper usi sunt, facem popularibus suis praeferente illustrissimo Niebuhrio, qui in tanta doctrinae, ingenii, atque artis criticae gloria versatur; ibi, inquam, rescriptos codices alios vidi his fere notis distinctos LI, LIII, LXXXI, LXXXIII, LXXXV, XCVII, CXXXIV; quamquam scriptura supposita nihil prope novi habere videtur. In voluminibus non rescriptis vetustissima scriptura est codicis XXVI Augustini de Civitate Dei, literis similibus earum, quibus Tullii interpres in Ambrosiano Vaticanoque codice scribitur. Vtinam vero is codex mihi nunc ad manus fuisset, ut politica Tullii fragmenta ex eo potius, quam e recentioribus Augustini exemplaribus compilarem! Equidem nova editio Augustiniani operis nobilissimi curanda est ad tanti codicis fidem: idque munus a Veronensi aliquo cive, Norisii, Blanchinii, Maffei, Vallarsii et Ballerinio-rum aemulo, exspectandum est. Vnum adhuc memorabo palimpsestum XXXVIII, e quo vehementer opto suscitari fragmenta mathematici latini, literis apprime pulchris et valde priscis exarata. Sane ex iis plagulis carie admodum terebratis excerpta quaedam mihi confeci: atque in his vocabulum deprehendo, quod Gesneri Forcellinique lexicis deest: cuius rei ut fidem faciam, atque ut ad codicem curiosos antiquitatis invitem; pagina 336, b. col. 1, v. 23, legebam: *ad* QVINQVIPLVM *veniet.* Eadem vox occurrit etiam v. 7. Huius vero paginae rectae inscribitur titulus lib. XV. Tum p. 341, a, col. 2, v. 9-11, legebam: «ac

Digitized by Google

duo RECISAMENTA totius pyramidis. » Vox autem *recisamentum* una hactenus niti videbatur Plinii auctoritate, XXXIV, 11. Huic vero paginae superscribitur titulus lib. XIV ; quamquam is liber videtur in eadem explicere, et alius incipere, ita ut verba praedicta in consequente libro sint. Nunc ut Verona Romam, atque ad meum propositum e longiore diverticulo redeam ; inter codices a me observatos, Vaticanus de Rep. perfectione quidem literarum nonnullis cedit, magnitudine tamen et splendore prope princeps est. Ergo omnibus consideratis, quamquam res controversa est, atque id grande scripturae genus nulla fere aetate usurpari non potuit; mihi tamen paullo aegrius persuaserim, tam splendidum tamque luxuriosum Tullianae reipublicae codicem, post imperii romani excidium, barbaris in Italia regnantibus, fuisse scriptum ; (1) et non potius extremis saltem Caesaribus rem romanam adhuc tenentibus. Haec aio coniectans et ipse meae doctrinae diffidens : quis enim de re tam obscura sciscitantibus dicat : « Credite me vobis folium recitare Sibyllae » ? aut more Pythagorico, quidquid responderit, rectum putari volet ? Ceterum quod plerique sibi facile persuadent hunc et illum codicem ad quintum quartumve saeculum pertinere ; seniorem antiquitatem valde negant ; ego quidem nescio, quo iure id faciant ; nisi forte oppressi sunt opinionibus vulgi et illorum praeiudiciis, qui omnem criticen vel minima audacia everti clamitant. Porro in re antiquaria usus frequens praecepta magistrorum superat: qui autem pro vetis illis adhuc regulis pugnant, iam nullam prope habent arcem argumenti sui, in quam tuto conscendant. Quid enim plerumque obstat, quominus tertii

(1) Dubitationi de aetate adhuc locum relinqui, si tantummodo ad eiusmodi literarum ductus iudicium facere velis, monet censor, quem laudavi, Gottingensis, eius que sententiae auctorem laudat Niebuhrium. Intelligit, credo, ea, quae Niebuhrius dixit in Notitia Codicis Palatini ad M. T. Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta, T. Livii lib. XCI fragm. L. Senecae fragmm. Romae 1820. Ibi enim ille, pag. 12: « Equidem profecto hoc literarum genere scriptum codicem, quem certae temporis notae iuniorem imperio Caroli Calvi demonstrent, nusquam vidi, neque qui ad septimum saeculum referri debeat, quo adhuc pulchrae illae, quas vocant unciales, literae passim in libris scribendis adhibebantur. Loquor autem de his, quae ipse vidi, neque quidquam pertinaciter affirmo; quippe qui probe sciam, quam lubrica sit fallaxque haec tota de aetate antiquissimorum codicum ratio. » Ma.

Digitized by Google

aut secundi saeculi haec scripta dicamus? num forma vel orthographia? atqui vix aliquid in his videmus, quod vetustis lapidibus aut Herculanii monumentis aut aliorum exemplorum copia non nitatur. Num ipsa per se incredibilis videtur tanta membranarum longaevitas, ut sit v. gr. aevi Augustei? Verum enimvero si ab aetate Constantiniana aut certe Theodosiana ad nos usque, quindecim fere saeculis, vixisse aliquot schedae sine dubio creduntur, quis iure neget eas potuisse etiam viginti? Quid papyrus, nonne a Symmacho, ep. IV, 34, facili senectute corrumpenda dicitur? tum in formulario apud Marinium (1) nonne membranae existimantur diutius quam papyri aetatem ferre? nihilominus Aegyptiae papyri canescunt annis innumerabilibus. Quas vero habemus in manibus membranas palimpsestorum, eae, si probe custodiantur, quum multae praesertim crassae sint et materiae satis vivacis, totidem et amplius post nostram aetatem saeculis duraturae videntur.

## XV. *De fragmentis operis iampridem editis.*

Etsi operis de Rep. amissi partem ampliorem Vaticanus codex nunc primum suppeditat; nihilominus praeclarae reliquiae apud varios auctores supererant, praesertim vero apud Macrobium, Lactantium, Augustinum et Nonium. Sed enim lectis, quae Sigonius aliique collegerunt, fragmentis, magnam in his confusionem atque interpolationem esse cognovi. Itaque ad ipsos auctorum fontes confugiens, scripta illorum integra iteratis lectionibus peragravi. Quin adeo fines vulgo tritos saepenumero egressus, reliquias Tullii civiles toto paene literarum orbe atque omnibus vestigiis indagavi. Quamquam ultro fateor nec ipsum me mihi haud raro placere, et latiorem atque asperiorem hunc esse campum, quam ut una opera primisque curis satis excoli possit. Quin adeo, ut in longo opere ac vario, complura sunt, quae mihi a lectoribus ignosci pervelim: praesertim ubi magnitudo rei diuturniorem diligentiam desiderabat. Fragmenta edita, si quando in Vaticanum codicem incidunt, virgulis (,,)

(1) Papyr. diplom. LI.

distinxi: cetera vero partim pura, partim interpolata, quae propter codicis tot hiatus nonnisi auctorum veterum testimoniis nituntur, formis paullo minoribus exprimenda curavi. Igitur qui librum meum hac quoque in parte fragmentorum editorum cum prioribus collectionibus comparabit, primum quidem magna additamenta, saltem e Lactantio atque ex Augustino, comperiet; deinde ordinem, ut in re saepe incerta, saltem concinniorem; tum multorum errorum castigationem, partim veterum amanuensium, qui falsos titulos librorum scripserunt, partim recentium eruditorum, qui iudiciis labantibus sedes fragmentorum conturbaverunt. Verba etiam multa persanata sunt vel codicum inspectione, vel aliis subsidiis criticis: quamquam tot, praesertim apud Nonium, vitiosissimas varietates quis demum amputabit? qui profecto grammaticus a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem ulcus est. Postremo interpolationes novorum hominum eiectae sunt, quas ipsi quidem auctores in scholiis plerumque esse iusserant, sed mox audacia typographorum cum genuino textu miscuerat. Equidem fateor me maiorem prope molestiam in conquirendis ordinandisque editis, quam ineditis, fragmentis exantlavisse; nequis harum rerum parum gnarus me ludibundum in editis et quasi in labore lepido versatum esse putet.

## XVI. *De notis editoris.*

Dum codicem Vaticanum exscriberem, dum reliquias Tullii politicas unde unde conquirerem, paulo mihi copiosior ex hac ipsa mora seges scholiorum subnata est, quorum haec genera sunt. Primum scribo observationes, quae pertinent ad codicis varietates, ad eiusdem emendationem, ad grammaticam et ad palaeographiam: hasque omnes minutioribus plerumque typis textui substerno: unde licet cognoscere quantum latina orthographia in impressis libris a veterum codicum auctoritate recesserit, ut plane in multis ad iustiorem illum scribendi modum reverti necesse sit. Alterum genus observationum mearum versatur in coniecturis, circa lacunas videlicet explendas, nec non circa partium dispositionem seriemque sermonis. Tertium ge-

nus historicarum notarum est et comparativarum cum aliis praesertim ipsius auctoris locis. Scio equidem quorumdam doctorum institutum atque iudicium, qui scholiis tantummodo grammaticalibus, quae ad lectionem constituendam attinent, delectantur. Sed enim et illam classem historicorum scholiorum, quam in nobilibus editionibus summo adhuc cum fructu legimus, multo sapientius ac gloriosius a maioribus nostris frequentatam fuisse arbitror, quam ut eam iam negligi aut prae doctrinae confidentia expelli liceat. Vtique Germani, apud quos haec studia cum primis vigent, utramque scholiorum speciem valde amplectuntur. Vtor et alia observationum ratione, quam mihi mediocris auctorum lectio peperit, ut videlicet intento digito monstrem, quos fontes Cicero in hoc opere pangendo gustaverit; vicissimque, quinam auctores ex hoc labore Ciceronis profecerint. Politicorum denique scholiorum comitatus ab eiusmodi libro abesse vix poterat. Sed illi prorsus loci praeteriri nulli debuerunt, sive ipsius auctoris, sive aliorum veterum, qui de hoc opere Tulliano loquuntur: nam vel eiusdem historiam tradunt, vel haud raro, si minus verba, at certe sententias continent. Itaque haec testimonia, quotquot hactenus reperiri potuerunt, libro praeposui; nisi forte quaedam eiusmodi erant, quae in ipsum potius textum spargenda viderentur. (1)

(1) Graecorum veterum ac latinorum bibliothecam politicam, quam mihi multa lectione confeceram, in calce huius praefationis scribere constitueram, ad eamque interdum in scholiis provoco: sed enim excrescente nimis libri mole, tum ne diutius publicam Ciceronis exspectationem suspenderem, scriptum illud interim praetermittere visum est. Recentiorum autem politicorum bibliothecam minus aegre omitto, quod eam multi post Naudaeum scripserunt.

# TESTIMONIA VETERA

## OPERIS TVLLIANI DE REP.

1. Ego me in Cumano et Pompeiano, praeter quam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam, et eram in iisdem locis usque ad kal. iunias futurus. Scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά; spissum sane opus et operosum. Sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, in illud ipsum mare dejiciemus, quod scribentes spectamus. (Cicero ad Q. fr. II, 14.)

2. Quod quaeris, quid in illis libris egerim, quos quum essem in Cumano scribere institui, non cessavi, neque cesso: sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam iam duobus factis libris, in quibus novemdialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquilio consulibus, sermo est a me institutus Africani paullo ante mortem, et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, et Lealii generorum Fannii et Scaevolae; sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis et de optimo cive; sane texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat: hi libri quum in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio, (1) admonitus sum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de Republica, praesertim quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, et is, qui in maximis versatus in republica rebus essem: quae tam antiquis hominibus attribuerim, ea visum iri ficta esse. Oratorum sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse: ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem. Aristotelem denique, quae de republica et praestante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, et eo magis, quod maximos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum

(1) Intellige non Crispum, sed Cn. vel P. Sallustium, qui familiares Ciceroni fuerunt. Cic. ad Fam. XIV, 11; ad Att. I, 3, 11; XI, 11, 17.

Digitized by Google

eram sequutus, ne in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc et id vitabo, et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. (Ad Q. fr. III, 5.)

3. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. Sed nosti genus dialogorum meorum, ut in oratoriis, quos tu in caelum fers, non potuit mentio fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus aut auditus esset. Hanc ego de rep. quam institui disputationem, in Africani personam et Phili, et Laelii, et Manilii contuli: adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos Scaevolam et Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor procemiis, ut Ἀριστοτέλης in iis, quos ἐξωτερικούς (1) vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem; id quod intelligo tibi placere. Vtinam modo conata efficere possim! rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum, et gravem et plurimi otii, quo ego maxime egeo. (Ad Att. IV, 16).

4. Tuas omni de reipublicae statu literas exspecto, πολιτικώτερον quidem scriptas; quoniam meos cum Thallumeto nostro pervolutas libros. (Ad Att. V, 12).

5. Irascatur qui volet, patiar τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ: (2) praesertim quum sex libris, tamquam praedibus, me ipsum obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo. E quibus unum ἱστορικόν requiris de Cn. Flavio Cn. filio. Ille vero ante X viros non fuit, quippe qui aedilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post X viros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse,

(1) Hos commemorat ipse Aristoteles, Reip. III, 6, in iisque de variis imperii modis disseruisse se ait. Vide eumdem, VII, 1. Τὸ ἐξωτερικὸν definitur a Cic. de Fin. V, 5, « populariter scriptum; » a Gellio autem, XX, 5, « quod ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducit. »

(2) Scripserat prius in Epistola Cicero de sua aequitate dicundi iuris in provincia.

ne me hoc vel potius Africanum, is enim loquitur, commentum putes. (1) (Ad Att. VI, 1).

6. Et ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, si tale quid fecero? (3) (Ad Att. VI, 2).

7. Reliqua plena adhuc et laudis et gratiae, digna iis libris, quos dilaudas; conservatae civitates, cumulate publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo, etc. (Ad Att. VI, 3).

8. Etsi non impediebant mei certe libri: non enim ista largitio fuit in cives, sed in hospites liberalitas. (Ad Att. VI, 6).

9. Quod si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, nae tu haud multum requireres illum virum, qui in sexto (3) informatus est. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? (Ad Att. VII, 3).

10. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem: sed tamen exspecto quid ad ea, quae scripsi ad te: primum, qui intellexeris eum desiderare a me, quum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset: deinde quem ζηλοτυπεῖν, nisi forte Brutum: quem si non ζηλοτυπεῖ, multo Hortensium minus, aut eos, qui de rep. loquuntur.. (Ad Att. XIII, 18).

11. Si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis literis admoneor, meum χωρὸν πρόσωπον esset. Hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis, et nos in sex de Rep. libris fecimus. (Ad Att. XIII, 19.)

12. Velim, domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, quum ceteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos, in manibus habeo; (4) quos, ut spero, tibi valde probabo. (Ad Att. IV, 14.)

(1) Paullo post tamen in eadem Epistola videtur fateri Cicero suam quamdam ἀνιστορησίαν, eo quod communi sententiae adhaerere voluisset.

(2) Nempe contra aequitatem.

(3) Si respicias Cic. ad Att. VIII, 11, seu apud nos de Rep. V, 6, videbitur scribendum *quinto* pro *sexto*: quamquam etiam de Rep. VI, 1, sermo est adhuc de rectore reip. Codices autem collationis Lagomarsinii, quam inspexi, constanter retinent *sexto*.

(4) Scripta est haec Epistola anno eodem, quo libros politicos componebat Cicero.

Digitized by Google

13. Tui politici libri omnibus vigent. (Caelius apud Cic. ad Fam. VIII, 1.)

14. Non deesse (nos) (ed. Lond. *hos*) si quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad aedificandam remp. et potius libenter accurrere: sin nemo utetur opera, tamen et scribere et legere πολιτείας, et si minus in curia atque in foro, at in literis et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, iuvare (1) remp. et de moribus ac legibus quaerere. (Cic. ad Fam. IX, 2.)

15. A te peto, inquit Pomponius, ut scribas aliquid: iampridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de Rep. libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus, eisque nosmetipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. (Cic. Brut. c. 5.)

16. Sed si, qualis sit animus, ipse animus nesciet; dic, quaeso, ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, (2) a me autem posita est in sexto libro de Rep. (3) (Tusc. I, 22.)

17. Quum a primo urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditumque descriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, tum progressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est, dominatu regio rep. liberata. Nec vero hic locus est, ut de moribus institutisque maiorum, et disciplina ac temperatione civitatis loquamur: aliis haec locis satis accurate a nobis dicta sunt, maximeque in iis sex libris, quos de Rep. scripsimus. (Tusc. IV, 1.)

18. Atque his libris annumerandi sunt sex de Rep. quos tunc scripsimus, quum gubernacula reip. tenebamus: magnus locus, philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. (4) (De Div. II, 1)

19. Quoniam scriptum est a te de optimo reip. statu, con-

(1) Edd. *navare*, mendose. (Hinc, pag. 397, tomi noni nostrae editionis corrige *iuvare* pro *navare*. Typ.)

(2) Laudat hanc sententiam Platonis etiam Lactantius, Inst. VII, 8.

(3) Nempe in Somnio.

(4) Confer de Fin. IV, 2, 3.

sequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse video Platonem illum tuum. (1) (De Legg. I, 5.)

20. Quoniam igitur eius reip. quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status; omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda; repetam stirpem iuris a natura. (De Legg. I, 6.)

21. Hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites, attribuit ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quaedam scientiae; (2) figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: et is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat mores: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis. Neque enim omnia sunt huius disputationis, ac temporis: et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. (De Legg. I, 9.)

22. An censes, quum in illis de Rep. libris persuadere videatur Africanus, omnium rerump. nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae reip. leges dare consentaneas? A. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum reip. contineant. (De Legg. II, 10.)

23. Quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima rep. sentiremus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. (De Legg. III, 2.)

(1) Confer de Rep. IV, 4.

(2) De hoc loco admodum controverso vide notam Moseri supra ad hunc ipsum locum de Legib. I, 9.

Digitized by Google

24. Vt cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia, etc. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato, nocent. Atque haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest: pauci enim, atque admodum pauci, honore et gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt. Sed haec et nunc satis, et in illis libris tractata sunt diligentius. (1) (De Legg. III, 13, 14.)

25. Non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis (de populi iudicio) culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. M. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, ut et auctoritate valeant, et utantur bonis. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: optimatibus nota, plebi libera sunto. (De Legg. III, 16, 17.)

26. Sed de hoc genere toto (de liberalitate) in iis libris, quos de Rep. scripsi, diligenter est disputatum. (De Officiis, II, 17.)

27. Scipio, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent, et alii plures, tuque etiam Scaevola mecum venisses, triduum disseruit de rep. cuius disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quae se in quiete per visum (2) ex Africano audisse dicebat. (De Amic. cap. 4.)

28. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de rep. disputatum, affuisses: (3) qualis tum patronus iustitiae fuit (4) contra accuratam orationem Phili! (De Amic. cap. 7.)

(1) In quinto scilicet atque sexto.

(2) Macrobius ad Somn. I, 3, observat, Ciceronem, quoties eiusmodi rem appellare opus fuit, semper usum esse nomine *visum*.

(3) Hac de re diximus in praefatione.

(4) Laelius.

29. Quum Ciceronis libros de Republica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus; alius alio curam suam mittit. Philosophus admiratur, contra iustitiam dici tam multa potuisse. Quum ad hanc eamdem lectionem philologus accessit, hoc subnotat, duos romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur; Anci pater nullus; Numae nepos dicitur. Praeterea notat, eum, quem nos dictatorem dicimus, et in historiis ita nominari legimus, apud Antiquos magistrum populi vocatum: (1) hodieque id exstat in auguralibus libris; et testimonium est, quod, qui ab illo nominatur, magister equitum est. Aeque notat, Romulum perisse solis defectione. (2) Provocationem ad populum etiam a regibus fuisse: id ita in pontificalibus libris aliqui putant, (3) et Fenestella. Eosdem libros quum grammaticus explicuit, primum *reapse* (4) dici a Cicerone, id est *re ipsa*, in commentarium refert; nec minus *sepse*, id est *se ipse*. (5) Deinde transit ad ea, quae consuetudo saeculi mutavit, tamquam quod ait Cicero: « quoniam sumus ab ipsa calce, eius interpellatione revocati: » hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem Antiqui dicebant. Deinde Ennianos colligit versus, et in primis illos de Africano scriptos:

Cui nemo civis, neque hostis
Quivit pro factis reddere operae pretium.

Ex eo se ait intelligere, apud Antiquos non tantum auxilium significasse operam, sed opera. Ait enim, neminem potuisse Scipioni neque civem, neque hostem reddere operae pretium. Felicem deinde se putat, quod invenerit, unde visum sit Virgilio dicere: (6)

Quem super ingens... porta tonat caeli.

(1) De Rep. I, 40.
(2) De Rep. II, 10, et in Somnio.
(3) De Rep. II, 31.
(4) De Rep. I, 2; II, 39. Ergo frustra critici apud Forcellinum in hac voce nituntur legere *re ipsa* pro *reapse* in aliis Tullii locis tribus.
(5) Immo *se ipsa* valet apud Cic. Reip. III, 8: quamquam ibi emendator male fecit *se ipse*, in quo damnabilior est ipso Seneca, qui generatim loquitur
(6) Georg. III, 261.

igitized by Googl

Ennium hoc ait Homero (1) surripuisse, Ennio Virgilium. Est enim apud Ciceronem in his ipsis de Rep. hoc epigramma:

Si fas endo plagas caelestum escendere cuiquam;
Mi soli caeli maxima porta patet.

(Seneca, Epist. CVIII).

30. Lactantius, Inst. I, 18, eosdem versus recitat, nisi quod pro *endo* mendose scribit *caedendo*, in quam lectionem commentatur sic: «scilicet quia magnam partem generis humani exstinxit ac perdidit, etc.» Cui vanitati et Cicero assensit. «Est vero, inquit, Africane; nam et Herculi eadem ipsa porta patuit.» (Vide meam ann. ad I, 40. Mn.)

31. Vtitur illa reiectione et M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus, (2) et, quod miremur, per advocatum defenditur. (3) Nec doctissimis: Manium Persium haec legere nolo, Iunium Congum volo. Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit styli nasum, dicendum sibi putavit; si Cicero mutuandum, praesertim quum de rep. scriberet (4). (Plinius, H. N. praef.)

32. Non Ciceroniana simplicitate, qui in libris de Rep. Platonis se comitem profitetur. (Plin. ibid.)

33. Inter Platonis et Ciceronis libros, quos de Republica utrumque constituisse constat, hoc interesse prima fronte perspeximus, quod ille rempublicam ordinavit, hic retulit; alter qualis esse deberet, alter qualis esset a maioribus instituta disseruit. (Macrob. ad Somm. I, 1).

34. Laelii, Scipiones amplissimis de rebus, quoad romanae literae erunt, in Veterum libris disputabunt. (Macrobius, Saturn. I, 1).

35. Latina quum legeret (Alexander Severus imp.) non alia

(1) Iliad. Θ, 393.

(2) Apud Macrobium, Saturn. I, 24, Cicero, » conviciis impenetrabilis. «

(3) Nempe per Lucilii auctoritatem.

(4) Pleniorem hunc locum dat Cicero de Orat. II, 6: » C. Lucilius dicere solebat, ea quae scriberet, neque ab indoctissimis, neque a doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse de se, etc. « Rursus haec habet Cicero de Fin. I, 3. Hinc facile suppleas, quae nimis abrupta citat Plinius e libris de Rep.

magis legebat quam de Officiis Ciceronis et de Rep. (Lampridius in Alex. Sev. cap. XXIX).

36. Laudatur in Platone, quod in politia sua posuit, eum, qui contra iustitiam disputandi, partes recepisset, postulare veniam dictorum, quae non probaret et veri inveniendi atque examinandae disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eousque Tullius probavit, ut ipse in libris, quos scripsit de Rep. in eam sententiam dicendum putaverit. (1) (S. Ambr. de Off. I, 12, ff. 43).

37. An Publium Scipionem in sexto de Rep. de impari numero proferam disputantem? (S. Hieronym. ep. XLVIII, c. 19).

38. Chalcenterus Didymus, multiplicis scientiae memorabilis, qui in illis sex libris ubi nonnumquam imperfecte Tullium (2) reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur, ut immania frementem leonem pu-

(1) Confer de Rep. III, 5. Neque enim Ambrosius Augustinum, Civ. Dei, II, 21, exscribere potuit, quandoquidem Ambrosianum opus Augustiniano plus viginti annis antiquius est. Praeterea Ambrosius haud semel in eodem opere Tullianis de Rep. locis utitur; nempe de Off. I, 24, ff. 115, ait Ambrosius: « iustitia suum cuique tribuit, utilitatem propriam negligit, ut communem aequitatem custodiat; » quae videntur sumi e Tullio de Rep. III, 7. Tum de off. I, 28, ff. 136, ait: « magnus iustitiae splendor, quae aliis nata potius, quam sibi, excelsitatem tenet, etc. » quae sunt de Rep. III, 8. Rursus de Off. I, 28, ff. 137: « dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare divitiis; iustitiae formam exuimus. » Nonne et haec sunt de Rep. III, 12? Insuper de Off. II, 9, ff. 49: « est individuum sapientiae atque iustitiae contuberuium. » Atqui Cicero de Rep. III, 8, iustitiam in divino solio non longe a sapientia collocat. Insuper de Off. II, 14, ff. 67: « haec plena laudis et digna primario viro, non communem cum Tyriis negotiatoribus habere turpis lucri cupidinem. » His nimirum similia exstant in tertii de Rep. libri fragmentis incertae sedis. Tum quae dicit ibidem Ambrosius: « decet omnes censura frugalitatis, continentiae auctoritas, et maxime eum, qui honore praestet, ne praeeminentem virum thesauri possideant sui, et pecuniis serviat, qui praeest liberis; » haec quoque e quarto de Rep. hauriri videntur. Denique de Off. II, 19, ff. 95: « claret ergo quoniam et aequitas imperia confirmet, et iniustitia dissolvat, quae ne unam quidem privatam potest regere familiam. » Atqui in his quoque Ambrosius ad Tullium respicit de Rep. II, 43, et ad tertii libri disputationem. Hactenus mihi Ambrosium considerasse placet; alii alia in eo fortasse notabunt. Profecto quum Ambrosius politico Ciceronis opere toties utatur, ego quidem iure suspicatus sum, Ambrosium a Tullio alium quoque, de quo ibi sermo est, luculentissimum locum sibi vindicavisse.

(2) Scilicet de Rep. teste Suida.

tredulis vocibus canus catulus longius circumlatrans. (Ammianus Marc. XXII, 16).

39. Τράγκυλλος ὁ Σουητώνιος χρηματίσας γραμματικὸς Ρωμαῖος ἔγραψε περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας ἀ· ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ. Suidas voc. Τράγκυλλος.

40. Παράθεσις τῆς κατὰ Πλάτωνα καὶ Κικέρωνα πολιτείας. Anonymus Vaticanus περὶ τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης λογ. ε κεφ. ι.

41. Scripserunt de republica, etsi diverso modo, Cicero et Plato; quum alter, qualis esse debeat, disseruerit; alter, qualis fuerit a maioribus instituta. Hanc tamen uterque et institutae et instituendae praescripsit formulam, ut vita civilis naturam imitetur, (1) quam optimam vivendi ducem saepissime nominamus. (Ioann. Saresberiensis policr. VI, 21).

(1) Conf. de Rep. I, 36; II, 39.

# PROSOPOGRAPHIA

## DIALOGORVM DE REP.

Dialogorum de Rep. personae novem sunt, quinque scilicet senes, reliqui adolescentes. Inter senes est Scipio; Laelius Scipione natu maior; Laelii aequales Philus et Mummius (Cic. de Am. cap. 27); Manilius item senex, quia de Rep. III, 10, dicitur fuisse adolescens ante legem Voconiam, quae lata est anno Vrbis 585, quadragesimo ante hunc dialogum. Manilius a Cicerone, Parad. VI, dicitur vixisse patrum suorum memoria; secus vero Rutilium et Scaevolam vidit adolescens Cicero, ut infra dicam. Quatuor fuisse adolescentes ait ipse Cicero ad Att. IV, 16; idque apparet etiam e codice Vaticano. Sed age singulorum hominum paullo accuratiorem notitiam scribam.

### SCIPIO.

P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor et Numantinus, L. Paulli Aemilii, qui de Perseo triumphavit, filius; adscitus in gentem Corneliam a Scipione Africani maioris filio. Magistros habuit Polybium, Panaetium ac Metrodorum. Latinis graecisque literis eximie eruditus fuit. Quidquid autem scripti operis apud Veteres dicitur esse Africani, id sine dubio tribuendum est minori; nam superioris Africani nullum exstitisse scriptum docet Cicero de Off. III, 1. (1) Fannius in Annalibus, teste Tullio de Or. II, 67, dixit Scipionem nostrum εἴρωνα, ob Socraticam dissimulantiam atque leporem. Anno Vrbis 608 Carthaginem delevit; tum anno 621 Numantiam. Consul bis fuit; censuram cum L. Mummio Achaico gessit; auguratu etiam potitus; legationem unam vel plures obivit ad inspicienda sociorum regna. Laudes eius innumerae in Veterum scriptis leguntur. Obiit hiemali tempore, paucis post hanc, quae fingitur,

(1) Africani tamen maioris Epistola quadam ad Philippum regem utitur Polybius, Hist. X, 9.

disputationem diebus, anno aetatis LVI, non sine suspicione veneni aut signis elisarum faucium; scelere videlicet Gracchanarum partium, quibus ipse adversabatur. Laudatus est in funere duabus orationibus C. Laelii amicissimi sui, quarum alteram recitavit Tubero sororis filius, Cic. de Or. II, 84, alteram frater Maximus Aemilianus, Cic. pro Mur. cap. 36, et interpr. ined. Vat. Obitum eius praecessit parelium quoddam; luctum publicum, qui consequutus est, narrat Cicero pro Mil. 7. Scipionis nostri imagines memorat idem Cicero in Somnio, necnon Iuvenalis VIII, 3, habuitque unam in lapide onychino Cyriacus Anconitanus. (1) Sepulchrum eius, teste Acrone ad Hor. epod. X, in regione Vaticana fuit; pyramis nimirum ingens, quam Alexander Papa VI dirui iussit, vel ut via recta fieret, vel ut molis Adrianae oppugnatio difficilior redderetur. Eius autem pyramidis adhuc incolumis imaginem Eugenius Papa IV in valvis aeneis basilicae Vaticanae exprimendam curaverat. (2)

LAELIVS.

C. Laelius cognomento Sapiens, Scipioni amore summo devinctus, quos Valerius VIII, 8, 1, par verae amicitiae clarissimum appellat. Hic est, qui in Ciceronis dialogo de Amicitia praecipuam personam gerit, deque Scipione nuper vita functo copiose miraque cum amoris significatione loquitur. Laelii consiliis perpetuis Scipio usus est. Neque tamen Laelius ipse res non gessit: nam et Viriathum bello fregit, et Scipioni Carthaginem oppugnanti legatus adfuit. Caelius Antipater Laelio (Sapienti, ut puto, nam Caelius fuit aequalis Scaevolae auguris, Cic. Brut. cap. 26) inscripsit belli Punici historiam. Augur fuit celeberrimus et orator. Idem fasces consulares tenuit anno Vrbis 614.

PHILVS.

L. Furius Philus (aut Pilus) consulatum anno Vrbis 618

(1) Mehusius, praef. ad Ambr. cam. pag. LIII; tum ipse Ambrosius, Epist. VIII, 45.

(2) Nardinius, Rom. antiq. VII, 13, cum testibus vetustioribus ab eo citatis. Id sepulchrum, ut lego in quadam Alexandri VI vita, dicebatur *pyramis burgi*, quia scilicet in burgo Vaticano erat.

administravit. Is est, qui de Numantino foedere antiquando rogationem tulit, Mancinumque in Hispaniam reductum Numantinis dedit. Phili fiduciam, qui consul suos inimicos in provinciam secum ire legatos iussit, miratur Valerius III, 7, 5. De eius eloquentia Cicero, Brut. cap. 28: « L. Furius perbene loqui putabatur litteratiusque quam ceteri. » Astronomiae quoque studiosus cognoscitur e primo de Rep. cap. 11. Hunc male quidam appellant *Publium*, quum sit *Lucius*.

MANILIVS.

Manilius ille, cui consuli (anno Vrbis 605) in Africam se venisse tribunum militum ait Scipio in Somnio, videtur plerisque apud Glandorpium idem vir, qui M. Manilius iuris prudentia clarus: quam sententiam confirmari video dialogis de Rep. in quibus Manilium et Scipionis familiarem et iuris consultum agnoscimus. Manilii scientia iuris et saepe a Tullio laudatur, et maxime a Pomponio tit. de Or. iuris: « P. Mutius et Brutus et Manilius fundaverunt ius civile. Mutius decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres: exstant et volumina inscripta Manilii monumenta. » In arte quaestuosissima constat eum fuisse abstinentem et pauperem. Cic. Parad. VI.

MVMMIVS.

Sp. Mummius L. Mummii Achaici frater. Vtrum Spurius legatus fratri apud Corinthum fuerit, an potius unus e decem, qui Corinthum in legationem iverunt, disputat Cic. ad Att. XIII, 5, 6, 30, memoratque eius versiculos quosdam facetos. Sane et comes Scipioni peregrinanti fuit. De eiusdem eloquentia mediocri et doctrina stoica Cic. Brut. cap. 25. Fuit commodis moribus, Scipionis, Laelii, Phili, ac Rutilii amicus, Cic. de Or. II, 67, et de Amic. cap. 19, 27.

TVBERO.

Q. Ael. Tubero Aemilii Pauli nepos ex Aemilia sorore Africani.

Fuit ab adolescentia Laelii amicus, Cic. de Am. c. 27; seque a Ti. Gracchi remp. vexantis familiaritate seiunxit, Cic. de Am. c. 11; quare et eius orationes in Gracchum memorantur, Cic. Brut. c. 21. Philosophiam plus aequo coluit, absurdeque ostentavit paupere apparatu in funere avunculi Africani; ob quam perversitatem praetura deiectus est, Cic. pro Mur. cap 36. Ceteroqui Pomponius tit. de Orig. iuris Tuberonem iuris consultum et Stoicum, consulem appellat; Pighius autem retur fuisse consulem suffectum M. Porcio Catoni in ea dignitate demortuo an. 635 (Varroniano, 636). Invisum cum sua secta Stoica fuisse Tuberonem, severum ac durum, aiunt Tacitus Annal. XVI, 22, et Cic. Brut. cap. 31. Dialecticum et iuris prudentem fuisse cognoscimus e Gellio, I, 22; nulla eloquentia praeditum ex Cic. Brut. cap. 31.

### RVTILIVS.

P. Rutilius Rufus imberbi prope aetate interfuisse fingitur his dialogis de Rep. namque a Laelio de Am. cap. 27, admodum adolescens eodem anno appellatur: tum idem Ciceroni multo post nato retulisse dicitur hunc sermonem. (1) Is arma contra Saturninum sumpsit. (2) Consulato potitus est anno Vrbis 649, post Scipionis obitum XXIV. Rutiliana quaedam constitutio de venditione (3) citatur in iuris fragmentis Vaticanis, et a Caio. (4) Rutilius armorum tractandorum meditationem militibus tradidit. (5) Factione equitum romanorum circumventus in iudicio est, licet innocentissimus; Romaque pulsus exulavit Smyrnae, ibique civitatis honore donatus consenuit in studiis literarum: qua in vrbe vivebat adhuc, dum Cicero adolescens Asiam peragraret. Eum dicit Velleius (6) non saeculi sui, sed omnis aevi, optimum: quare nec ipse in iudicio defendi se passus fuerat paullo ornatiore oratione; (7) et in exsilium eunti omnes Asia-

(1) De Rep. I, 8, 11.
(2) Cic. pro Rab. cap. 7.
(3) Vid. nunc Fragmentum de Empto et Vendito, § 1, p. 1, ed. Berol. Ca.
(4) Inst. IV, 35.
(5) Val. Max. II, 3, 2.
(6) Lib. II, 13.
(7) Cic. de Orat. I, 53, 54, Brut. 30.

ticae provinciae legatos obviam miserant secessum eius opperientes: (1) denique revocante Sulla redire ab exsilio noluit. (2) Rutilii laus prope infinita est non solum apud Ciceronem, verum etiam apud alios auctores, praesertimque apud Senecam. Scripta eius fuerunt: orationes, libri de vita sua; historiarum libri in quibus erat, ut puto, bellum Numantinum, nisi potius fuit in vita ab eo scripta Scipionis, cuius fragmentum citat Isidorus. (3)

SCAEVOLA.

Q. Mucius Scaevola augur, is est ad quem senem Cicero sumpta virili toga deductus fuit a patre: quo mortuo se ad pontificem Scaevolam contulit. (4) Consul fuit anno Vrbis 637. Huius filia nupsit L. Crasso oratori, (5) ei scilicet, qui primas partes in Tullianis de Oratore libris tuetur. Quin ipse hic Scaevola disputat in eiusdem operis libro primo. Ab eodem Scaevola fingit Cicero se audivisse Laelii sermonem de amicitia, uti a Rutilio Rufo de rep. Prudentia iuris maxime inclaruit, (6) deque eo libros edidit; (7) quare et Caius libros quosdam proprios memorat, (8) quos dicit ex Q. Mucio factos. Pila etiam et alea optime lusit: (9) hinc Scaevola dicitur a Cicerone (10) iocularis senex; eiusque memoriam in alea miratur Quintilianus. (11)

(1) Val. Max. II, 10, 5.

(2) Quintil. Inst. XI, 1.

(3) Lege de his Cic. Brut. 30; Tacit. Agricol. initio; Athen. VI, 21, XII, 11; Vell. II, 9; Gell. VII, 14, Appian. Hisp 88; Plut. in Pomp. 37; Suid. voc. Ῥουτίλιος; Charis. et Diomed. saepe; Isid. Orig. XX, 11, 4.

(4) De Amic. cap. 1.

(5) De Orat. I, 7.

(6) Cic. Brut. 26; de Orat. I, 41, 48; Vell. II, 9.

(7) Gell. VII, 15; Pompon. tit. de Orig. iuris.

(8) Inst. I, 2, ff. 116.

(9) Cic. de Orat. I, 50; Val. Max. VIII, 8, 2. A. M. — Errare A. Maium monet alius censor Gott. (1824, n. 84) narrantem, pila et alea optime lusisse hunc Scaevolam. Locum enim Ciceronis respicere alium Scaevolam, videlicet P. Mucium, errorisque causam esse Valerium Maximum (vide modo Corradum et Perizonium ad Valer. Max. l. c.); neque *aleae* fuisse ludum, sed *duodecim scriptorum*, ut est apud Ciceronem et Quintilianum; denique huius locum non esse Inst. Or. X, 2, sed XI, 2 (p. 992 sq. ed. Burm. q. v.) Ma.

(10) Ad Att. IV, 16.

(11) Inst. X, 2.

FANNIVS.

« C. Fannius (inquit Cicero Brut. cap. 26) C. Laelii gener et moribus et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto, quem quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim quum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset: cui tamen Laelius se excusans, non genero minori dixit se illud, sed maiori filiae detulisse. Is tamen instituto Laelii Panaetium audiverat. Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta. » Eiusdem historiae non semel alibi meminit Cicero: cuius epitomen fecerat Brutus, ut ait idem Cic. ad Attic. XII, 5; quamquam hoc loco Cicero ait negatum fuisse ab Attico, Fannium historicum eundem fuisse ac Laelii generum. Ea in historia narraverat inter cetera Fannius se comitem fuisse Tib. Graccho moenia Carthaginis primo conscendenti. (1) Locum ex oratione quadam C. Fannii in Gracchum aliquando nos edemus. Athenaeus, VI, 21, ait lege Fannia Scaevolam, Tuberonem et Rufum se adstrinxisse, qua sumptus domestici minuebantur. Est tamen alius Fannius eius legis auctor, quae scilicet lata est anno Vrbis 588, teste Gellio apud Macrobium. (2) Fannium non interfuisse disputationi, quae habita est secundo die, docuimus in praefatione, cap. 3. Quanam tamen probabili cum causa Fannium a dialogo reliquo submovere potuerit Cicero, perobscurum est. Immo in reliquiis de rep. Vaticanis Fannius et Scaevola numquam loquuntur, licet disputationi intersint. Neque tamen idcirco puto eos fuisse κωφὰ πρόσωπα, cuiusmodi se noluit esse Cicero in dialogo Academicorum: (3) igitur in lacunis eorum sermonem demersum credo; praesertim quum apud Servium ad Aen. VI, 877, testimonium evidens sit. Fannium versatum esse in dialogo, qui utrum de rep. fuerit, commodius a me disputabitur in fragmentis incertorum de Rep. librorum.

(1) Plutarch. in Tib. Graccho, cap. 4.
(2) Sat. II, 13.
(3) Ad Att. XIII, 19.

# MONITVM

## DE PRIMA OPERIS LACVNA

Ciceronis de Rep. splendidissimis verbis illuminatum exordium detrimenta duo per incommoda passum est, maximum initio, (1) in medio minimum; sed de posteriore, quum res tulerit, loquar; nunc prius inspiciendum est, studioque aliquo reparandum; non ita equidem, ut ipsa verba reponere audeam, quae inconsulta temeritas foret, sed ut partem sententiarum meditando adsequi nitar. Hoc Tullius copioso exordio dubitationem ad Remp. adeundi voluit tollere; (de Rep. I, 7) quod dum faceret, occasionem laudandi πολιτισμοῦ nanciscebatur, simulque purgandi sui, qui omissa philosophiae quiete civilibus fluctibus semet commiserat. Atque in primis auctor (ut mihi penitus persuasi) valde commendavit famigeratam illam Platonis sententiam, ab eodem alibi (ad Q. fr. I, 1, ff. 10) expressam: « ille princeps ingenii et doctrinae Plato tum denique fore beatas resp. putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere coepissent; aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis ac sapientiae saluti censuit civitatibus esse posse. » Praeterea quod ait Plinius, « Ciceronem in libris de Rep. Platonis se comitem profiteri » id quoque pertinere ad exordium arbitror. Tum nullus dubito, quin initio operis fuerit dictum illud e Lucilio arcessitum, quo se Tullius, teste praedicto Plinio, negabat (contra ac facit de Fin. I, 3) doctissimis hominibus hos libros scribere (Varroni puta aut Nigidio), quorum iudicium publica reiectione utebatur. Certe Lucilii versus nusquam fere in his libris citari potuerunt, nisi in proœmiis: nam quo minus hi fuerint in dialogo, Lucilii aetas in causa est, qui adhuc erat adolescentulus vivente Scipione: quamquam fateor, videri ipsum Lucilium dicere apud Cic. Fin. I, 3, non aliorum doctorum solum, sed etiam Scipionis iudicium se formidare. Propriam sibi sedem in exordio postulat illa quoque sententia de patriae caritate, quam a Nonio e lib. I de Rep. servatam, in eius libri calce scripsi. Praeterea, quod ibidem est, auctore Lactantio, Tullianum dictum de vanitate philosophici otii et de negotii politici

(1) Nonnisi aliquot paginarum iacturam factam esse existimat Villemanius contra A. Maii sententiam. Ma.

Digitized by Google

utilitate, id pari iure ad initia operis referre licet. Idem Lactantius quantas opes e Tullianis de Rep. libris prompserit, liber meus luculenter demonstrat. Ego vero considerato illius institutionum exordio, quo ait, « magnos et excellenti ingenio viros contemptis omnibus et privatis et publicis actionibus, se doctrinae penitus dedidisse, existimantes multo id esse praeclarius, quam cumulandis honoribus inhaerere; » valde suspicabar hanc quoque sententiam pertinere ad Tullianum de Rep. exordium. (1) Vtrum ad remp. accedendum sit, necne, controversia celebris fuit Dicaearchi cum Theophrasto, cuius meminit Cicero ad Att. II, 16; VII, 3. Priorem sententiam tuebatur Dicaearchus; eius autem vix dubito quin in operis exordio mentio fuerit, praesertim auctoris qui plures politias scripserat, quemque Cicero legebat atque in primis probabat (ad Atticum II, 2; VI, 2; de Republica, II, 4). Sed praeter Dicaearchum, pronum creditu mihi est, appellatos fuisse alios quoque graecos politicos, ut Socratem, Aristotelem, Theophrastum, Xenophontem, quos omnes in simili opere nominat cum Cicerone atque Platone, cumque huius sententia de rege philosopho, graecus politicus ineditus Vaticanus, qui libris Tullii de Rep. utebatur. Denique quia Cicero (ad Att. IV, 16) Varronem cogitabat in procemiis politicis appellare, licet huic quoque homini sedem concedere in priore exordii lacuna. (2)

(1) Nimium nonnumquam fuisse A. Maium in subodorandis nostrorum librorum imitationibus vere monet Cens. quem diximus, Lips. praesertim in Lactantio. Hic quidem locus redolet Ciceronem; sed sunt alia Ciceronis loca satis similia in libris aliis, quae iam laudavit Bünemannus ad Lact. I, 1, 1, v. c. de Offic. I, 21, 71: « Quapropter et iis forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valitudinis imbecillitate, aut aliqua graviore causa a republica recesserunt, quum eius administrandae potestatem aliis, laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quae plerique admirantur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. » Similiter de Orat. III, 15, 56 seq. quem locum, utpote paullo longiorem, adscribere nolui. In loco Lactantii sunt qui legant *dedisse* pro *dedidisse*: de quarum vocum permutatione vid. Beier. ad Cic. de Offic. I, 13, 40, p. 102. Ma.

(2) De familiari sibi Nigidio Tullius ad Att. II, 2, VII, 24; ad Q. Fr. I, 2, § 5; pro Syll. 14, et praesertim in supradicta epist. ad Fam. IV, 13, et de Vniverso, seu Timaeo, cap. 1, ubi eximie laudatur Nigidius tamquam artibus omnibus et praecipue philosophia praeditus, idemque cognoscitur interfuisse Timaei dialogo cum Cicerone. Nigidium Gellius, IV, 9, XIII, 24, XIX, 14; Macrob. Saturn. VIII, 8; Servius ad Aen. X, 175, doctissimum romanae civitatis et Varroni exaequandum aiunt. Nigidii pauca, e tot volumini-

Superest, ut locum Plutarchi considerem (an seni sit ger. resp. t. IX, pag. 183), apud quem testatur Cicero, se pulcherrima et maxima consilia, quibus egregie in consulatu utens remp. conservaverat, cum P. Nigidio philosopho omnia cepisse: Κικέρων ὡμολόγει τὰ κάλλιστα καὶ μέγιστα τῶν συμβουλευμάτων, οἷς ὀρθῶς ἐνυπατεύων τὴν πατρίδα διέσωζε, μετὰ Ποπλίου Νιγιδίου τοῦ φιλοσόφου συνθεῖναι. Age vero ubinam Cicero tam insigne testimonium Nigidio dedit? Exstat eius epistola ad Nigidium (ad Fam. IV, 13) in qua tamen ad rem nostram quod attinet, nihil video praeter verba haec: « per me quondam, te socio, defensa resp. » Atqui eiusmodi laudem compluribus aliis minime fortasse doctis largitus est Cicero, ut Sextio, Flacco, Miloni, etc. mihi autem Plutarchi locus multo plus significare videtur, quam ait Cicero suprascriptis verbis ad Nigidium. Id tamen clarius elucesceret, si Plutarchus pro ὡμολόγει scripsisset ὁμολογεῖ. Porro in politico exordio, ubi doctos homines et philosophos praeficiendos esse reip. Tullius censuerat, commode in primis commemorasset id exemplum Nigidii, cuius praeclara doctrina ac philosophia tanto usui reip. fuisset. (1) A. M.

bus ab eo scriptis, fragmenta supersunt collecta apud Rutgersium, Var. Lect. III, 16; quae ipsa, utrum omnia Nigidio nostro digna sint, ambiguo. A. M.

(1) Fieri potest, ut Cicero in priore proœmii lacuna Epicuri nominatim sententiam retuderit, qui suos asseclas vetuit accedere ad remp. teste Lactantio, Inst. III, 17. Suspicionem meam auget Augustinus in loco. quem citavi cap. 28. A. M. in Emm.—Vid. praeterea de hac lacuna quae in prima ad textum nota dicuntur.

Digitized by Google

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO I.

I.....[1] *I*mpetu liberavissent; nec C. Duellius,[2] A. Attilius,[3] L. Metellus,[4] terrore Carthaginis; non duo

I. 1. *Impetu.* Codicis p. 63. Desiderantur hactenus paginae 34. A. M.— Priore periodi parte videtur Cicero appellavisse Romanos alios qui superioribus bellis inclaruissent; et quidem haud scio an sic: *non Italiam M. Camillus Gallorum, nec M'. Curius, C. Fabricius, Ti. Coruncanius Pyrrhi impetu liberavissent.* Immo paullo fortasse altius romanos heroas recensuit; cuius rei indicem habemus ipsum auctorem Tusc. I, 37: *si mors timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in praelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent: non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Vetusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum.* (Cf. etiam Tusc. I, 46. Ca.) Mox ibidem Cicero commemorat quoque Camillum. Rursus paradoxo I facem praefert Cicero ad huius lacunae latebras pervidendas enumerata Romanorum illustrium serie a Bruto usque ad Africanum utrumque et ad Catonem: *Brutum siqui roget, quid egerit in patria liberanda?* etc. Eosdem heroas verbis fortasse Tullianis celebrat Augustinus de Civit. D. V, 18. Adi et Horatium Od. I, 12. A. M.

2. *C. Duellius.* Ita cod. pro *Duilius.*

3. *Aulus Attilius. Aulus* dicitur hic Atilius etiam in Fastis Capitolinis, itemque a Polybio I, 24, vol. I, pag. 61 Schweigh. non *Marcus*, unde corrigendi Ernestus in Cl. Cic. in M. Atilius Calatinus, et Perizonius in Animadv. Historic. cap. 1, p. 27 ed. Harles. qui ceteroqui docte de Atiliis exposuit. Cognomen fuit *Calatini.* Fuit consul a. V. 495, et posteaquam anno sequenti rem prospere gessisset et a Calpurnio Flamma tribuno mil. ad Camarinam ex angustiis, quibus a

Scipiones[5] oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent;[6] nec id excitatum maioribus copiis, aut Q. Maximus[7] enervavisset, aut M. Marcellus[8] contudisset, aut a portis huius urbis avulsum P. Africanus compulisset intra hostium moenia? M. vero Catoni,[9] homini ignoto et novo, quo omnes, qui eisdem[10] rebus studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur,[11] certe licuit[12] Tusculi se in otio delectare, salubri et propinquo loco. Sed homo demens, ut isti putant, quum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus[13] ad sum-

Poenis clausus fuerat, expeditus esset, gloriose triumphavit: alterum consul factus a. V. 498 vel 499, Panormum Siciliae cepit, dictator dictus est a. V. 504. Romae idem Spem consecravit. Cr.

4. *L. Metellus.* De L. Caecilio Metello eiusque magna ad Panormum pugna adversus Poenos, triumpho, honoribus vid. Liv. XVIII, 49 seqq. XIX, 2, et passim, XX, 46. Cr.

5. *Duo Scipiones.* Cn. Cornel. Scipio *Calvus* eiusque frater P. Cornelius Scipio consules in Hispania adversus Poenos pugnantes caesi. Cr.

6. *Incendium belli-... restinxissent.* Plane ita est in Or. pro Marcell. 9, 29, *nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris.* Mr.

7. *Quintus Maximus.* I. e. Quintus Fabius Maximus Cunctator. Mr.

8. *M. Marcellus.* M. Claudius Marcellus. Vid. ind. Histor. Fuit plebeius. Mr.

9. *M. vero Catoni.* Cic. de Legg. II, 2, 5: *ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi romani civitatem susceptus est.* Cf. Creuzer. *Roem. Antt.* pag. 250. Mr. — *Cato nomen suum, Tusculi ignobile, Romae nobilissimum reddidit.* Valerius M. III, 4, 6. A. M.

10. *Eisdem.* Cod. prima manu *sdem* per aphaeresin; tamen secunda factum *isdem.* Iam de scriptura *isdem* praeclaram habemus Ciceronis ipsius doctrinam in Oratore 47; *idem campus habet, inquit Ennius; et in templis isdem probavit. At eisdem erat verius, nec tamen opimius. Male sonabat iisdem. Impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis causa liceret.* A. M.

11. *Ducimur.* De se praesertim ait Cicero, cui Velleius II, 34, testimonium hoc dat: *Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae.* A. M.

12. *Certe licuit.* Cic. Tusc. I, 15: *Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi: sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi saeclorum quoddam augurium futurorum... Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?* Vbi *amens* scribere maluit Tullius quam *demens* propter praegressum *dempto.* Cr.

13. *Tempestatibus.* I. e. periculis et

mam senectutem maluit iactari, quam in illa tranquillitate atque otio iucundissime vivere?[14] Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt; et qui sunt *haud* procul[15] ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se, aut suorum aliquem praetermissum queratur. Vnum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura, tantumque amorem ad commu-

calamitatibus. Eadem metaphora est in de Orat. I, 1; Catil. I, 9; Cic. pro Balb. cap. 27, et pro Plancio cap. 29, ad quem locum conf. Gasp. Garatonii curas secundas pag. 84 seqq. — Intelligit inimicorum potissimum insectationes: nam Cato quater et quadragies postulatus causam dixit, semper absolutus. Plin. VII, 27. Cr.

14. *Vivere.* Suam otii fugam assiduosque in senectute labores praedicat ipse Cato (haud sane detrectator laudum suarum, ut sit Livius XXXIV, 45) apud Cic. de Sen. 23. Cf. et de Legg. II, 2; de Orat. III, 33; nec non Plutarch. in vita Catonis. Ciceroni autem ipsi semper Catonem fuisse in ore constat e primo de Legg. c. 2. A. M.

15. *Sunt haud procul.* Desideratur in cod. *haud*. A. Maius hanc particulam scribere primum non dubitavit, sed postea, in Emendd. nescit an satius sit omittere. Mos. omisit. Servare volebam, inquit, cum Sch. et Lehn. vocem *haud*, ab A. M. interpositam, qua non commode carere videbatur posse locus, ut hic sensus exiret: Possem enumerare permultos viros civitati huic utilissimos; sed nolo esse longus, et a recentiorum hominum commemoratione ideo abstineo, ne, quum hunc, vel illum praetermisero (aliter enim fieri nequit), aliquem offendam. Nunc cum Heinrichio omisi *haud*, quod fecit etiam Steinackerus. Quod vero hic coniicit scribendum esse *et quoniam sunt non procul*, non receperim. Si, ut videtur, supplendum censet *nonnulli*, hoc si voluit intelligi noster, addere debuit. Lehnerus ita distinxit: *Omitto . . . fuerunt, et qui sunt . . . memoria; commemorare eos desino*, etc. Ita quoque Beierus in versione huius procemii vernacula distinxit. Censor ψευδώνυμος (Φωσφόρος) in Seebodii Bibl. Crit. 1823, p. 431, item elici vult vocem *haud*. Neque vero eidem viro paruimus, qui cap. 2, in verbis *quod non ab his partum* vocem *non* ab A. Maio additam, eiicere nos iubet. Mn. — A. Maius melius scripsisset *non procul*. Cr. — *Et qui sunt haud procul ab aetatis huius memoria*, F. C. Wolfius in Prolusione, quae inscribitur: Solemnia literaria d. VI ante kal. mai. in Lyceo Flenopolitano celebranda indicit F. C. W. Lycei Conrector. (Praemittuntur Obss. Critt. in M. T. Cic. Oratt. pro Scauro et pro Tullio et librorum de Rep. fragmenta) Flenopoli 1824, 43 pp. 4: eius prolusionis p. 16 ait: « *Haud* ideo non apte positum videtur, quia Cicero, quum inter viros iam memoratos nemo inveniatur, qui praesentibus temporibus propinquus sit, dicere non potest, se eos comme-

nem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otiique vicerit. [16]

II. Nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam, [1] nisi utare. Etsi ars quidem, quum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri potest; virtus in usu sui [2] tota posita est. Vsus autem eius est maxi-

morare *desinere*, qui non procul a suae aetatis memoria absint. Maius quidem *desinere* etiam de re nondum coepta interdum usurpari, ut I, 38, *non desinam te uti teste*, et idem quod *omittere* significare contendit. Sed Cicero verba modo laudata ad Laelium dicit, quum paullo ante utique ad testimonia, atque adeo ad Laelii ipsius testimonium provocaverit. Comparetur totum cap. 38, ubi Laelium Scipio ad suam ipsius experientiam delegat. *Desinere* autem omittendi significatione usquam occurrere, vehementer dubito; cuius rei ego quidem exempla desidero. Neque negatio hoc loco videtur necessaria. Cicero enim mortuos saepe tamquam viventes saltem in orationibus suis inducit. Maius et ipse emendationem suam improbare videtur in additamentis. Si quis autem, mortuos querelas fundere, nimis durum habuerit, sic hunc locum mecum emendet: »ne quis esse suorum aliquem praetermissum queratur.« *Esse* et *sese* saepe in codicibus permutantur; et si *sese* pro *esse* perperam scriptum erat, quomodo *aut* in textum venerit, facile intelligitur. Steinackeri emendationem iisdem causis, quibus Maii reiiciendam putavi, probare non possum.« Mihi quidem Wolfii coniectura non displicet, sed admodum displicent mortui querentes, i. e. displicet Wolfii defensio lectionis a nobis servatae. Ego vero locum ita explicaverim: desino etiam eos commemorare, qui sunt procul ab aetatis huius memoria, ne quis vestrum vel lectorum (saepe enim Cicero ita loquitur, quasi de lectoribus, non de colloquentibus cogitet) queratur, maiores quidem nominari de rep. bene meritos, se autem et suos, quorum haud minora fuerint merita, praetermitti. Ms. in Add.

16. *Vicerit.* Nihilominus sapientis Vlyxis anima ap. Plat. Reip. X, pag. 620 (p. 514, Bekk. tom. III, 1), in mortale corpus reditura, privati otiosique hominis vitam studiose eligit, memor nimirum et taedens exantlatorum laborum in ambitiosa vita et regali. A. M.

II. 1. *Art. aliq.* Est enim *virtus bene vivendi ars*, ut aiunt Stoici ap. August. C. D. IX, 4, XIX, 1, et XXII, 24. Similis fere est Aristotelis locus Reip. VII, 2: μόνον ἀνδρὸς τὸν πρακτικὸν εἶναι βίον καὶ πολιτικόν· ἐφ' ἑκάστης γὰρ ἀρετῆς οὐκ εἶναι πράξεις μᾶλλον τοῖς ἰδιώταις, ἢ τοῖς τὰ κοινὰ πράττουσιν καὶ πολιτευομένοις. Virtutem omnino activam vult idem Aristoteles apud Themistium or. de praef. suscept. cap. 6. Sed Tulliani loci sententiam nemo melius exprimit, quam Damascius in Isidori vita apud Photium cod. CCXLII, p. 1071, qui locus laudatur cumulatior a Suida voc. μισοπράγμων et voc. Οὐλπιανός. A. M.

2. *In usu sui.* Vt paullo superius *scientia* dicitur, quam vulgo nunc *theo-*

mus, civitatis gubernatio,[3] et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant,[4] reapse, non oratione, perfectio. Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod *non*[5] ab his partum[6] confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura

*riam* nuncupant; ita *usus* h. l. idem est, quod *praxin* vocant. Quae horum verborum significationes addendae Clavi Cic. Ernestinae. Mh.

3. *Gub.* Plato in Epinomidis (quod opus ei vulgariter tribuitur) fine decernit, ut ad eos, qui summam virtutem adepti sint, summa reip. dignitas deferatur, quum senilem tamen aetatem attigerint. Augustinus de Ord. II, 25: *remp. nolint administrare nisi perfecti.* Tum idem in operis fine ex Varronis testimonio: *Pythagoras regendae reip. disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollet committere nisi virum, qui et in regendo paene divine scopulos evitaret; et, si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret.* Haec presse imitatur Lactantius, Inst. III, 16: *Bonos enim facere oportet potius, quam inclusos in angulis facienda praecipere, quae ne ipsi quidem faciunt, qui loquuntur.* A. M. in Add.

4. *Personant.* I. e. valde clamant. Cic. pro Coel. 20: *Illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant.* Cr.

5. *Non.* Ausus sum addere *non*; ita enim sententia postulare videtur. A. M.

6. *Ab his partum confirmatumque sit.* Vocem *partum* sollicitandam haud arbitror. Locutionem autem fortasse imitatur Augustinus C. D. II, 2, dum ait, *Romam partam veterum auctamque laboribus.* A. M. — *Non ab his partum.* Cf. Tuscul. V, 2: *tu (philosophia) urbes peperisti.* Orator. 32: *dialectici spinosiora multa pepererunt.* Cf. Schutz. Lex. Cicer. Adde Liv. I, 49, V, 1, ibique Drakenbork. Nec aliter Terent. Eunuch. I, 2, 69, *parere amicos;* ita enim recte correxit Bentlei. ubi Ruhnken. (pag. 167 ed. Bruns.) » *parere* idem est quod *parare*, acquirere. » Sed *parata* victoria est *facilis;* ac proinde differt a *parta*, docente eodem Ruhnkenio ad Rutil. Lup. II, 6, pag. 109. Cr. — Vocem *non* post A. Maium receperunt edd. omnes, neque ego ei litem moveo, quippe qua sententia loci carere non possit. Monet etiam A. Maius, ne dubitemus de veritate lectionis *partum*, et monet idem nota Creuzeri. Sed quum vox *non* absit a cod. non plane vana esse videtur suspicio, eam in voce *partum* latere, videlicet ut coniecturae locus sit, scriptum fuisse *quod ab his non ortum*, vel *actum*, vel *auctum confirmatumque sit.* Sic Terent. in Andr. III, 2, 9: *Vel hoc quis non credat, qui te norit, abs te esse ortum?* Sed manum abstineo a corrigendo, quum vocem *non* malim eo loco positam, quo eam inseruit A. Maius, et praeterea verbum *parere* sententiae sit admodum accommodatum. Quod ad sententiam Noster mox eodem capite similiter: *nempe ab his, qui haec disciplinis informata, alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus.* Mh.

descripta sunt. Vnde enim pietas? aut a quibus religio? [7] unde ius aut gentium, aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde iustitia, fides, aequitas? unde pudor, [8] continentia, fuga turpitudinis, [9] appetentia [10] laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? Nempe ab his, qui haec disciplinis informata, [11] alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem

7. *Religio.* Politicum religionis genus docent apud Augustinum C. D. IV, 27, 31, VI, 5 (et alibi), Scaevola et Varro, quorum utrique et si politica religio videtur falsa (quippe ficta ab hominibus), tamen adeo necessaria dicitur, ut expedire existiment falli in religione civitates. Hinc ille politicus Veterum mos Servio memoratus ad Aen. III, 80: *maiorum haec erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos et pontifex.* Vide, quae de Numa dicenda sunt inferius in hoc opere lib. II. Ceterum quod quidam aiunt de Deo opinionem a legumlatoribus fuisse inter homines invectam, id egregie coarguit, ut principii petitionem, Sextus Empiricus lib. I contra Phys. sect. 31: licet enim quaerere, undenam ipsi legumlatores, quum nemo Deum esse tradidisset, Dei notitiam hauserint (πόθεν οἱ νομοθέται, μηδενὸς πρότερον παραδόντας αὐτοῖς θεούς, ἦλθον εἰς ἐπίνοιαν θεῶν, pag. 556 ed. Fabr. Ma) Conf. etiam Lactantium de Ira D. cap. 10. A. M.

8. *Pudor.* Pudoris originem verissime repetit Cicero Off. II, 4, ab inita vitae societate. Reapse barbari, praesertim solivagi, verecundia prope omni carent. A.M. — Cf. Legg. I, 19.

9. *Turpitudinis.* Ita (*turpido* pro *turpitudo*) scribit etiam Tertullianus de Cor. mil. XIV; quo in loco frustra Gesnerus in Thesauro suspicabatur vitium librarii, frustra quidam editores reponebant *turpitudo.* Sic obtinuit *pinguedo* pro *pinguitudo.* A. M. — *Turpitudinis.* In loco Cic. de Legg. I, 19, 51, codex egregius Bruxianus itemque Cassellanus habent *torpidinem*, ubi nunc legitur *turpitudinem.* Vid. Goërenz. ad eum locum p. 81, et Moser. p. 124 ed. Mos. et nostr. Cr. — Ego vero cum Heinrichio et Steinackero rescripsi *turpitudinis*; neque enim credo, Tertulliani usui Ciceronis scriptionem esse accommodandam, cui quidem has delicias Gesnerus invidere non debuit, neque vero noster ad inveniendum faces praetulisse videtur. Ceterum isto Tertulliani loco Rigaltius edidit *turpitudo* p. 109. Ma.

10. *Appetentia.* Verbo *appetentia* in malum sensum usus est Cic. Tusc. IV, 7, 15, in bonam partem Plin. N. H. XXIII, § 19, p. 301 Hard. *artium... liberalium appetentia.* Ma.

11. *Informata.* I. e. constituta. Cf. Offic. I, 4; pro Sulla 18, ibique Graev. et Ernesti Cl. Cic. Adde Legg. I, 9, fin. *quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum, ex prima et inchoata intelligentia, genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.* Cr.

alia legibus. [12] Quin etiam Xenocratem ferunt,[13] nobilem in primis philosophum, quum quaereretur ex eo, quid assequerentur eius discipuli, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Ergo ille civis,[14] qui id cogit omnes imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant,[15] ipsis est praeferendus doctoribus.[16] Quae est

12. *Sanxerunt... legibus.* Sane Plato in Politico p. 258 et 293, hominem politicum in sapientium numero collocandum esse decernit. Quin adeo Platonica hominis definitio est apud Sextum Emp. Pyrrh. II, cap. 5 et 16, nec non I contra Logic. 281 : ἄνθρωπον εἶναι ζῶον ἐπιστήμης πολιτικῆς δεκτικόν, *hominem esse animal scientiae politicae capax.* Quamquam idem Sextus, instituto suo contra dicendi, definitionem hanc vituperat. A. M.

13. *Xenocratem ferunt*, etc. Locum hunc libere citari a Servio ad Aen. VII, 204, omisso Ciceronis nomine, nunc primum videmur cognoscere. En autem Servii verba: *Xenocratis est, qui quum primus philosophiae scholam aperuisset (quod antea in porticibus de philosophia tractaretur) et interrogatus esset, quid praestare posset discipulis, respondit: ut id voluntate faciant, quod alii iure coguntur.* Item nunc primum cognoscimus, hunc locum a Lactantio quoque e politico Tullii proœmio fuisse decerptum, Inst. VI, 9: *Sed concedamus sane, ut id natura, vel, ut ait philosophus, sua sponte faciant, quod legibus facere coguntur.* De Xenocrate lege Laërtium IV, 2, qui narrat, eum, praeter alios libros, scripsisse de Rep. unum, et de discipulis duos. Xenocrati discipulo Academiam suam reliquit Plato, teste Augustino epist. CXVIII, 16, et C. D. VIII, 12. Xenocraten irridet Aristoteles apud Athen. XII, 7; at illum cum discipulis philosophantem memorat Plutarchus apoph. reg. ed. Reisk, t. VI, pag. 726, et apophth. lac. pag. 825. Xenocratis a vitio retrahentis discipulos exemplum profert Hieronymus Comm. in Os. I, 1. A. M.

14. *Ergo ille civis ... omnes.* Mos. *Ergo ille, cives qui id o. omnes.* In ed. pr. est: *ergo ille civis qui ... omnis* sine interpunctione, quam dicunt. Vnde fecit Villem. *ergo ille civis qui id cogit omnes*; Schutzius, nihil monens: *ergo ille civis, qui cogit omnes*, omisso *id*. Cuius scriptionis velim rationes nobis reddidisset vir Cl. Nobiscum faciunt Steinackerus et Heinrichius. Lehnerus ut A. M. scripsit. Vir quidam doctus, cuius nomen silentio premo, coniecit: *Ergo ille civis, quem id cogit omnis imperi legumque poena*, infaustis avibus, si quid video. Ma. — Solo notatur. Cf. Herodot. I, 29.

15. *Illa disputant.* Cic. de N. D. III, 40: *quae disputavi, disserere malui, quam iudicare*, ubi vid. not. pag. 692, 803 ed. nostr. et Mos. *Disputare* proprie est philosophorum. Schutz. in voc. Cs.

16. *Doctoribus.* Cic. de Orat. I. 44: *Bibliothecas me hercule omnium phi-*

enim [17] istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure, et moribus? [18] Equidem, quemadmodum urbes magnas atque imperiosas, [19] ut appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto; sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, his, qui omnis negotii publici expertes sint, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos. Et quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani, studemusque nostris consiliis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum [20] reddere, et ad hanc voluptatem [21]

*losophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus... superare.* Cr. — Hoc Tulliani operis caput sine dubio prae oculis Lactantius habuit (ut nunc primum innotescit), quum Inst. III, 16, scripsit: *sapientia autem, nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis et falsa est: recteque Tullius civiles viros, qui remp. gubernent, qui urbes aut novas constituant, aut constitutas aequitate tueantur; qui salutem libertatemque civium vel bonis legibus, vel salubribus consiliis, vel iudiciis gravibus conservent, philosophiae doctoribus praefert.* A. M.

17. *Quae est enim.* Ita corrigendum fuit, etiamsi ipsius codicis corrector vitiosum illud *quae etenim* non sustulisset, quod est in contextu ed. princ. Nusquam enim Cicero *etenim* ita ponit in quaestione, paucissimis locis post initium, plerumque in principio propositionis. Recte autem scriptum est *quae est enim*, non *quae enim est*, eo sensu ut sit i. q. *nulla sane est*; qua significatione in hac formula verbum *est* in medio poni solere docuit Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 12, 34, pag. 52. Ita Noster de Fin. II, 5, 16, pag. 139 Goer. *Quis est enim, qui non videat?* pro *nemo enim sane est.* Mr.

18. *Bene constitutae civitati publico iure, et moribus.* Ita cum Heinr. Steinack. et Sch. primae manus scriptio restituenda fuit, quam A. Maius ex correctoris sententia in peius mutavit: *civitati, publico iuri, et moribus*, quemque sequutus est Lehn. Recte enim Sch. monet Ciceronem loqui de civitate, quae sit publico *iure* et moribus bene constituta. Quae quum ita sint, probari etiam non potest Villemanii versio: *qu'un état sagement ordonné, qu'une constitution sociale, que des mœurs publiques?* qui de suo quaedam addere non dubitavit. Mr.

19. *Quemadmodum urbes magnas atque imperiosas.* Periit Ennii locus. Augustinus C. D. XV, 19, Romam ipsam dicit *imperiosissimam civitatem.* Item XIX, 21. Apud Tullium Orat. 34, *imperiosi populi.* A. M.

20. *Vitam hominum.* Ex graeco βίος ἀνθρώπων ductum, i. e. genus hominum s. homines. Wyttenb. ad Cic. de N. D. I, 2, pag. 716, coll. I, 24, pag. 753. Villem. vertit: *existence humaine*, additque in annotatione, memorabilem in primis esse hunc locum, quia

ipsius naturae stimulis incitamur; teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque; neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, [22] ut eos etiam revocent, qui iam processerint.

III. His rationibus tam certis tamque illustribus opponuntur ab his, qui contra disputant, primum labores, qui sint republica defendenda [1] sustinendi: leve sane impedimentum vigilanti et industrio; [2] neque [3] solum in tantis rebus, sed etiam in mediocribus

haec sententia de excolendo toto genere humano eoque ad altiorem perfectionis gradum evehendo rarissima sit apud veteres scriptores. Mn.

21. *Voluptatem.* Mutat in *voluntatem* Moser, et sic mutationi suae patrocinatur: » Cod. *voluptatem* et sic edd. quae adhuc prodierunt, omnes. Et primo quidem adspectu nihil *naturae stimulis* accommodatius videri possit, quam *voluptas*. Sed accuratius inspicienti locum apparebit, nihil ei minus convenire, et Ciceronem certe, proprietatis sermonis, si quis alius, studiosissimum, de eo, quod fit *consilio* et *labore*, dicere vix posse, nos *ad eam voluptatem* incitari. Quare facere non potui, quin crederem a Cicerone profectum esse *voluntatem*. Volumus enim id, ad quod naturae stimulis incitamur; volumus id, quod efficere studemus. Ita noster Tuscul. IV, 6, 12: *Simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id impellit ipsa natura. Id quum constanter... fit, eiusmodi appetitionem Stoici* βούλησιν *appellant, nos appellamus voluntatem... Voluntas est, quae quid cum ratione desiderat.* Tale quid etiam sensisse videtur interpres gallicus, qui vertit: *nous sommes excités à cette heureuse tâche.* » Ed. P.

22. *Receptui canunt.* Atqui Cicero ipse signa haec, quae receptui canerent, audienda sibi aliquando putavit, veluti ad Att. II, 5, 16, quibus in locis grave prae se fert politicae vitae taedium, privataeque amorem. De re deliberat etiam Tuscul. V, 1. Neque id mirum in variis vitae humanae vicissitudinibus; praeter quam quod Cicero, Academicae sectae addictus, diserte de se ait Tusc. V, 11: *nos in diem vivimus; quodcumque animos nostros probabilitate percussit, id dicimus: itaque soli sumus liberi.* A. M.

III. 1. *Republica defendenda.* Sch. nihil monens dedit *in republica defendenda*, probante Mosero. *T.*

2. *Vigilanti et industrio.* Iunxit haec Cicero etiam in Epist. ad Att. VIII, 11, pag. 726 ed. Ern. min. *vigilantem hominem et industrium.* Or. pro Coel. 31, 74, *quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, industrii, consequi non possunt.* Mn.

3. Cod. *neque tai solum*; sed *tai* deinde expunctum, quae fuit metathesis τοῦ *ita*, vocabuli hoc loco minime ferendi. — *Neque solum in tantis rebus.* Quod ait A. Maius in nota critica, *ita* ferri non posse, id quidem est certissimum. Sed undenam scit vir doctissimus, *tai* esse per metathesin scriptum pro *ita*? Nonne

vel studiis, vel officiis, vel vero etiam negotiis contemnendum. Adiunguntur pericula vitae, turpisque ab his formido mortis fortibus viris opponitur: quibus magis id miserum videri solet, natura se consumi et senectute, quam sibi dari tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissimum reddere.[4] Illo vero se loco copiosos et disertos putant, quum calamitates clarissimorum virorum, iniuriasque iis ab ingratis impositas civibus colligunt.[5] Hinc enim illa et apud Graecos exempla,[6] Miltiadem victorem domitoremque Persarum, nondum sanatis vulneribus[7] iis, quae corpore adverso

fieri potest, ut in *tai* sit vestigium vocis *tantis* iam prius vel in priore ἀπογράφῳ obliteratae; quam quum legere non posset aliquis, elicere tamen noluit, sed quum sentiret *tantis* requiri, reposuit ante *rebus*: ut fortasse antiquitus scriptum fuerit: *neque tantis solum in rebus*. Praeponi autem *tantus* cum emphasi notissimum est, Nostro etiam valde usitatum; v. c. de N. D. I, 1, 2: *Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione*. Mr.

4. *Vitam... reddere*. Cicero Tusc. I, 48: *clarae mortes pro patria oppetitae non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent*. Confer Cic. pro Sextio 21. Idem Fin. II, 30, queritur, quod philosophi in suis lectulis plerumque moriantur. Iuvenalis tamen X, 120, Ciceronis necem ob eloquentiam in reip. tutela collocatam, deplorat: *ingenio manus est et cervix caesa... ridenda poemata malo, Quam te conspicuae divina Philippica famae*. Sic ait et Lactantius Inst. II, 3, VI, 18. A. M.

5. *Colligunt*. De his legendus Aristoteles Reip. III, 13, qui in multis populis hunc morem observat insectandi claros viros propter eorum nimiae gloriae vel invidiam, vel metum. A. M.

6. *Illa et apud Graecos exempla*. Fortasse legendum: *illa tot apud Graecos exempla*, vel *et* transponendum hic ante vocem *Miltiadem*. Cr. — Neutra ratio displicet. Sed neque aliquid mutandum, neque hunc locum in iis esse ponendum existimo, quibus Cicero *et* scripserit pro *etiam*, ut est in locis a Cr. ex Cic. de N. D. laudatis. Sed scripsit *et apud Graecos*, postea additurus: *et apud nostros* v. *nos*: quod facere omisit, postquam longiora interposuerat exempla, et mutata constructione perrexit infra: *Nec vero levitatis, etc, quae... etiam in, etc*. Mr.

7. *Vuln*. Cod. *volneribus* pro *vulneribus*. Scriptum o pro u maxime dominatur in libris Lucretianis. Apte autem monet Longus pp. 2216, 2222 apud Latinos o et u fuisse interdum confusas, ita tamen ut, etiam quum scriberent o, legerent u. Lege et Valerianum pag. 2289-90, Papyrianum p. 2292. A. M. — *Vulneribus iis*. Non

in clarissima victoria accepisset, vitam, ex hostium telis servatam, in civium vinclis profudisse; et Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque proterritum, non in Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugisse, quam afflixerat. Nec vero levitatis [8] Atheniensium crudelitatisque [9] in amplissimos cives exempla deficiunt: [10] quae nata [11] et frequentata apud illos, etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse. Nam vel exsilium Camilli, vel offensio [12] commemoratur

fuit illa, quam narrat, clarissima victoria Marathonia, sed vulneratus fuerat in expeditione in Paron insulam. Ca.

8. *Levitatis.* Graecorum levitatem a Cicerone passim suggillari videmus, observante etiam Hieronymo comm. ad Galat. lib. I, 3, et Lactantio, Iust. III, 14. Tum idem Hieronymus loco cit. et ep. X, 3, verba ex oratione mutil. pro Flacco laudat, quae nondum inter eiusdem reliquias relata video. En textum Hieronymi: *doctissimi quippe* (ed. Lond. et Par. *quique*) *Graecorum, de quibus pro Flacco agens luculenter Tullius ait ingenita levitas et erudita vanitas.* Cur Graeci sint leves dicit Servius ad Aen. VI, 724: *Afros versipelles, Graecos leves videmus: quod natura climatum facit, sicut Ptolemaeus deprehendit.* Confer Cic. in Rull. II, 35. A. M.

9. *Crudelitatis.* Atheniensibus crudele visum utile, dicit Cicero de Off. III, 11. Quare merito ait de Or. III, 34, doctrinae quidem a Graecis, sed virtutis a Romanis exempla esse repetenda; quorum clementiam belle opponit Graecorum crudelitati graecus auctor Dionysius Halic. in fragm. ed. Mediol. XIV, 8 seqq. A.M.

10. *Nec vero... exempla deficiunt.* Mirum est, quod post enarrata duo levitatis Atheniensium et crudelitatis in amplissimos cives exempla addit, exempla non deficere. Quare fortasse aliquis coniiciat legendum esse: *nec vero plura*, vel *alia etiam*, vel *alia praeterea levitatis.* Sed haec, credo, possunt intelligi. Ma.

11. *Quae nata.* Viden' quam callide velare studeat Romanorum paria facinora? Ca. — *Civ. nostram.* Schutz. omittit *nostram*, nihil monens.

12. *Offensio commemoratur Ahalae.* Monet ad h. l. Kobbius, interpres Germanicus, voce *offensio* significari videri, Ciceronem cum Livio facere, qui lib. IV, 24, Ahalam accusatum quidem neque vero damnatum fuisse narrat: quum Valer. Maximus V, 3, eum in exsilium eiectum, et auctor orationis spuriae pro Domo (32) honorifice revocatum esse referant. Idem K. laudat ad locum de Mario Cic. de Orat. III, 2, 8, ubi est: *Non vidit* (*Crassus*) *flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non denique in omni genere de-*

Ahalae, vel invidia Nasicae,[13] vel expulsio Laenatis, vel Opimii damnatio, vel fuga Metelli,[14] vel acerbissima C. Marii clades, principum caedes,[15] vel eorum multorum pestes, quae paullo post sequutae sunt.[16] Nec vero iam meo nomine abstinent; et, credo, quia nostro consilio ac periculo sese in illa vita atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobis queruntur, et amantius.[17] Sed haud facile dixerim, cur quum

*formatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.* Quem ego locum plenius adscripsi, quam A. Maius in notula, ut eius cum nostro similitudo clarius appareat. Mr. — *M. Furius Camillus et M. Servilius Ahala, quum essent optime de rep. meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt, damnatique comitiis centuriatis, quum in exsilium profugissent*, etc. Cicero pro Domo 32. A. M.

13. *Nasicae.* » Nasica, ut invidiae subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est. » Aur. Victor cap. 64. A. M.

14. *Metelli.* Popil. Laenas, Opimius, et Metellus damnati sunt ob rem fortiter, quamquam iusto crudelius, gestam contra partes Gracchanas: namque unus Opimius tria millia civium iudiciaria inquisitione occidisse perhibetur apud Augustinum C. D. III, 24. A. M.

15. *Principum caedes, vel eorum multorum pestes.* Habes enumerationem eorum, qui qualicumque modo vel seditionibus vel factionibus sive patria pulsi sive ad perniciem acti sunt. Vnumquodque exemplum inducitur particula *vel*; solum illud, quod dicitur *principum caedes*, ea caret, neque etiam aliud quidpiam narrat, nisi quòd statim subsequitur, *vel eorum multorum pestes*, etc. Mihi quidem veri videtur simillimum, verba *principum caedes* e margine, ut explicationem illorum, fuisse adscripta, indeque in orationis seriem esse recepta: praesertim quum singulari usu *pestes* h. l. ponatur, plurali numero, pro *interitu*. Mr. — Fortasse tamen ista verba ita defendi possunt, ut *principum caedes* per ἐπεξήγησιν accipias, ac de optimatium nece, a Mario post reditum irrogata; verba autem *eorum multorum* ad multa illa millia referas, quae a Sulla deinde quum in bello, tum inermes occisa sunt. Aut excidit *vel* ante *principum?* Cr.

16. *Quae... sequutae sunt.* Intellige clades Syllae, Catulli, Lepidi, Sertorii, etc. Exin Cicero ad loquendum de proprio consulatu transit, quod facit etiam pro Mil. 3 et 30, postquam Ahalae, Nasicae, Opimii, Mariique, ut hic, nomina commemoravit. Consulatum decimo anno ante hoc opus de Rep. scriptum Cicero gessit. A. M.

17. *Amantius.* In his amicis admonitoribus erat Atticus. Cic. ad Att. II, 19: *dices fortasse, dignitatis ἄλις, tamquam δρυός; saluti, si me amas, consule.* In primis vero Quintus frater. Cic. de Or. III, 4: *mihi sententia saepe tua vera ac sapiens videri solet,*

ipsi discendi, aut visendi causa maria tramittant [18]
. . . . . [19]

IV..... salvam [1] esse consulatu abiens in concione, populo romano idem iurante, iuravissem, facile iniuriarum omnium compensarem curam et molestiam. Quamquam nostri casus plus honoris habuerunt, quam laboris; neque tantum molestiae, quantum glo-

*qui me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti.* Ceteroqui Brutus ep. 17, gloriationem Ciceronis timiditatemque simul obiurgat. A. M.

18. *Tramittant.* Ita cod. Docet autem Longus pag. 2228 hoc verbum ab aliis plene poni, ab aliis lenitatem intuentibus minui; nempe dici *transmisit* et *tramisit*. A. M. — *Tramittant.....* Finit Villem. hanc periodum ita, ut addat: *s'étonnent de voir braver de plus grands périls pour servir la patrie:* additque non esse difficile ad coniiciendum, quid in hac parva duarum paginarum lacuna intercíderit. Ciceronem existimat pergere in disputando, quanti sit habendus animus pro patria cuncta et facere et perferre paratus, cuius ipse satis ampla ediderit specimina: quantum praestet illud studium ceteris, quibus homines trahantur: quantos sibi honores decreverint cives grati, quam honorificum fuerit de se consulatu decedente populi iudicium; cuius sententiae vestigia supersunt in verbis, a quibus proximum, quod sequitur, fragmentum incipit. Ms. — An haec Cicero ad Atticum refert, qui adolescens Athenas olim concesserat causa obsequendi studiis suis, ut loquitur Nepos? Sic idem Cicero Acad. I, 2: *meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, id est*, etc. An potius philosophorum, sapientiae acquirendae causa, peregrinationes et labores narraturus erat? Sane de Fin. V, 29: *cur Plato Aegyptum peragravit? etc. Cur Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria transmisit?* Quae sunt quodammodo politicae huius lacunae supplementa. Sic loquitur Hieronymus ep. LIII, 1, de itineribus Platonis, Apollonii, et aliorum eruditionis causa. Sed enim hoc politico loco vox *ipsi* fortasse refertur ad Romanos Ciceronis admonitores: nisi forte sequebatur *philosophi*. Iam in sequenti hiatu quid amiserimus, ex utriusque limitis vestigiis haud obscure cognoscitur. A. M.

19. Desiderantur paginae duae.

IV. 1.... *Salvam*, etc. Quaenam huic loco in lacuna praecesserint, docet fere Cicero in Pis 3: *ego quum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram, quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, remp. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quam meum iusiurandum, tale atque tantum, iuratus ipse una voce et consensu approbavit.* Eadem narrat Cic. ad Fam. V, 2. A. M.

riae; [2] maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex laetitia improborum dolorem. Sed si aliter, ut dixi, [3] accidisset, qui possem queri, quum mihi nihil improviso, nec gravius, quam exspectavissem pro tantis meis [4] factis, evenisset? Is enim fueram, cui [5] quum liceret aut maiores ex otio fructus capere, quam ceteris, propter variam [6] suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixeram; aut si quid accideret acerbius universis, non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae conditionem subire; non dubitaverim me gravissimis tempestatibus, ac

2. *Neque tantum molestiae, quantum gloriae.* Non possum, quin verba haec mihi aliquantum suspecta esse profitear. Quo enim diutius considero locum, eo magis videntur supervacanea. Amat quidem Noster copiam quamdam et variationem sermonis; neque vero Hebraeorum poëtarum modo eadem, quae in priore versiculi parte dixerat, in altera aliis quidem verbis, sed eodem plane sensu recinit. Quid autem, quaeso, interest hoc loco inter *honorem* et *gloriam?* quid inter *laborem* et *molestiam?* nisi quod alterum quodque prioris interpretatio, eaque plane otiosa, esse videtur. Egregiam contra dilatationem primi membri (*quamquam... laboris*) habent verba *maioremque... dolorem*, quibus nihil est Cicerone dignius. Ad rem facit de Or. III, 4, 14, *summi labores nostri magna compensati gloria mitigantur.* Ma.

3. *Ut dixi.* Periit id dictum in lacuna. Confer autem post red. in sen. 14. A. M.

4. *Pro tantis meis*, etc. Consulatus sui facta narravit Cicero commentario graeco, quem latinum quoque perficere cogitabat ad Att. I, 19, 20: tum poëmate ad Att. I, 19; ad Fam. I, 9; quod poëma Ambrosiano Tullii interpreti ad Planc. 30, 2, videbatur minus dignum talis viri nomine: tum longa epistola ad instar voluminis ad Pompeium, ut ait idem Ambrosianus vetus interpres ad Planc. 34. Praeterea non sine eiusdem, ut puto, hortatu de consulatu illo scripsit Atticus commentarium graecum, qui non satis ornatus Ciceroni visus est, ad Att. II, 1. Denique Luceius historicus Ciceronis precibus exoratus idem argumentum se tractaturum recepit ad Fam. V, 12; ad Att. IV, 6. De aliis, quos Cicero sperabat super suo consulatu scripturos, vide ad Att. I, 20. Multa de consulatu suo dicturum fuisse denuo Ciceronem in latina, quam moliebatur, historia, cognoscimus ex primo de Leg. cap. 3. A. M.

5. *Is enim fueram, cui quum liceret... non dubitaverim.* Paullo rarior est haec constructio, pro *qui, quum ei* v. *mihi* liceret, etc. Ma.

6. *Propter variam suavitatem.* Nonnemo, credo, exspectaverit *variorum*, ut ad *studiorum* referatur. Sed ut a corrigendo abstineam, facit tum minus gratus auribus sonus, tum vero

Digitized by Google

paene fulminibus[7] ipsis obvium ferre, conservandorum civium causa, meisque propriis periculis parere

ipsius Ciceronis locus de Fin. II, 3, 10, ubi est: *Varietas... latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia: varium poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna. Voluptas etiam varia dici solet, quum percipitur e multis dissimilibus rebus, dissimiliter efficientibus voluptates.* (Vbi conf. Goerenz. pag. 125, 126). Et eodem certe iure, similique sensu *suavitatem* h. l. *variam* dici posse, quis negaverit? Ceterum *varius* graeca vox est a βαλιός. Mr.

7. *Ac paene fulminibus.* Ita primo statim obtutu legendum censueram, neque me poenituit eius suspicionis postquam A Maii notulam in Additamm. legi, qui favere dicit lectioni *fluminibus* vulgare proverbium et sacri Ecclesiastici (4, 32) locutionem. Egregie vero a viro doctissimo in subsidium vocatur versio Bibliorum vulgata, ubi haec est elegans latinitas: *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Neque melius fulcit illam lectionem tritissimum istud proverbium *adverso flumine natare* v. *contra torrentem niti* (de quo v. Erasmi et all. Adagia p. 529), quum nihil fere illa habeat, quo se commendet. Nam primum voce *paene* gradationem significat, quasi dicat obviam se ferre tempestatibus difficile est, neque cuiusvis; sed fulminibus etiam sese opponere, maius. Tum vero vox *ipsis* certissimam facit nostram lectionem: significat enim i. q. ac paene fulminibus tempestatum v. fulminibus, a quibus vel ii sibi cavere solent, qui tempestatibus se obvios ferunt. Laudare etiam, si res posceret, possemus Cic. Philipp. V, 6, 15, p. 115 sq. ed. Wernsd. *En causam, cur lex tam egregia, tamque praeclara, maximo imbri, tempestate... inter fulmina et tonitrua ferretur.* Vbi de vera quidem *tempestate* loquitur, et ad augendam rem *fulmina* addit, tempestatis comites. De se ipso autem loquens dicit Tuscull. II, 27, 66: *Non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunae contemnamus.* Schutzius cum rell. recepit *fulminibus*, additque: Equidem si Cicero metaphoram sumpsisset a tempestate maritima, pro *fluminibus* mallem *fluctibus*. Sed si ad procellam ac tonitrua in itinere terrestri respexit, utique praestat *fulminibus*. — Et praefert *fluctibus* Censor Lips. l. c. n. 7, quum a pr. m. fuerit *fluminibus*. Poterat laudare in suam rem duo insignia Ciceronis loca, quae admodum favent coniecturae Schutzii. Prior est pro Milone, 2, 5: *Equidem ceteras tempestates et procellas, in illis dumtaxat fluctibus concionum, semper putavi Miloni esse subeundas.* Posterior pro Planc. 4, 11: *Nostrum est autem, qui in hac tempestate populi iactamur ac fluctibus, ferre modice populi voluntates.* Mr. — Cf. Annall. literarr. Heidelbb. ubi item *fulminibus* conieceram. At Villem. nil monito lectore vertit: *Et n'était-ce pas volontairement que j'avais couru au-devant des plus terribles tempêtes et des fleuves débordés.* In libr. de Legg. I, 7, p. 53 ed. Mos. et nostr. Cod. Monac. vice versa dat *fulminum* pro *fluminum*. Cr. — Beierus in libro qui inscribitur *Archiv fur Philol. und Padag.* I, 3, pag. 509, *fluctibus* praefert, quum in versione huius proœmii germanica scripserit: *Sturmen und fast Wogen.* Mr.

commune reliquis otium?[8] Neque enim hac nos patria lege genuit, ac educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret[9] a nobis, ac tantummodo nostris ipsa

8. *Non dubitaverim... otium.* Hinc Capito apud Senecam Controv. III, 17: *Romulus horum moenium conditor, et sacratus caelo parens, non tantam urbem fecit, quantam Cicero servavit.* Confer Cic. in Cat. III, 1. Ceterum Sallustius apud Quintil. IX, 3, post med. Ciceronem amara ironia dicit *Romulum Arpinatem.* Sed amanter Plinius VII, 30: *salve primus omnium parens patriae appellate.* Tum Iuvenalis VIII, 244: *Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.* A. M. — Wolfius l. c. pag. 47: » Hoc loco primum *cui* in *qui* mutandum videtur. Nescio enim, unde *dubitaverim* pendere possit. *Licet* autem non raro absolute poni, si persona facile suppleri possit, lexica iam docent (pronomen *qui* ex superioribus *cui quum liceret* facile subaudiri potest, quasi dictum sit, *qui, quum mihi liceret.* T.). In ipsa germanica translatione pronomen demonstrativum seu personale, si omitteretur, non desiderares. Tum *fluctibus* pro *fluminibus*, cuius loco *fulminibus* secunda manus praebet, scribendum puto. (Improbante Censore huius libelli in Bibl. Crit. Seebodii 1825, in-4, pag. 444-447, qui laudat Liv. XLV, 41 princ. ubi est *fulmen* pro *calamitas.*) *Tempestas* enim et *fluctus* saepissime a Cicerone coniunguntur, atque calamitatem a Clodio sibi inflictam cum *fluctibus* comparare solet, qui per ipsum a communi peste depulsi in se redundarint. Vid. de Orat. I, 1. Verbum *fulmen* non sine adiecto genitivo rei, cui fulmen inest, a Cicerone usurpatum videtur: ut *fulmen imperii, fulmina doloris*, etc. (Compensatur iste genitivus addito *ipsis.*) *Flumen* autem ea, quam hic habere deberet, significatione apud Ciceronem nusquam legitur. « Nihil his addimus post ea, quae diximus ad locum ipsum in annotationibus nostris. — Ianus Bakius in censura editionis Heinrichianae (Bibl. Crit. Nov. I, p. 145) unice probat *fluctibus*, laudatis locis Ciceronianis de Or. I, 1; in Pison. 29; pro Milon. 2; quorum tertium nos quoque adhibuimus. Neque ego adversor, si quis nostrae emendationi hanc praetulerit. A. M. in Add.

9. *Nulla quasi alimenta exspectaret.* Adnotandus est singularis plane vocis *alimenta* usus in aliis scriptoribus nondum, quod sciam, repertus, in reliquis Ciceronis libris non obvius. Est enim i. q. graecum τροφεῖα, merces educationis, sive quod nutritionis causa rependitur; quod vocabulum Vlpianus in Pandect. lib. L, tit. XIII, leg. I, 14, voce *nutricia* reddit. Ibi enim ille: *Ad nutricia quoque officium praesidis vel praetoris devenit: namque nutrices ob alimoniam infantium apud praesides, quod sibi debetur, petunt.* Noster quum latinam linguam carere vidisset vocabulo, quod τροφεῖα accurate exprimeret, addito *quasi* abusum verbi *alimenta* excusare studuit. (Hoc non sensisse videtur Beierus vertens: *keinen Pflegelohn gleichsam von uns erwarten.*) Ita etiam paullo superius (c. 3) voce *pestes* pro *caedes* s. *interitus* usus est, cuius usus plane simile exemplum vix repertum iri credo; quamquam hoc non moveor, ut vel corruptum locum

commodis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum; sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur; tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset, remitteret. [10]

V. Iam [1] illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda; quum ita dicunt, accedere ad

vel spurium existimem. Mn. — Colorem duxit Tullius a Platone de Rep. VII, pag. 519 sq. pag. 336 Bekkeri, ubi hoc ipsum vocabulum τροφεῖα legitur. De hoc conf. Valkenarius ad Eurip. Phoeniss. v. 45. Similiter θρεπτήρια Graecis usitata. Est tamen, ubi significat *nutrimentum*, ut in Sophoclis Oedipo Coloneo, vers. 1263, νηδύος θρεπτήρια, ubi cf. interprr. similiter atque vox τροφεῖα ibid. vs. 341. Ex hoc usu graecae vocis θρεπτήρια duplici videtur Ciceronis ille usus fluxisse. Tenendum insuper hoc, *nutricium* esse proprie idem quod *nutricatio*. Vid. v. c. Senec. Consol. ad Helv. cap. 17: *illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger convalui*. Villem. vertit: *pour n'avoir à espérer aucun retour de notre part*. Cn. — Exstat vero super hac re prolusio B. Bendtsenii, bonae frugis plena, quae inscribitur Θρέπτρα Graecorum, Havniae 1812, 29 pp. ubi p. 5 laudatur locus Iliad. Δ, 477: οὐδὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, quem imitando expressit Valer. Flacc. Argon. VI, 570 sq. *nec reddita caro nutrimenta patri*. Mn.

10. Haec esse a Platone monet Cicero de Off. I, 7, § 22. Locum citat e I de Rep. Nonius voc. *pigneraretur*. Eumdem se legisse satis significat Nectarius doctus ethnicus apud Augustinum ep. XC et CIII; immo id affirmat Augustinus, ep. XCI, ad eum scribens: *intuere ipsos de Rep. libros, unde illum affectum amantissimi civis cbibisti*. Locum imitatur etiam Lucanus II, 382: *patriaeque impendere vitam... Nec sibi sed toti genitum se credere mundo*. De patriae caritate eximia est sententia apud Platonem Reip. IX, p. 575, itemque apud Plut. an seni sit ger. resp. t. IX, pag. 466, Cretensium videlicet effatum, qui patriam μητρίδα καὶ πατρίδα appellabant, ut eam amore utrique parenti debito colendam esse suaderent. Hinc Cicero Off. I, 17: *omnes omnium caritates patria una complexa est*. Mn.

V. 1. *Iam illa. Iam* in periodi principio transitioni inservire et idem fere esse, quod *tum, porro, praeterea*, et notissimum est et monuerunt permulti: sed ideo tantum verbo rem attingimus, quia Facciolatus in Lexico t. II, p. 458, ait, *iam primum* esse i. q. *primum*, laudatque Terent. Adelph. III, 2, 40; Liv. I, 1, quocum facit Ernestus (*Lat. Synonymik* t. II, p. 139) laudato Sall. Catil. 15: *Iam primum Catilina adolescens multa infanda fecerat*. In his enim et innumeris aliis locis *iam* minime est supervacaneum, sed a praecedentibus

rempublicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere autem, multitudine praesertim incitata, miserum et periculosum sit: [2] quamobrem neque sapientis esse accipere habenas, [3] quum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit, neque liberalis, cum impuris atque immanibus adversariis decertantem, vel contumeliarum verbera subire, [4] vel exspe-

ad sequentia quasi transitum munit. Cf. ut unum addam, nostrum infra I, 28 extr. Mn.

2. *Comparari sordidum, confligere ... miserum ... sit.* Symmachi consularis et romanae urbi praefecti memorabilem sententiam legimus ep. X, 23: *amabile est praeesse civibus, sed placere difficile.* A. M.

3. *Sapientis esse accipere habenas.* Controversiam, utrum sapienti sit gerenda respub. attingit etiam Aristoteles Reip. VII, 2. Eamdem prolixe versat, atque in sententiam Ciceronis concedit Themistius in oratione adversus eos, a quibus ob praefecturam susceptam vituperabatur. Ipse Cicero ad Att. II, 16, hac super re contrarias memorat Dicaearchi et Theophrasti opiniones, quorum ille τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponebat, hic autem τὸν θεωρητικόν. Socraticorum Aristippi et Antisthenis, quorum prior fugiendam, alter administrandam sapienti aiebat esse remp. scribit Augustinus, C. D. XVIII, 41. Ceteroqui apud Laertium II, 5, 14, ipse Socrates otium rerum omnium pulcherrimam esse statuit. Peripateticis vitae degendae quietam rationem sapiente dignissimam visam esse, quia deorum vitae sit simillima (quare et Epicurus providentiam sustulit, ut deum otiosum faceret) docet idem Cicero de Fin. V, 4; qui tamen IV, 2, 3, et de Divin. II, 1, et Acad. IV, 36, ait multos Peripateticos de capessenda rep. scripsisse, eorumque praeceptis politicis claros viros instructos, magistratibus bene esse perfunctos. Tulliani huius proœmii controversiam, eiusque confirmationes et ἐνστάσεις operae pretium erit cum Platonis sexto de Rep. libro conferre, ad quem Cicero respexisse videtur. Legatur etiam Plutarchus de Stoicorum repugnantiis. A. M.

4. *Contumeliarum verbera subire.* Poeticam fere hanc locutionem esse, quisque videt; neque eo tantum, quod dixit Noster *verbera subire*, ut est apud Ovid. Amor. I, 13, 18: *Vt subeant tenerae verbera saeva manus*; et apud Horat. Serm. I, 3, 120 sq. *Nam ferula ut caedas meritum maiora subire Verbera*: nam Plinius quoque ita loquutus est H. N. XX, 13, 49, pag. 206 Hard. *Aiunt verbera subituris potum ex vino duritiam quamdam contra sensum inducere*; sed quod composuit *contumeliarum verbera*. Facile igitur aliquis, cui in mentem venerit loci Cic. Philipp. XI, 12: *quum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quaestionem habuit*: facile, inquam, in animum inducat legendum esse *contumelias verborum*

ctare sapienti non ferendas iniurias : [5] proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad rempublicam adeundi causa iustior, quam ne pareant improbis, neve ab iisdem [6] lacerari [7] rempublicam patiantur, quum ipsi auxilium ferre si cupiant, non queant.

VI. Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod negant, sapientem suscepturum ullam reipublicae partem, extra quam [1] si eum tempus et necessitas

*subire*; praesertim quum Cicero eodem illo loco, ut semper alibi, voce *verber* proprio huic vocabulo utatur sensu. Sed nihil plane est mutandum. Nam primum Cicero non dicturus fuisset *vel contumelias verborum subire*, sed *vel verborum contumelias subire*; deinde idem dixit isto loco *lacerare contumeliis*; denique aeque audaci metaphora dixit de Orat. II, 55, 222: *in quo nulli aculei contumeliarum inerant*. Ma.

5. *Sapienti non ferendas iniurias.* Vtile erit, hac super re librum Senecae lectitare, *quod in sapientem non cadit iniuria* s. de constantia sapientis. A. M.

6. *Neve ab iisdem.* Correxit Schützius nihil monens *neque ab iisdem.* Qua correctione non est opus. Nam aliud quid facit, qui *paret improbis*, i. e. eorum voluntati obsequitur, aliud, qui *patitur* tantum *ab iis lacerari rempublicam.* Commode igitur distinguendi particula usus est Noster, neque coniungendi et continuandi. Ita apud Nostrum saepissime *ne . . . neve* se excipiunt, v. c. de Amic. 18: *primum ne quid fictum sit, neve simulatum.* Conf. Cort. ad Sallust. Catil. 34, 2, pag. 208 sq. Wyttenbach. ad Cic. de Legg. II, 8, 19, p. 203 ed. nostr. et Cr. Ma.

7. *Quam ne pareant improbis, neve ab iisdem lacerari rempublicam*, etc. Bona est in primis et Platonica (Reip. I, p. 347) capessendae reip. causa haec, qua neglecta homines egregii haud raro habenas deterioribus permiserunt cum publico incommodo. Quare et Augustinus, C. D. IV, 15, ait: *peius esset, ut iniuriosi iustioribus dominarentur.* Tum V, 19: *illi, qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis, quam si deo miserante habeant potestatem.* Cicero de Off. I, 21: *iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerundarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus et gerenda respublica est.* Confer Cassiodorum Var. II, 2. Cato minor, ut improborum potentiae resisteret, tribunatum affectavit. Plut. in eo cap. 20. A. M.

VI. 1. *Extra quam.* Hanc exceptionis formulam nonnisi ter, semper voce *exceptionis* praecedente, a Cicerone usurpatam esse reperio: videlicet de Invent. I, 33, 56, *et addat exceptionem hanc: extra quam si quis reipublicae causa exercitum non tradiderit*: de Invent. II, 20, 59, *postulat .... a praetore exceptionem, extra quam in reum capitis praeiudicium fiat*: et ad Att. VI, 1: *habeo exceptionem ....*

coegerit? quasi vero maior cuiquam necessitas accidere possit, quam accidit nobis; in qua quid facere potuissem, nisi tum consul fuissem? [2] consul autem esse qui potui, [3] nisi eum vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem, equestri loco natus, pervenirem ad honorem amplissimum? Non igitur potestas est ex tempore, [4] aut quum velis, opitulandi reipublicae, quamvis ea prematur periculis, nisi eo loco sis, ut tibi id facere liceat. Maximeque hoc in hominum doctorum oratione [5] mihi mirum videri solet, quod qui

*extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona.* Conf. Drakenborch. ad Liv. XXVI, 34, p. 382 ed. Stuttg. ibique laud. Brisson. de Form. V, 404. Ex illa igitur formula iudiciali noster quoque locus explicandus erit, ut sit *extra quam* i. q. *praeter quam*. Ma.

2. *Consul fuissem.* Notissimum est, consulatum concordibus optimatium plebisque suffragiis idcirco potissimum Ciceroni homini novo fuisse mandatum, quia fervente Catilinae coniuratione, necesse erat virum egregium in reip. specula collocare. Lege Sallustium Cat. 23; Plutarchum in Cic. 11, 12. Verum tamen Augustinus contra Acad. III, 35, sic Ciceronem alloquitur: *si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare remp. quia Epicuro visum est non esse faciendum.* A. M.

3. *Consul autem esse qui potui.* Ne quis cogitet de emendando, ut videlicet Ciceronem recentiorum hominum more scripsisse existimet *potuissem*. De illa constructione optimo cuique scriptori in simili sententia usitata nuper disputavit G. Stallbaum. ad Ruddimanni Institt. Gramm. Lat. II, p. 378 sq. qui *indicativum* in eiusmodi structura *veritatem subiectivam* indicare ait, itemque *indicativum* verborum *posse*, *debere*, *oportere*, *satius*, *melius*, *aequius esse*, itemque gerundivorum in *dus* cum *esse* coniunctorum simili modo explicandum videri. Quae verba (in fine addit St.) cur ita poni soleant, ut subiectivae veritatis ubique fiat significatio, altioris est indaginis, quam ut hoc loco explicari possit. Et indagavit nunc acute et accurate A. G. Gernhardus in Progr. quod nuperrime scripsit de Latinorum indicativo et Germanorum coniunctivo in usu verborum *debere*, *melius*, *aequius esse*, aliorum huius generis (Commentatt. Grammat. Particul. III) Vimariae 1824, in-4, pp. 16. Ma.

4. *Ex tempore.* Ita recte edidit A. Maius, ut patet ex subsequentibus. Nam quod ab altera manu scriptum videtur *in tempore*, esset ἐν καιρῷ, εὐκαίρως, opportune; sed vult ἐκ τοῦ παραυτίκα, ἐκ τοῦ παραχρῆμα. Ita Noster de Orat. III, 50, 194: *versus hexametros fundere ex tempore.* Conf. orat. pro Arch. poet. c. 8. Ma.

5. *In hominum doctorum oratione.* I. e. in philosophorum de republica disputationibus. Hoc sensu dicit Noster *homines doctos* et alibi et de Legg. I, 10, 28, pag. 73 sq. ed. nostr. et Cr. ubi v. annot. nostr. ubi pro *ora-*

tranquillo mari [6] gubernare se negent posse, quod nec didicerint, nec unquam scire curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus. [7] Isti enim palam dicere, atque in eo multum etiam gloriari solent, se de rationibus rerumpublicarum aut constituendarum aut tuendarum, nihil nec didicisse umquam, nec docere; earumque rerum scientiam non doctis hominibus [8] ac sapientibus, sed in illo genere exercitatis concedendam putant. Quare qui convenit polliceri operam suam reipubli-

*tione* est *disputatione*. Sed *oratio* eodem sensu ter scribitur supra, cap. 2. Mr.

6. *Tranquillo mari ..... excitatis fluctibus.* Ita noster in principio libri, eadem metaphora usus, de Catone dixit: *in his undis et tempestatibus ... maluit iactari*; et de se ipso cap. 4: *non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus ipsis obvium ferre*: qui locus propius ad nostrum accederet si legeremus cum censore Lips. *fluctibus*. Quod cur non placeat, dixi ad eum locum. *Fluctus excitare* Noster etiam dixit in proverbiali locutione *fluctus in simpulo excitare*, de Legg. III, 16, 36, pag. 449 sq. ed. nostr. et Cr. q. v. coll. p. 733. Omisit Beierus in versione haec omnia: *quod nec didicerint, nec umquam scire curaverint.* Mr.

7. *Excitatis maxime fluctibus.* Hac super re suo more divine disserit, et cum Cicerone consentit, conficta etiam navis imagine, Plato Reip. VI, pag. 487—489, qui rebus publicis omnino praeesse vult doctos philosophos, non homines aliis forte dotibus praeditos, sed ingenio et doctrina carentes. Praeclare et Proclus, quem nos luce aliquando impertiemur, ad Platonis Reip. librum X: παιδείας λυθείσης ἡ συμφωνία λύεται· καὶ ταύτης λυθείσης τῆς πολιτείας γίγνεται λύσις· ἐκ τούτων ἄρα δῆλον, ὅτι τοῖς οὐκ εὐφυέσιν ἄρχεσθαι μᾶλλον ἢ ἄρχειν εὐτυχέστερον· ὅπως μὴ καὶ ἑαυτοῖς τοῦ μὴ ἐπιδοῦναι καὶ ἄλλοις τοῦ κακυνθῆναι γένωνται πατέρες. Iam et stultam eam opinionem, quod homini politiae ignaro gubernare liceat remp. peracute refellit Socrates apud Xenophontem Memorab. IV, 2. Cicero tamen pro Plancio, 25, more vel Academico vel oratorio: *virtus*, inquit, *probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Quotus enim quisque disertus? quotus quisque iuris peritus est?* Non tamen agit hoc loco orator de summo magistratu reip. sed de infimo, id est, de aedili Plancio. Alioqui non solum sibi ipsi, sed communi adversaretur sensui Cicero. A. M.

8. *Doctis hominibus*, etc. Commodum erit Ciceronis locum conferre de Or. III, 33, ubi summos homines sapientissimosque memorat qui romanae reip. praefuerunt. Sublimis item est sententia Porphyrii ad Marcellam, cap. 16: μόνος ἱερεύς ὁ σοφός, μόνος θεοφιλής, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι. A. M.

cae tum denique, si necessitate cogantur, quum, quod est multo proclivius, nulla necessitate premente, rempublicam regere nesciant? [9] Equidem, ut verum [10] esset, sua voluntate sapientem descendere ad rationes civitatis [11] non solere; [12] sin autem temporibus coge-

9. *Regere nesciant.* Cum Ciceronis sententia conspirat ad amussim Damascius apud Photium cod. CCXLII, pag. 1073, qui locus emendatior cumulatiorque apud Suidam voc. Οὐλπιανός ita se habet: οἱ ἐν γωνίᾳ καθήμενοι λόγιοι καὶ φιλοσοφοῦντες πολλὰ μάλα σεμνῶς περὶ δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, ἐκβαίνειν ἐπὶ τὰς πράξεις ἀναγκαζόμενοι, ἀσχημονοῦσιν· ὡς ἅπας λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν. A. M.

10. *Vt verum esset.* Rarior hic usus est et observandus; cuius tamen non desunt exempla apud Nostrum: v. c. de Natur. Deor. II, 33, ubi vid. nostras notas p. 342 ed. mai. p. 129 sq. ed. min. de Divin. I, 6, II, 14, ubi vid. Hotting. Tusc. I, 39, in primis vero de Legg. I, 14, 40, ib. nostr. annot. pag. 98. Cf. etiam Ern. in Cl. Cic. et Gronov. Observatt. III, 6. Sensus est: *Fingit hoc esse verum*, v. *etiamsi verum esset.* Tenendum etiam imperfecto conj. uti nostrum ad declarandum, hanc non suam esse sententiam eamque a se non probari. Cuius usus quum sint exempla innumera, nullum adscribere lubet. Ma.

11. *Descendere ad rationes civitatis.* Offendit primo adspectu vox *rationes*, facileque inducatur aliquis, considerans verbum *descendere*, quod proprie coniungitur cum vocibus *in certamen* (Tusc. II, 26, 62), *in dimicationem* (ad Herenn. IV, 42, 54); inducatur, inquam, ut coniiciat *factiones.* Sed adversante re ipsa id faceret, quod patet ex antecedentibus iisque, quae statim subsequuntur. Probam autem esse locutionem *descendere ad rationes civitatis* vides ex locis, qualis sunt haec: pro Rosc. Amer. 51, 149: *Fori iudiciique rationem Messalla suscepit.* Plin. Epist. X, 40: *descendas oportet ad meas curas.* Cic. de Orat. I, 59, 252: *ad iuris ciuilis perdiscendi occupationem descendere*: et infra de Rep. I, 8: *rationes rerum ciuilium.* Ma.

12. *Non solere.* Proclive est corrigere *debere* pro *solere*, quia significatur placitum s. decretum vel praeceptum scholae v. sectae philosophicae, cui adversatur Cicero probans *debere* unumquemque, et sapientissimum quemque maxime, patriae *quasi alimenta* (τροφεῖα) persolvere, ideoque ad rempublicam accedere. Sed optime se habet illud *solere.* Philosophi enim in scholis, sapientis omnibus numeris absoluti quasi imaginem effingentes et describentes, huic non praecepta dabant, quae sequeretur: praeceptis cui opus esset, is nondum in sapientibus ponebatur: sed tali viro ad imitationem proposito exponebant, quomodo in quocumque vitae statu se esset gesturus; igitur quid facere *soleret* explicabant, ut haberent sapientiae studiosi, quod sequerentur. Hoc Graeci exponebant futuro tempore utentes v. c. μὴ δοξάσειν τὸν σοφόν, non *opinaturum* sapientem; οὐδ' ἐν ἐρήμῳ βιώσεται ὁ σπουδαῖος, neque in solitudine *vivet* sapiens. Eodem modo Latini utebantur futuro, ut capitis nostri

Digitized by Google

retur, tum id munus denique non recusare: tamen arbitrarer, hanc rerum civilium minime negligendam scientiam sapienti,[13] propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando uti necesse esset.

VII. Haec plurimis a me verbis dicta sunt[1] ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de republica[2] disputatio;[3] quae ne frustra haberetur, dubitationem ad rempublicam adeundi[4] in primis de-

initio, pag. 19: *sapientem suscepturum ullam reipublicae partem*: vel verbo *solere*, ut nostro loco. Mn.

13. *Minime neglig. ... sapienti.* Nimirum etiam Plutarchus inter reip. gerendae praecepta, t. IX, pag. 189, hoc ponit, ut ne in remp. subito et temere, tamquam in puteum, ruamus, sed ad eam parati pedetentimque accedamus. Confer Cassiod. Var. I, 4. A. M.

VII. 1. *Haec plurimis a me verbis dicta sunt.* Offendit superlativus *plurimis*. Neque in subsidium vocari possunt loca, qualis est de Orat. I, 33, 150: *Caput autem est quam plurimum scribere.* Primum enim additur *quam;* deinde est praeceptum, quo, qui orationis facultatem comparare sibi velit, *quam plurimum* scribere iubetur: neque aliter res se habet in alio praecepto de Invent. I, 18, 25: *Exordium sententiarum et gravitatis debet plurimum habere .... splendoris minimum.* Sed solet Noster tali in locutione, ut optimi plerique, uti comparativo, quem rei accommodatiorem esse quilibet, opinor, mecum sentit. Superlativum si posuisset, significaret, satis se scripsisse, neque esse, cur quisquam plura desideret; comparativo significat id, quod vult; videlicet, ne quis credat iusto longius esse proemium; quia consilio suo breviori exordio satisfacere non potuerit. Malim igitur: *haec pluribus a me verbis dicta sunt.* Ita Noster pro Cluent. 41, 115: *quoniam apud homines peritissimos dico, pluribus verbis docere non debeo.* Phaedr. III, 10, 59 sq. *Haec exsequutus sum propterea pluribus, Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.* Corn. Nep. Att. 21, 5: *nihil necesse est pluribus verbis commemorare.* Ex quibus Phaedri locus maxime facit ad nostrum propositum. Mn.

2. *Mihi de republica.* Notemus verum operis titulum, qui quidem in Vaticani palimpsesti membranis passim elucet, et ab ipso Cicerone aliis in scriptis nec non a multis auctoribus confirmatur: quamquam id opus diversis quoque aliquoties nominibus appellatum fuit, ut collecta a nobis testimonia auctorum demonstrant. A. M.

3. *Disputatio*, i. e. expositio v. commentatio theoretica. Quod vero nos *disputationem* dicimus, Ciceroni est *disceptatio.* Cn.

4. *Dubitationem ad rempublicam adeundi.* Elegans est breviloquentia pro: dubitationem s. quaestionem, utrum ad rempublicam sit adeundum. Similis est in or. pro Caecin. 4, 9: *sive iuris dubitatio* (i. e. dubitatio po-

bui tollere. Ac tamen [5] si qui sunt, qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper, [6] atque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud doctissimos homines, et gloria: quos ego existimo, etiam si qui ipsi rempublicam non gesserint, tamen, quoniam de republica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo reipublicae [7] munere. Eos vero septem, [8] quos Graeci sapientes nominaverunt, omnes paene video in media republica esse ver-

nes quem sit ius) *tardiores* (vos) *fecit adhuc ad iudicandum.* Mr.

5. *Ac tamen.* Ita solet Noster dicere pro *sed tamen* in tali nexu. Quare ne quis legi velit *attamen*, conferat Cic. de Fin. II, 27, 85: *ac tamen, ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam:* ibique legat egregiam Gœrenzii notam, pag. 250 sq. Mr.

6. *Parumper.* Tenendum discrimen inter *parum* et *parumper.* Illud significat *non satis*, hoc *aliquantum*, vel *certe quantum satis est.* — Haec dicit reputans plerosque tum temporis Romanos Epicureos esse, in his Atticum etiam, qui eam ipsam ob causam rempublicam numquam attigit: hisque eum verbis leviter videtur tangere. Cr.

7. *Aliquo reipublicae munere.* Villem. existimat hunc locum obversatum esse Senecae, quum tertium libri de Tranquillitate animi caput scriberet: quem sane cum nostro comparare loco operae pretium est. Ad constructionem memorabilis est huic similis, et tamen valde diversus, locus in Verr. act. II, leg. III, 86, 199, *quid..... ipsum.... muneris in republica* (Victor. *rempublicam*) *fungi ac sustinere velitis.* Noster infra cap. 17, *muneris fungendi gratia.* Mr. — Puta Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Crysippum, aliosque multos politiae scriptores, qui nullum fere publicum munus gesserunt. Plato noluit attingere remp. quia videbat se contra civium suorum vitia frustra pugnaturum, uti observat Cicero ad Fam. I, 9. Sic demum ipse Cicero ad Varronem (ad Fam. IX, 2) scribens, postquam dixit se et scribere et legere πολιτειας, addit: *et si minus in curia atque in foro, at in literis et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, iuvare remp. et de moribus ac legibus quaerere.* Sic fere loquitur Cicero etiam de Divin. II, 2, aliisque in locis. Cum Cicerone tantopere conspirat Seneca de Tranquill. cap. 3, ut hoc politicum proœmium prae oculis habuisse videatur. A. M.

8. *Eos vero septem.* Hos omnes, praeter Milesium Thaletem, civitatibus suis praefuisse dicit Cicero de Or. II, 34. E septem unum Solonem leges scripsisse observant idem Cicero ep. ad Brut. 15, et Augustinus C. D. XVIII, 25. De his sapientibus deque multorum philosophorum magistratibus gestis legatur Themistii oratio de praefectura suscepta. A. M.

satos. Neque enim est ulla res, [9] in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas, aut conservare iam conditas.

VIII. Quibus de rebus, quoniam nobis contigit, ut iidem et in gerenda republica aliquid essemus memoria dignum consequuti, et in explicandis rationibus rerum civilium quamdam facultatem non modo usu, sed etiam studio discendi et docendi essemus ..... auctores; [1] quum superiores alii fuissent in disputatio-

9. *Neque enim est ulla res*, etc. Cicero pro Lig. 12: *homines ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.* A. M.

VIII. 1. *Essemus .... auctores.* Ita cod. At Moser malit *essemus adepti*, qui lectionis suae hanc dat rationem: Ita scribendum esse conieci ad Cic. de Legg. III, 7, 15, pag. 107, antequam aliquam aliorum sententiam (ne A. Maii quidem adnotatione inspecta) vidissem. Postea, operis tradito illo libro, oblitus emendationis, quam subito fuderam, hanc ad eumdem locum notam conscripsi: Haec (*essemus auctores*) corrupta esse nemo est quin videat; et vidit A. Maius, ut ex annotatione subiecta cognoscimus. Difficilius dixeris, quo modo locus sit persanandus. Quod A. Maius ei consultum credit eiecto *quoniam* et plena distinctione posita ante *nec vero*, id non satisfacit. Nam ut praeteream, familiarissimum esse Ciceroni huius particulae post initium periodi inferendae usum (v. c. ad Fam. II, 4: *Quam ob rem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est*, etc.): quid, quaeso, facies verbis *quamdam facultatem?* an ea contra Ciceronis morem loquendi ad antecedens *consequuti* referes? quid sibi vult *auctores*, ita absolute absque dativo positum? an *studio* dativus est? an emendabis *studii*, ut oratio ambigua fiat? Quid autem proficitur, si ante *nec vero* plene distinxeris? Nempe illud, ne apodosis incipiat a *nec vero*, quod plerumque ponitur ab initio. Sed in apodosi quoque poni docet Goerenz. ad Acadd. I, 11, 39, pag. 62, qui ad eosdem libros, II, 7, 19, pag. 42, monuit, *nec vero* Ciceroni multo frequentius esse, quam *neque vero*. Ego igitur, ut meam qualemcumque de h. l. sententiam proferam, excidisse aliquid credo, idque hoc vel simili modo esse supplendum, donec casu quodam fausto vera Ciceronis manus reperiatur: ... *quamdam facultatem non modo usu assequuti, sed etiam studio discendi et docendi eiusdem rei aliis essemus auctores, etc.* ita ut, quum remotius sit illud *quoniam*, paullo negligentius et quodammodo ἀνακολούθως apodosis incipiat a verbis *nec vero nostra, etc.* quasi praecessisset: *nos utrumque coniunximus, ideoque nostro quodam iure de his rebus disputationem instituimus: quamquam nobis non nostra quaedam est instituenda, etc.* Ad rem cf. Cic. de Legg. III, 6, extr. — Quorum quamquam nondum poenitet, simplicior tamen nobis prior ratio visa est, ideoque amplectenda, ut scribe-

nibus perpoliti, quorum res gestae nullae inveniren-

remus *adepti*, et post *rudes* Nostrum ἀναχολούθως pergere statueremus. Verbo *adipiscendi* utitur Cicero simili modo de Legg. I, 22, 59, pag. 143 ed. nostr. et Cr. *quanta instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam*. Ceterum quum in cod. pro *discendi* sit *discedendi*, haud adversarer si quis mallet *disserendi*. — Heind. in contextu nihil mutavit, sed post *rudes* plene distinxit, asterisco, ut lacunae signo, apposito. Censor lenensis (1823, 34) nonnisi vocem *auctores* in *assequuti* mutatam voluit, in quo ei obsequutus est Lehnerus, distinctione maiore post *rudes* posita. Steinackerus pro *auctores* reposuit *nacti*, quod quum antiquitus scriptum fuerit *nancti*, facile abire potuisse in *auctores* existimat, additque, anacoluthon excusari et usitata quadam in hoc dialogi genere negligentia et quamdam modestiae speciem prae se ferenti silentio. Schützius denique primum *quoniam* genuinum esse censet, deinde verba *quam superiores ... in disserendo rudes* perspicuitatis gratia parentheseos signis includenda, tum apodosin excidisse ita fere explendam: *visum est nobis universam de republica doctrinam explicare. Nec vero*, etc. Denique pro *discendi* in praecedentibus coniecit *dicendi*; ut hoc pertineat ad orationes, ubi saepe Ciceroni de iis, quae reipublicae utilia essent, fuerit loquendum: *docendi* vero ad scripta philosophica, qualia erant de legibus, de republica. Quid de toto hoc loco senserit Villem. utrum sanum eum, an corruptum existimaverit, ex versione eius non plane patet, quippe qui loci structuram plane immutaverit, suaeque linguae accommodaverit, et apodosin in media periodo abrupta incipiat. Attamen credo eum tale quid cogitasse, quod meae qualicumque emendationi consentaneum sit (*adepti*); vertit enim: *et que nous avons acquis quelque facilité pour expliquer les mouvemens et les ressorts de la politique*. A. M.—Wolfius l. c. pag. 18: » Hunc locum misere depravatum esse, omnibus perspicuum est; verba enim *quibus de rebus* nihil habent, quo possint referri. Nec facile quisquam dixerit, quid orationis genus *et docendi essemus auctores* sibi velit. Quam ob causam Maius aut vocabulum aut membrum excidisse arbitratur. Schützius aut aliquid deesse, aut, quod maxime vult, *quoniam* delendum, et ante *nec vero* plenam pausam faciendam censet. Sed si vel maxime *quoniam* deleveris et ante *nec vero* plene distinxeris, non maiorem tamen huic loco accendes lucem. Steinackerus mire *auctores* in *nacti* mutavit, anacoluthon hic esse sibi persuadens. Sed simile eiusmodi anacoluthi exemplum in Ciceronis scriptis mihi indicari velim. Anacoluthon mihi tum demum locum habere posse videtur, quum enunciatio omissa ex tota orationis continuatione facile suppleri potest. Quae vero verba hic supplenda sint, nec ipse dixit, nec ex serie connexa apparet. Tum anacoluthis uti solemus, si cum impetu quodam, non si, ut hoc loco fit, sedate placideque loquimur. Schützius etiam vocabulum *adepti* post *facultatem* excidisse putat (hoc ego in annot. mea, pag. 38, adscribere oblitus sum. Mn.); sed *quamdam facultatem* a verbis *essemus consequuti* pendere potest (Vid. quae contra haec monui init. hui. not.). Ego vero totum locum facillima emendatione persa-

Digitized by Google

tur; alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes: [2]

nare et illustrare me posse confido. Ante vocabula *et docendi* minimum, et ante *nec vero* maximum interpunctionis signum pono, et pro vocabulis *et docendi essemus auctores* scribo *et docendi esse debemus auctores*. Sed *fuissent* etiam in *fuerint* mutandum videtur, nisi forte pro *esse debemus* legere placet *esse debuimus*. Totum autem locum germanica interpretatione sic reddo: (non lubuit eam adscribere, quum ad propositas lectionis emendationes nemo eam non possit conficere.) Nunc optime omnia inter se consentiunt. Cicero civilem se prudentiam tum ipsa reipublicae administratione, tum discendi studio et artis praeceptis sibi comparasse gloriatur, ob eamque causam hanc disciplinam optime docere et posse et debere. Alibi quoque sibi placet Cicero praedicando, rerum usum et experientiam se cum artis praeceptis coniungere, et graecam sapientiam Romanis tradendi esse auctorem. Comparetur proœmium librorum de Officiis. « Probat Wolfii rationem censor, quem laudavimus. Nos Ciceronianum in ea desideramus colorem. Primum enim admodum debilitata procedit structura, si ad *quamdam facultatem* ex superioribus repetendum est *essemus consequuti*; deinde vero, si scribimus in ἀποδόσει *et docendi esse debemus auctores*, Ciceronis mori contrariam rationem sequitur, qui dicturus fuisset *docendi etiam* v. *docendi quoque esse debemus auctores*. Quare in mea qualicumque emendatione, donec melius quid inventum fuerit, quam adhuc prolatum est, acquiesco. — Ian. Bak. l. c. pag. 154 sq. ita de hoc loco disputat: « Mihi coniuncta illa *studio discendi et docendi* displicuerunt, siquidem docendi institutum nondum susceperat Cicero, nonnisi multa cum cautione inchoandum, ut colligitur ex Oratore cap. 41 sq. Tum satis erat haec coniungi, *usus et studium discendi*, sicuti infra I, 22 fin. ad Div. VI, 6, 4, similibusque locis: neque *docere* quidquam aliud esse potest, praeter *explicare* (qua ratione dicitur de Legg. II, 19, de Iurisconsultorum libris et responsis, *quaedam ars est docendi*): quod inepte iungatur cum proxime antecedentibus *in explicandis rationibus*. Tantum assequi nobis videmur, primum Ista *quibus de rebus* hoc velle, e quibus laudibus memoratis: tum excidisse quaedam post *studio discendi*, hoc vel simili modo redintegranda: *hoc enitendum arbitrabatur, ut, cuius muneris gerendi fuissemus aliis, eiusdem docendi essemus auctores.* » —Phalerii Demetrii aemulari famam, recte de Cicerone monuit Maius: verum superare eumdem voluit postea, ut apparet ex Offic. I, 1. Ceterum illa *Nec vero* .... novam ordiuntur sententiam.

2. *In disserendo rudes*. Intelligit Cicero romanos homines; Graecos enim permultos remp. factis simul et scriptis tractavisse ante Ciceronem exploratum est, de quibus legendus Aristoteles reip. II, 12. Iam vero utramque laudem, nempe et recte administratae reip. et excellentis doctrinae sibi vindicat tacite, sed gloriosissime idem Cicero de Leg. III, 6, 7, ubi quae de Demetrio Phalereo ipse praedicaverat, eadem sibi tribuenda curat ab Attico, qui cum Marco Quintoque in iis loquitur libris. Eadem iactat Cicero ad Fam. VI, 6. A. M.

nec vero nostra quaedam est instituenda nova, et a nobis inventa ratio;[3] sed unius aetatis clarissimorum[4] ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria[5] est, quae mihi tibique quondam adolescentulo est a P. Rutilio Rufo,[6] Smyrnae quum simul essemus, complures dies exposita; in qua nihil fere, quod magno[7] opere ad rationes omnium rerum[8] pertineret, praetermissum puto.[9]

3. *Ratio.* I. q. nunc dicunt systema vel theoriam; vel, ut Veteres, *ars.* Cf. Orat. cap. 74. Cr.

4. *Clarissimorum.* Wyttenbach. ad Cic. de Legg. I, 5, pag. 43 ed. Mos. et nostr. *Clarus vir apud Romanos dicebatur, qui inclaruisset summis honoribus gerendis, id e. qui praetura et consulatu functus esset.* Cr. — Nihil aliud hoc nomine designat, ut puto, Cicero, nisi *laudatissimos.* Ceterum vel sub primis Caesaribus *clarissimi* dicti sunt senatores, eorumque uxores ac filiae. Deinde vero dignitatis cuiusdam nomen evasit. Haec constant e Cod. Iust. XII, 19, 5; tum ex Lampridio, Heliog. IV; Tertulliano ad Scap. 4; Augustino, C. D. XXII, 8, ep. CLXXXII; Isidoro Orig. IX, 4, 12, aliisque auctoribus. A. M.

5. *Repetenda memoria.* Structura *memoria repetere disputationem* Nostro consueta est eiusque exempla ubivis obvia. Rarior ea est, quam posuit de Or. I, 2, 4: *Ac mihi repetenda est veteris .. memoriae...recordatio.* Rarior item pro Arch. poët. I, 1: *quoad longissime potest mens mea... pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video*, etc. *Repetere* autem simpliciter pro *recordari* numquam dixit, ut Ovid. Trist. I, 3, 3: *Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui.* Mr.

6. *P. Rutilio Rufo.* In voc. *Rutilium* commode observat Festus, *Rutilium significare rufum, cuius coloris studiosae etiam antiquae mulieres cognomina Rutilias traxerunt, ut indicat frequenter Afranius.* Igitur *Rutilius Rufus* videtur quaedam tautologia. Confer etiam Probum de nom. imposit. Apud Servium Aen. IV, 698, ait Cato de matronarum crinibus: *flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent.* Eius coloris sunt interdum crines matronales in Homeri Ambrosianis picturis. Iam de Rutilio, quem reapse Smyrnae loquentem audivit Cicero, recole dicta in praefatione. A. M.

7. *Magno opere.* Cod. prima manu *magnopere*; mox factum *magno opere*, quae posterior scriptura sapit magis antiquitatem, et in palimpsesto Frontonis non semel occurrit. A. M.

8. *Rationes omnium rerum.* Ita loquutus est Noster de Fato 3, 6: *quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur.* Mr.

9. *Praetermissum puto.* Hinc apparet Ciceronem nihil praecipuum in hoc opere omisisse, quod ad politicam artem pertineret. A. M.

IX. Nam quum P. Africanus hic Paulli filius feriis [1] Latinis, Tuditano cons. et Aquillio, constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter [2] per eos dies ventitaturos [3] se esse dixissent: Latinis ipsis [4] mane ad eum primus sororis filius venit Q. Tubero, quem quum comiter Scipio appellavisset, libenterque vidisset: [5] — Quid tu, inquit, tam mane, Tu-

IX. 1. *Feriis Latinis.* Videlicet exeunte hieme an. V. c. 633, a. C. n. 129.

2. *Frequenter... ventitaturos.* Malit *frequentes* Mos. qui sic ad h. v. « In cod. est *frequenter*, et ita est in edd. quae adhuc comparuerunt omnibus. Sed quid, quaeso, hoc ad rem propositam, si *frequenter* veniunt familiares, alius hoc alius illo tempore? Ita sane nihil in commune consulitur; interpellatur potius semper, quod instituit is, ad quem ventitant. Immo vero legendum *frequentes*; ita enim fieri poterat, quod factum est, videlicet ut de re gravioris momenti inter se colloquerentur; et ita re vera accidit. Venerunt enim ad Scipionem *frequentes*. Primum Tubero (cap. 9), deinde L. Furius Philus et P. Rutilius (c. 11); tum Laelius (c. 12), Sp. Mummius, C. Fannius, Q. Scaevola (ibid.), denique M. Manlius (cap. 12 extr.), quibus demum congregatis initium fit sermonis de republica. At, ais, nihil magis convenit verbo frequentativo *ventitaturos*, quam adverbium *frequenter*. Speciosum hoc, verum non item. Nam primum cod. ipse a pr. m. habet *ventaturos*, cui posterior superscripsit *ti*: deinde vero, si corrigenda fuit illa verbi forma Ciceroni non usitata, aeque proclive fuit corrigere *venturos*, quod fortasse Ciceronis est. Nam *ventitabant*, et *frequenter* quidem, alio quoque tempore; his feriis Latinis *frequentes* ad eum *veniebant*. Omnes vero eodem tempore venire propositum habuisse, vides ex fine capitis huius et principio sequentis. »

3. *Ventitaturos.* Gr. φοιτᾷν. Cr.

4. *Latinis ipsis.* Nempe primo feriarum die, id quod docet ratio dialogi in tres dies tributi. (Confer cum hoc loco verba fragmenti ex libro sexto servati apud Macrob. in Somn. I, 4: *Tum Scipio, Patimini me, inquit, quoniam tertium diem iam feriati sumus.* Cr.) Apud Livium, XLIV, 19, 22, pridie kal. vel pridie idus aprilis Latinis feriis est constituta dies. Dialogus tamen de repub. habitus est hiberno tempore, ut mox dicetur. A. M.

5. *Libenterque vidisset.* Ad verba *appellavisset libenterque vidisset* ego in schedis haec adnotaveram: Equidem nolo nimius esse in dubitando et corrigendo. Sed explicet mihi, quaeso, aliquis, primum quomodo Cicero istud ὕστερον πρότερον scribere potuerit, *appellavisset... vidisset?* quod sentiens Villem. verborum ordine inverso vertit: *charmé de le voir, et l'accueillant avec amitié.* Deinde quid sibi velit plusquamperfectum coniunctivi (*vidisset*) in re, quae praeteriisse non poterat, quum loqui inciperet. Equidem tentabam *liberaliterque obviam isset.* — Sed mox abiecto

bero? [6] Dabant [7] enim hae feriae tibi opportunam sane facultatem ad explicandas [8] tuas literas. — Tum ille: Mihi vero omne tempus est ad meos libros vacuum; numquam enim sunt illi occupati; te autem permagnum est nancisci otiosum, hoc praesertim motu [9] reipublicae. — Tum Scipio: Atqui nactus es, sed mehercule otiosiorem opera, quam animo.—Et ille, At tu vero animum quoque relaxes oportet; sumus enim multi, ut constituimus, parati, si tuo commodo fieri potest, abuti tecum hoc otio. — Libente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.

X. — Tum ille, Visne igitur, quoniam et me quodam modo invitas, et tui spem das, [1] hoc primum,

hoc consilio breviloquentiam esse existimavi, ut *libenterque vidisset* sit i. q. *libenterque se videre dixisset*. Ma.

6. *Quid tu...tam mane, Tubero?* Est imitatio Platonica. Ita enim ille in principio dialogi Criton. τί τηνικάδε ἀφῖξαι, ὦ Κρίτων; ἢ οὐ πρωΐ ἔτι ἐστί; conf. Phaedon pag. 59, ed. Steph. pag. 7 ed. Bekk. Et egregie admonet Noster hoc dialogi initio ultimi Socratis cum amicis sermonis, quum Scipio quoque quarto die post eos, quibus hic sermo habitus fuisse fingitur, mortuus repertus fuerit mane in lectulo. Vid. Cic. de Amic. 4. Cr.

7. *Dabant*. Non infrequens elegantia pro eo, quod nostri homines scriberent, *dedissent*. De ea loquuti sunt Heusinger. ad Mallium Theod. pag. 55; Beierus ad Cic. de Off. I, 9, 28, pag. 65, II, 1, 2, pag. 11, et Gernhardus in Progr. laud. De Latinorum indicativo, p. 11 sq. Ita Horatius loco tritissimo A. P. 328: *Si de quincunce remota est Uncia, quid superat? Poteras dixisse, triens*. Ma.

8. *Explicandas*. Hoc proprie intelligendum de codicibus vel voluminibus evolvendis atque in tabula, ut legi possint, *explicandis*. Conf. Herm. Hugo de prima scrib. origine ib. C. H. Trotz. pag. 589-594; C. G. Schwarz. de Ornamentis librorum pag. 93; ib. Cic. ad Fam. IX, 25; conf. eiusdem libri p. 178 sq. Ma.

9. *Hoc praesertim motu*. Disputatur scilicet eo tempore, quo C. Gracchus triumviratum (ita scrib. non *tribunatum*. Errat enim ipse Cic. de Amic. 12, quandoquidem eo tempore triumvir, non tribunus, C. Gracchus erat. A. Maius in Emm.) gerebat turbulentissimum (quem commemorat apud Tullium Laelius paucis diebus post obitum Scipionis de amicitia disserens cap. 12), quo tempore dixerat publice Scipio Tib. Gracchum iure caesum videri. Vide Livii epitomen 59. Sed de his turbis dicemus inferius. A. M.

X. 1. *Et tui spem das*. Rarior constructio, conferenda cum ea, quae est ad Att. I, 4: *Crebras exspectationes tui commoves*. Ma.

Digitized by Google

Africane, videamus, antequam veniunt alii, quidnam sit de isto altero sole[2] quod nuntiatum est in senatu? Neque enim pauci, neque leves sunt, qui se duo soles vidisse dicant, ut non tam fides non habenda, quam ratio quaerenda sit. — Hic Scipio, Quam vellem[3] Panaetium[4] nostrum nobiscum haberemus, qui quum cetera, tum haec caelestia vel studiosissime solet quaerere? Sed ego, Tubero (nam tecum aperte, quod sentio, loquar), non nimis assentior in omni isto genere nostro illi familiari, qui, quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari, sic affirmat, ut oculis ea cernere videatur, aut tractare plane[5] manu. Quo

2. *De isto altero sole.* Rei dat praeclarum testimonium ipse Cicero N. D. II, 5: *sole geminato, quod Tuditano et Aquillio conss. evenerat, quo quidem anno P. Africanus, sol alter, exstinctus est.* Item de Divin. I, 43, gemini solis portentum populo romano perniciosas seditiones denuntiavisse dicitur. De pareliis autem legantur inter Veteres Aristoteles Meteor. III, 2, 6; Plinius Hist. II, 31; Seneca Quaest Nat. I, 14; Ammianus XX, 3. A. M. — Ruhkopf. tom. V, pag. 52: *Historici soles vocant, Graeci* παρήλια *et* παρήλιοι *et* ἀνθήλιοι. Adde Posidonii Fragmm. (ap. Schol. Arati ad Diosem. v. 448), p. 77 Bakii, ibique laudd. in his Scalig. ad Euseb. Chron. pag. 159. Ca.

3. *Quam vellem.* Omnes tam varias vocis *quam* significationes I. G. Vossius inde explicat, quod *quam* κατ' ἀποκοπήν dictum sit pro *quantum*. Ma.

4. *Panaetium.* Panaetius Rhodius hospes comesque Scipionis Aemiliani fuit. Eiusdem Panaetii auditores fuerunt quatuor saltem ex his de rep. interlocutoribus, nempe Scipio, Laelius, Rutilius, Fannius. Panaetii scriptorum ad Q. Tuberonem meminit Cicero Fin. IV, 9; Tusc. IV, 2. Porro Scipionem Panaetii praeceptis eruditum fuisse testatur etiam Sulpicia in satyra, vs. 45: *Numantinus Libycusque Scipio qui Rhodio crevit formante magistro.* Panaetium rei astrologicae haud ignarum fuisse cognoscimus etiam de Divin. I, 3, 7, II, 42, et N. D. II, 46. Iam qui sequitur sermo de Socrate, is fortasse a Panaetii libris accersitur, quos de Socrate ab eo scriptos memorat Plutarchus in Aristide cap. 28. Nobiles Panaetii libros cum Socraticis coniungit Horatius Od. I, 29, 14. A. M.

5. *Aut tractare plane manu.* Locutio ducta ex Platonis Theaet. p. 155, d. p. 327 Heindf. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἁπρὶξ ταῖν χερσὶν λαβέσθαι. Ibid. Heind. laudat Plat. Sophist. p. 245 et sq. (Bekk. p. 190) οἱ μὲν εἰς γῆν ἐξ οὐρανοῦ καὶ τοῦ ἀοράτου πάντα ἕλκουσι, ταῖς χερσὶν ἀτεχνῶς πέτρας καὶ δρῦς περιλαμβάνοντες. Ca. — *Tractare* de tactu dixit Noster etiam Tusc. V, 38, 111: *ut ea, quae gustemus,*

etiam sapientiorem Socratem soleo iudicare, qui omnem eiusmodi curam deposuerit; eaque, quae de natura quaererentur, aut maiora, quam hominum ratio consequi possit, aut nihil omnino ad vitam hominum attinere dixerit. — Dein Tubero, Nescio, Africane, cur ita memoriae proditum sit, Socratem omnem istam disputationem reiecisse, et tantum de vita et de moribus [6] solitum esse quaerere. Quem enim auctorem de illo locupletiorem Platone laudare possumus? cuius in libris multis locis ita loquitur Socrates, ut etiam quum de moribus, de virtutibus, denique de republica disputet, numeros tamen, et geometriam, et harmoniam studeat Pythagorae more coniungere. [7] — Tum Scipio, Sunt ista, ut dicis; sed audisse te credo, Tubero, Platonem, Socrate mortuo, primum in Ægyptum discendi causa, [8] post in Italiam [et in Sici-

*olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur.* Mr. — Locum hunc Tullii imitatur aperte Lact. de Opif. D. cap. 4, et Inst. II, 3; quin etiam Ovid. Fast. I, 305. Hinc Diogenes apud Laërt. VI, 2, 6, cuidam de caelestibus audacius disputanti: quam dudum, inquit, caelo advenisti? Adhuc subdubitabat in caelestibus Augustinus ep. XIV, 3; quam scientiam nunc tot maximis et certissimis incrementis adultam videmus. A. M.

6. *De moribus*, etc. Augustini ep. CCXXXIII memorabilis locus est: *solere aiunt quemdam Veterum dicere; quibus satis persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quam viros bonos, his reliquam facilem esse doctrinam. Hanc sententiam si rite recolo, Socratica est*, etc. De unico studio virtutis mira dicit Porphyrius in sua nobili ad Marcellam epistola. A. M.

7. Plato in geometria et musica praestantissimus dicitur a Tullio de Or. I, 50. Eadem laus tribuitur illi a Themistio Or. de praef. cap. 5. Pythagoras numero tantum tribuit, ut etiam deum ex numeris constare crediderit. Vide Augustinum C. D. VI, 5. Eadem est sententia Porphyrii in poëtico fragmento libri decimi oraculorum. De numeri virtute copiose disserit Proclus in inedito ad decimum Platonis de Rep. librum commentario. Adi et Cassiodorium Variar. I, 10, et de Art. Liberal. cap. 4. A. M.

8. *Causa.* Vocabulum *causa* deest in codice; id tamen legebat Nonius loco citato. Neque prorsus necessarium est: namque eius brevitatis exempla apud alios auctores occurrunt, quos inter est Fronto laud. fumi et pulveris. Nonius omittit *et in Sici-*

Digitized by Google

liam] contendisse,[9] ut Pythagorae inventa perdisceret; eumque et cum Archyta Tarentino, et cum Timaeo Locro multum fuisse, et Philolai[10] commentarios esse nactum; quumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pytha-

*liam*. A. M. — Mihi quidem durior videtur haec ellipsis; at lege sis Moseri notam quae sequitur. *T*.

9. *In Aegyptum discendi causa... contendisse*. Quod ait A. Maius in nota critica vocem *causa*, quae abest a cod. sed legitur apud Nonium Marcellum p. 1323 Ald. non prorsus esse necessariam, quia eius brevitatis exempla apud alios auctores (i. e. scriptores) occurrant (i. e. reperiantur), in eo nos non habet adsentientes. Nam id ipsum, quod apud alios scriptores reperiuntur ista exempla, apud Tacitum in primis, qui amat graecismos et archaismos, neque vero apud Ciceronem (nam quod est de N. D. I, 22, 60: *deliberandi sibi unum diem postulavit*; ibi non omissum esse *causa*, sed coniungenda esse verba *deliberandi diem*, monuimus in utraque nostra editione pag. 96 et 40); id ipsum, dico, admonere potuit A. Maium, non universe spectari debere, quid fieri, quidve dici possit, sed quomodo is scriptor, quem tractamus, loqui soleat. Ceterum de hac graeca ellipsi (vocis ἕνεκα) vid. Lamb. Bos. Ellips. Gr. p. 704-706 ed. Schaefer. ibique latinorum scriptorum exempla collecta a Schwebelio pag. 707 et sq. ubi perperam illud, quod huc non pertinere diximus, Ciceronis exemplum irrepsit. Ms. — De Platonis itineribus similia scribunt Cicero Fin. V, 29; Tusc. I, 17; de Sen. 12; Lucanus X, 181; Valer. Max. VIII, 7, ext. 3. Vtrum Hebraeorum quoque libros Plato cognoverit, necne, disputat Augustinus C. D. VIII, 11, XI, 21; negat Lactantius Inst. IV, 2. Mos hic fuit solemnis, ut eruditionis causa Graeci Aegyptum viserent, Romani Graeciam. De Romanis testis paullo ante Cicero, et Symmachus ep. V, 35. Nunc Europaei literati Italiam lustrant. A. M.

10. *Et Philolai*. Philolai Pythagorici, qui Archytae fuit discipulus. Libros tres emptos a Platone centum minis, sive, quod idem est, decem millibus denarium, tradunt Laërtius III, 11; Gellius III, 17; Iamblichus vit. Pythag. 31. Hinc apud Timonem et Aristoxenum et Proclum plagiarius audiit Plato, quod videlicet Timaeum suum e Philolao, rempublicam e Protagora, aliosque ex aliis auctoribus dialogos vel sententias videretur expressisse. (Alii Timaeum Platonis ex Timaeo Locro expressum aiunt, eoque nomine Platonem plagii reum faciunt. Ms.) Philolai annum maiorem, annis 59 constantem, memorat Censorinus cap. 18; eiusdem Philolai dictum Cassiodorius in ps. 8 fin. Iam hic Pythagoricus Philolaus a Crotoniensibus civibus suis interfectus est ob affectatae tyrannidis suspicionem; legesis Laërtium VIII, 7, et Suidam voc. ὑπόνοια. Porro et Philolai Corinthii scriptam Thebanis politiam cognoscimus ex Aristotele, Reipubl. II, 12. In transitu moneo, ab Asopi civibus Aesculapium deum pulchro nomine appellatum fuisse Philolaum, quasi Publicolam. Pausan. III, 22. A. M.

goreis, [11] et studiis illis dedisse. Itaque quum Socratem unice dilexisset, eique omnia [12] tribuere voluisset, leporem Socraticum subtilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagorae, et cum illa plurimarum artium gravitate [13] contexuit. [14]

XI. Haec Scipio quum dixisset, L. Furium repente [1] venientem adspexit; eumque ut salutavit ami-

11. *Pythagoreis.* Ita cod. prima manu; sed mox videtur factum *Pythagoriis.* Sic in antiquis MSS. lego *Aristarchii, Epicurii:* quae melior scriptura est et graeco de fonte manans. A. M.

12. *Omnia.* Dialogosne intelligit, *in quibus omnibus fere Socrates exprimitur*, ut Tullii verbis utar de Or. III, 4? an omnigenam philosophiam, uti observat Sextus Emp. lib. I, contra logicos sect. 9? A. M. — Recte ad hanc A. Maii notam monet Sch. phrasin illam *omnia alicui tribuere* nihil aliud significare, quam omnia praeclara de aliquo praedicare vel in aliquem conferre: quo sensu est in Bruto s. de claris oratoribus c. 51: *Tum Brutus: quid tu quaeris alios? De te ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, videbamus? qui quum partiretur tecum causas... perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat... Faciebat ille quidem, inquam, et mihi benevolentia, credo, ductus tribuebat omnia*; h. e. me aliis et sibi ipsi adeo praeferre solebat. Conf. ad Quint. Fr. III, 8: *Pompeius ei nihil tribuit, omnia Guttae.* Mn.

13. *Gravitate.* Pythagorae πολυμαθίαν memorat etiam Heraclitus apud Diog. Laërt. IX, 1: πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόρην, αὖθίς τε Ξενοφανέα τε καὶ Ἑκαταῖον. De qua sententia vide disputantem Schleiermacherum in Mus. d. Alterthw. I, 3, p. 341-346. Mn.

14. *Contexuit.* Hunc Ciceronis locum legisse videntur Hieronymus et Augustinus, quod ut demonstrem, eorum verba hic ponere necesse est. Hier. contra Rufin. III, 40: *Plato post Academiam et innumerabiles discipulos, sentiens multum suae deesse doctrinae, venit ad magnam Graeciam, ibique ab Archyta Tarentino et Timaeo Locrensi Pythagorae doctrina eruditus, elegantiam et leporem Socratis cum huius miscuit disciplinis.* Confer et ep. LIII, 1. Iam Augustinus contra Acad. III, 37: *Plato dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, a Pythagoreis etiam multa didicisse. Igitur adiiciens lepori subtilitatique Socraticae naturalium divinarumque rerum scientiam*, etc. Item C. D. VIII, 4: *Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat Plato, eum loquentem fere in omnibus sermonibus suis faciens, etiam illa, etc. cum illius lepore temperavit.* Valerius quoque M. VIII, 7, ext. 3, respicere videtur hunc de Rep. locum. A. M.

XI. 1. *Repente venientem adspexit.* Iunge *repente adspexit*, neque vero *repente venientem.* Mn.

Digitized by Google

cissime, apprehendit, et in lecto [2] suo collocavit. Et quum simul P. Rutilius venisset, qui est nobis lautus [3] sermonis auctor, eum quoque ut salutavit, propter Tuberonem iussit assidere. Tum Furius, Quid vos agitis? num sermonem vestrum aliquem diremit noster interventus? — Minime vero, [4] Africanus; soles enim tu haec studiose investigare, quae sunt in hoc genere, de quo instituerat paullo ante Tubero quaerere. Rutilius [5] quidem noster etiam sub ipsis Numantiae moenibus solebat mecum interdum eiusmodi aliquid conquirere. [6] — Quae res tandem inciderat?

2. *Apprehendit, et in lecto suo collocavit. Lecto* dicit, non *lectica*; etsi etiam domi lectica vel ad quietem vel ad lucubrationes utebantur Romani. Id autem moneo, quia Rutilius (is qui loquitur in his dialogis) teste Isidoro Orig. XX, 11, in vita Scipionis scripserat, *primum ipsum contra consuetudinem imperatorum pro lectis lecticis esse usum*. Loquebatur ergo in illa historia Rutilius de Scipionis militia. Quod ipsum per se apparet. A M.

3. *Lautus*. Cod. *lautus*. Nempe *abundans*, vel *competens*, vel *elegans*, vel *suavis*: has quippe notiones omnes Nonius voci *lautus* tribuit. A. M. — *Qui est nobis laudatus sermonis auctor*. Ita dedimus Creuzero monente praeunteque Steinackero, quamvis A. Maius in nota critica lectionem codicis *lautus* interpretando, adhibito Nonio Marcello, nobis commendet. Laudavit enim Cicero eum ut huius sermonis auctorem, i. e. ut eum, qui Ciceroni, Smyrnae quum esset, hunc sermonem a Scipione cum amicis habitum exposuerit, cap. 8 extr. Ita Noster loquutus est de Or. III, 19, 68: *Cuius (Carneadis) ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum*. Or. pro Flacco 37, 93: *tu igitur, illo absente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putasti?* Villem. vertit: *celui qui nous a si heureusement conservé cet entretien*. Plane otiosum esset *lautus*, etiamsi significaret *probabilis* et *fide dignus*; nam non erat, quod Cicero fidem auctoris laudaret, de qua neque quisquam dubitare poterat, et quae in re manifesto ficta (nam volebat Cicero ipse horum omnium, quae in libris de Rep. dicuntur auctor haberi), quae, inquam, fides ne requirebatur quidem. Ma. — Noster l. V. *Leclero* legendum ait forte *huius* vel *totius*.

4. *Minime vero*. Subintellige *inqdt*. A. M.

5. *Rutilius*. Rutilium Scipionis in militia fuisse comitem, et quidem apud Numantiam, testatur etiam Appianus Hisp. 88, atque ex eo Suidas in Ῥουτίλιος. Scripsisse Rutilium de bello Numantino, deque vita Scipionis diximus in praefatione. A. M.

6. *Eiusmodi aliquid conquirere*. Cur *conquirere*? Loquitur de sermonibus Scipio, quos habuerit cum Rutilio, quibusque de rebus colloquuti sint.

inquit Philus. — Tum ille, De solibus istis duobus; de quo[7] studeo, Phile, ex te audire quid sentias.

XII. Dixerat hoc ille, quum puer nuntiavit venire ad eum Laelium, domoque iam exisse. Tum Scipio, calceis et vestimentis sumptis,[1] e cubiculo est egressus; et quum paullulum inambulavisset in porticu, Laelium advenientem salutavit, et eos, qui una venerant, Sp. Mummium, quem in primis diligebat, et

Dicat fortasse aliquis, Ciceronem suo more uti verbo composito *conquirere* pro *quaerere*, et praepositionis vim propriam in illo verbo non maiorem esse, quam in verbis, *concedo*, *contueor*, *concredo*. In his quidem nihil repugno: illius similem usum desidero. Loca enim pleraque omnia, quibus Cicero usus est *conquirendi* vocabulo, eiusmodi sunt, ut praepositio vi sua non destituatur. Neque aliter se habet de Or. I, 46, 202: *Non enim causidicum, nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus*: quem locum fortasse aliquis ad nostrum sulciendum laudet. Malim igitur *anquirere*, quod in eiusmodi quaestionibus proprium est, facillimeque cum illo frequentiore vocabulo permutari potuit. Vide modo Cic. de Fato 9, 17: *Sed ad illam Diodori contentionem... revertamur, in qua quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur*. Conf. Beier. ad Cic. de Off. I, 3, 9, p. 22, Goerenz. ad Cic. de Fin. IV, 7, 16, pag. 440 sq. Davis. ad Cic. de N. D. II, 38, p. 360 ed. Cr. et Nostr. Mr.

7. *De quo*. Falso putat Maius adsumendam lectionem *de quibus*. Quam sententiam sic confutat Moser: Ita saepissime relativum ad rem, non ad verba refertur, vid. modo Goerenz. ad Cic. de Fin. II, 6, 17, pag. 440 sq. Ita Corn. Nep. in Cimone 3, 1: *Nam testarum suffragiis, quod* (scil. genus poenarum) *illi ὀστρακισμὸν vocant, decem annorum exsilio multatus est*: add. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV, 4, 80, pag. 616 ed. Amst. 1733. Id ideo pluribus monui, quia A. Maii sententia et laudatorem nacta est Schutzium, qui eam acutam appellat, et obsequentem Lehnerum, qui recepit eius coniecturam supervacaneam *quibus*. Quod ad verba cum nostro loco convenit initium Oratt. Partitt. *Studeo, mi pater, latine ex te audire ea, quae mihi tu... graece tradidisti*. Cum seqq. de Orat. II, 3, 12: *quum... Antonius... inambularet cum Cotta in porticu*. Qui locus universe nostro est valde similis: ibidem etiam est, quod in huius capitis fine eodem fere modo legitur: *qui quum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent*.

XII. 1. *Calceis et vestim. sumptis*. Namque, ut dictum est, in lecto erat Scipio, sicut Crassus de Or. II, 3, III, 5, praeter quam quod Romani domi quidem utebantur soleis, prodibant autem cum calceis. Sic M. Aurelius ad Frontonem lib. IV, ep. 5. in Vaticano palimpsesto a me proxime edendo ait: *a secunda in tertiam horam soleatus libentissime inambulavi ante cubiculum meum. Deinde calceatus*,

C. Fannium, et Q. Scaevolam, generos Laelii,[2] doctos adolescentes, iam aetate quaestorios;[3] quos quum omnes salutavisset, convertit se in porticu, et coniecit in medium[4] Laelium: fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae, propter eximiam belli gloriam, Africanum ut deum coleret Laelius; domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat,[5] observaret[6] in parentis loco Scipio. Dein quum essent perpauca inter se uno aut[7] altero spatio

*sagulo sumpto*, etc. Et nota idem verbum *inambulare*, quo utitur etiam Cicero. A. M.

2. *Generos Laelii*. Maior nimirum Laelii filia nupserat Scaevolae, minor Fannio. De hoc v. Voss. de Historicis Lat. pag. 82, lib. I, 7. Cn.

3. *Aetate quaestorios*. Iuvenili ergo aetate adibatur quaestura, ut ex hoc quoque de Rep. loco cognoscitur. Sed tamen quem diserte aetatis gradum lex Villia annalis decreverit quaesturae, obscurum est; quamquam certe anno aetatis septimo supra vigesimum licuisse quaesturam adipisci, extra controversiam videtur. Legesis Pitiscum voc. *aetas quaestoria*. In potestatibus obeundis leges annarias a Romanis sua demum aetate neglectas ait Arnobius lib. II, ed. Lug. Bat. p. 91. Ex Valerio M. II, 1, 1, apparet a quaestura patuisse viam ad ordinem senatorium impetrandum. Diserte vero Cassiodorius Var. VIII, 19: *quaestura vere mater senatoris est*. Tum idem Var. VI, 5, *quaesturam* definit *gloriam literarum, genitricem omnium dignitatum*, etc. Contra Asconius ad Div. in Ver. 10, ait: *haec erat prima senatoris administratio, quaestorem fieri*. A. M.

4. *In medium*. Fuit enim is apud Romanos honoratior locus, itemque apud alias gentes aliquot, ut Sallustii locus docet Iug. 11. Lege tamen Plutarchum Quaest. Conviv. I, 3; Lipsium Elect. II, 2. Est autem loci huius magna similitudo cum de Or. II, 3: nam et ibi Crassus est in lecto, et Sulpicius apud eum sedet, et Antonius inambulat in porticu, et Crassus adventu Catuli senis commotus surgit, et amicissime inter se consalutant, etc. A. M.

5. *Antecedebat*. Scipione seniorem se dicit Laelius apud Ciceronem de Am. 4. Hic autem attingitur ius romanum, de quo Gellius II, 2; nempe ut publice magistratui, privatim aliis praerogativis honor esset habendus. A. M.

6. *Observaret*. Ita etiam graecum θεραπεύειν usurpatur.

7. *An*. Ita cod. pro *aut*, vel *sive* (*sive* ante *an* est apud Tacit. Ann. XI, 26, ibique interprr. Cn.) cuiusmodi alia exempla non desunt; itemque viceversa. Vide Gesnerum in *an* et *aut*. A. M. — *Vno aut altero*. Nullus editorum vitiosum illud *uno an altero* correxit: prohibuit eos, credo, A. Maii auctoritas, qui laudato Gesneri Thesauro lectioni *an* patrocinari videtur. Sed ex ipso Gesnero discere

colloquuti, Scipioni, cui [8] eorum adventus periucundus et pergratus fuisset, placitum est, ut in aprico maxime pratuli loco, quod erat hibernum tempus anni, [9] considerent; quod quum facere vellent, intervenit vir prudens, omnibusque illis et iucundus et carus, M'. Manilius; qui a Scipione ceterisque amicissime consalutatus, assedit proximus Laelio. [10]

XIII. Tum Philus, Non mihi videtur, inquit, quod hi venerunt, alius nobis sermo esse quaerendus, sed agendum accuratius, et dicendum dignum aliquid horum auribus. — Hic Laelius, Quid tandem agebatis, aut cui sermoni nos intervenimus? — Phil. Quaesierat ex me Scipio, quidnam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse constaret. [1] — Lael. Ain' vero, [2] Phile? iam explorata nobis sunt ea, quae ad domos nostras, quaeque ad rempublicam pertinent, [3] siqui-

poterat A. Maius, non poni *an* pro *aut*, nisi in interrogationibus disiunctivis, quod nemo est, qui nesciat. Cicero autem in tali locutione semper dicit *unus aut alter* v. *unus et alter* pro *complures, aliquot*. Cuius usus exempla afferre supervacaneum est, quum ubique praesto sint. Ma.

8. *Cui*. Hab. cod. *quo* pr. manu; sec. autem male *quorum*. Suspicor dicendum *quod eorum*. (Malim scribere *quoi*, ut lib. III, 14. A. M. in Emm.) — Mos. legit *Scipionique*.

9. *Tempus anni*. Hinc cognoscimus, quo tempore anni obierit Scipio, quandoquidem is perpaucis diebus post politicum hunc dialogum mortem cum vita commutavisse dicitur a Cicerone de Am. 4. A. M.

10. *Proximus Laelio*. Fortasse propter aetatem, qua Laelio esset aequalis. Itaque Rutilius iuvenis adsedit Tuberoni compari suo, ut nuper vidimus. A. M.

XIII. 1. *De hoc, quod duo soles visos esse constaret*. Verbo monendum est de sensu loci. Non vult dicere Philus, quaesierat ex me Scipio, quidnam de constantia famae vel testimoniorum (ut loquutus est auct. ad Herenn. II, 6, 9) sentirem, qua duo soles visos esse referretur? sed hoc vult: quidnam sentirem de duobus istis solibus, quos visos esse constans sit fama? Ma.

2. *Ain' vero.... iam explorata nobis sunt*, etc. Bene monet Villem. in eo conspici artificium vere Platonicum, quod, ubi longissime abesse videatur Cicero a proposito dialogi argumento, una interiecta quaestione lectores admoneat, non tam longe se abesse a re ipsa tractanda. Ma.

3. *Pertineant*. Noster *Leclero* ser-

dem, quid agatur in caelo, quaerimus?[4] —Et ille, an tu ad domos nostras non censes pertinere, scire, quid agatur, et quid fiat domi? quae non ea est, quam parietes nostri cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium, quamque patriam dii nobis communem secum dederunt:[5] quum praesertim, si haec ignoremus, multa nobis et magna ignoranda sint. Ac me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Laeli, omnesque avidos sapientiae, cognitio ipsa rerum, considerationeque delectat. — Tum Laelius, Non impedio, praesertim quoniam feriati sumus; sed possumus audire aliquid, an serius venimus? — PHIL. Nihil est adhuc disputatum; et quoniam est integrum, libenter tibi, Laeli, ut de eo disseras, equidem concessero.[6] — LAEL. Immo vero te audiamus; nisi forte Manilius interdictum aliquod inter duos[7] soles putat esse com-

vavit subiunctivum; de quo A. Maius incertus remanet. Moser vero indicativum praetulit cum Steinack. et Lehn.

4. *Quaerimus?* Hic Cicero incipit captare occasionem dicendi de Rep. uti apud Platonem Reip. I, p. 333, Socrates ad idem viam sibi sternit dicens, iustitiam non solum ad privatum, sed etiam ad generale hominum inter se commercium esse idoneam. A. M.

5. *Dii nobis... dederunt.* Nectarius apud Augustinum, ep. CIII, 2, hunc Ciceronis locum se legisse demonstrat his verbis: *non enim illam mihi civitatem dicere videbare, quam muralis aliquis gyrus coërceat, nec illam, quam philosophorum tractatus mundanam memorans communem omnibus profitetur.* Lactantius item Tullium imitans Inst. II, 5, § 37: *aiunt (philosophi) deorum et hominum causa mundum esse constructum, quasi communem domum.* A. M.

6. *Libenter tibi... concessero.* Futurum exactum pro futuro simplici positum haud admodum rarum est. De ea re vide disputantem Ruddimannum in Institt. Gramm. Lat. II, pag. 383, ibique Stalbaum, qui recte monet, esse loca, ubi futurum primum exacti loco non magno sententiae discrimine poni possit; esse ubi fut. exact. indicet, rem celeriter peractum iri, quod non innuit fut. simplex; esse denique, ubi urbanitatem quamdam prodat futuri exacti usus. Praeter ea permulta in quibus ita ponitur *videro*, cf. Ciceronem Tusc. I, 30, 74: *quum vero causam iustam deus ipse dederit, nae ille medius fidius... laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincla carceris ruperit.* Ma.

7. *Inter duos soles.* Ita cod. at Mos.

ponendum, ut ita caelum possideant, ut uterque possederit.[8] Tum Manilius, Pergisne eam, Laeli, artem illudere, in qua primum excello[9] ipse; deinde sine qua scire nemo potest, quid sit suum, quid alienum?[10] Sed ista mox:[11] nunc audiamus Philum, quem video maioribus iam de rebus, quam me, aut quam P. Mucium,[12] consuli.

XIV. Tum Philus, Nihil novi vobis afferam, neque quod a me sit cogitatum, aut inventum: nam memoria teneo, C. Sulpicium Gallum,[1] doctissimum, ut scitis, hominem, quum idem hoc visum diceretur, et

legit *duo*, et sic lectionem suam defendit: Id etiam atque etiam miror, a Sch. Steinack. et Lehnero relictam esse in uno eodemque capite duplicem eiusdem vocis scriptionem; quasi Cicero ipse secum tam parum concordet, ut paucis lineis interiectis scriptionem mutet, quum in principio capitis scripserit: *quod duo soles visos esse constaret*. A Cicerone vero et optimis quibusque scriptoribus *ambo* et *duo* saepissime scribi casu accusativo monuerunt Gronov. ad Livium XXXV, 21, p. 294, ed. Gronov. et Graev. ad Sueton. Claud. 14, p. 802 ed. Graev. et post eos Stallbaum. ad Ruddimann. Inst. Gramm. Lat. I, p. 57. Mr.

8. *Nisi forte Manilius interdictum .... possederit.* Indulget more suo facetiis Cicero, quarum laudem ipse sibi vindicat, interpositis etiam interdictis ad Fam. VII, 32: *urbanitatis possessionem, amabo, quibuswis interdictis defendamus; in qua te unum (Volumnium) metuo, contemno ceteros.* De Tullianis facetiis Plutarchus in eius vita (videlicet in comparatione eius cum Demosthene. Mr); Macrobius Sat. II, 1, 3, aliique auctores, quos inter Petrarcha Rer. memor. II, 3 et 4. Interdicti formulam exhibet Caius IV, 160, ubi praetor pari sermone cum utroque litigatore loquitur sic: *uti nunc possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto.* A. M.

9. *Excello.* Malit forte Mos. *excellis*, tamquam convenientius rei ac modestius.

10. *Quid alienum.* Etiam pro Caecina 25, ait Cicero: *iure civili sublato, nihil est quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit.* A. M.

11. *Sed ista mox.* Quinto demum in libro sermo fiet de iure. A. M.

12. *P. Mucium.* Iuris item prudentem, de quo homine recole praefationem. Mr.

XIV. 1. *C. Sulpicium Gallum.* C. Sulpicium Gallum passim laudat Cicero Brut. 20; de Am. 2 et 6; pro Mur. 31; ad Fam. IV, 6. Huius Galli scientia astrologica memoratur apud Cic. Off. I, 6; tum de Sen. 14, commendatur ab ipso Catone interlocutore sic: *mori videbamus in studio dimetiendi paene caeli atque terrae C. Gallum familiarem patris tui, Scipio... Quotics illum lux, noctu aliquid de-*

esset casu apud M. Marcellum, qui cum eo consul fuerat, sphaeram, quam M. Marcelli avus, captis Syracusis, ex urbe locupletissima atque ornatissima sustulisset,[2] quum aliud nihil ex tanta praeda domum suam deportavisset, iussisse proferri: cuius ego sphaerae quum persaepe, propter Archimedi [3] gloriam, nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus; erat enim illa venustior et nobilior in vulgus, quam ab eodem Archimede factam [4] posuerat in templo Virtutis [5] Marcellus idem. Sed posteaquam coepit rationem huius operis scientissime Gallus exponere, plus in illo Siculo ingenii, quam

*scribere ingressum, quoties nox oppressit, quum mane coepisset? quam delectabat eum defectiones solis et lunae multo nobis ante praedicere?* Galli sententia de siderum a terra intervallis recitatur a Plinio II, 21. A.M.

2. *Sustulisset.* Prudenti consilio; virum enim imperatorium seu politicum sphaeram probe callere iubet Polybius Hist. IX, 15. Quin adeo fortasse Cicero totam hanc de Archimedis sphaera narrationem e Polybii deperditis historiis derivat, qui auctor libro octavo de Marcello et de Archimede scripserat, uti nos docent Athenaeus, XIV, 8, itemque Polybii reliquiae. Sphaerae quoque terrestris, seu geographiae, studiosum vult esse hominem seu politicum, seu militarem Strab. I, pag. 17, cui revera studio deditum fuisse Scipionem tradit idem geographus, IV, p. 289. Laudes astrologiae lege sis apud Plinium II, 12, et apud Cassiodorium Var. I, 45. A.M.

3. *Archimedi* in secundo casu more suo Tullius, ut alibi, *Theophani, Themistocli, Aristoteli, Thucydidi, Vlyxi, Demostheni* et *Perieli:* unde etiam Persius, IV, 3, *magni pupille Perieli.* Leg. et Quintilianus Inst. I, 5. Sic loquitur etiam Fronto. A. M.

4. *Archimede factam.* Habemus igitur duas, vacuam alteram, ut mox dicetur, alteram plenam, Archimedis sphaeras; qui vir summus a quibusdam apud Plutarchum in Marcell. 19, traditur Syracusis interemptus miserabiliter dum ipsa instrumenta sua mathematica, inter quae nominatim sphaerae, ad Marcellum placandi eius causa deferret. Sphaerae figuram positam fuisse in summo Archimedis sepulchro, quod Cicero detexit (Tusc. lib. V, c. 23), nemo est, qui nesciat. (Cuidam amico meo una videbatur sphaera Archimedis, non duae. A. M. in Emm.).

5. *Templo Virtutis.* Vulgo id dicitur templum Honoris atque Virtutis, quod unicum fabricare coepit Marcellus; verum impedientibus pontificibus, duplex effecit: Plutarch. in Marcell. 28; Val. M. I, 1, 8. Sphaera igitur posita fuit in aede propria Virtutis. Aedes istas Vespasianus Augustus reparavit, Cornelius Pinus et Accius Priscus pinxerunt. Plin. XXXV, 10 fin. A. M.

videretur natura humana ferre potuisse,[6] iudicabam fuisse. Dicebat enim Gallus, sphaerae illius alterius solidae atque plenae vetus esse inventum, et eam a Thalete Milesio primum esse tornatam; post autem ab Eudoxo[7] Cnidio discipulo, ut ferebat, Platonis eamdem illam astris caelo inhaerentibus esse descriptam;[8] cuius omnem ornatum et descriptionem, sumptam ab Eudoxo, multis annis post, non astrologiae scientia, sed poetica quadam facultate versibus Aratum extulisse.[9] Hoc autem sphaerae genus, in quo

6. *Natura humana ferre potuisse, iud. fuisse.* Sic Lucretius Empedoclem pari doctrina fulgentem laudans I, 734: *Vt vix humana videatur stirpe creatus.* Lucretianam igitur locutionem imitatus videtur Cicero, qui tamen etiam de N. D. II, 35, ait: *Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphaerae conversionibus, quam naturam in efficiendis.* A. M.

7. *Eudoxo.* Cicero de Divin. II, 42: *Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps.* Eudoxum cum Platone tredecim annos in Aegypto esse versatum dicit Strabo, XVII, p. 1159, unde idem reversus anni rationem Graecos docuit; quam deinde Iulius Caesar emendatiorem Romanis tradidit; ex quo illa eiusdem gloriatio apud Lucanum, X, 187: *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.* Confer et Servium Aen. V, 49, qui tamen Aen. III, 326, frustra criminatur Lucani flexionem grammaticam *fastibus* pro *fastis*, quod iamdiu critici docuerunt. A. M.

8. *Astris ... esse descriptam.* De lectionis huius probitate si quis dubitet, habet, quo dubitationem excuset. Offendit enim locutio *sphaeram astris describere*, pro *sphaerae astra inscribere*, vel *sphaeram astris inscribere*, ut est in or. pro Domo sua, 37, 10: *non monumentum urbis, sed sepulchrum inimico nomine inscriptum*: quam tamen orationem spuriam esse demonstravit F. A. Wolfius: vel, ut Tibullus dixit, I, 3, 54: *Fac lapis his scriptus stet super ossa notis*: ubi Muretus legebat: *Fac lapis inscriptus, etc.* I. H. Vossius autem dedit: *At lapis inscriptus*, etc. q. v. p. 183. Sed quum ipse Noster statim delineationem istam (sit venia verbo Tertulliani) recte *descriptionem* appellet, ipsum quasi delineandi actum, quamquam constructione paullo insolentiore, non incommode verbo *describere* significare videtur. De sideribus Cicero loquens *descriptionis* vocabulo (sed eo sensu, ut sit i. q. distributio, ordo) utitur de N. D. II, 44, 115: *Haec omnis descriptio siderum atque hic tantus caeli ornatus ex corporibus huc et illuc cursitantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest?* Ms.

9. *Aratum extulisse.* Sic etiam de Or. I, 16, Cicero: *constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae ornatissimis atque optimis versibus Aratum de caelo stellisque dixisse.* Porro

solis et lunae motus inessent, et earum quinque stellarum, quae errantes et quasi vagae nominarentur, in illa sphaera solida non potuisse [10] finiri. Atque in eo admirandum esse inventum Archimedi, [11] quod excogitasset, quemadmodum in dissimillimis motibus inaequabiles et varios cursus servaret una conversio. [12]

huius poëmatis exstat partim Ciceronis ipsius interpretatio satis mediocribus versibus. A. M.

10. *Non potuisse finiri.* Recepit Lehnerus A. Maii emendationem *fieri*, ut sit i. q. perfici. Sed et hoc modo esse, quod offendat, fatetur. Et certe non commode dicitur: *Hoc sphaerae genus .... in illa sphaera non potuit fieri.* Negligentius igitur hoc dictum esse existimat pro: *Id autem, quod in hoc sphaerae genere fieret, in quo solis et lunae motus inessent, in illa sphaera solida non potuisse fieri.* Sed singularis mihi videtur emendandi ratio, qua in librum summa cura elaboratum negligentia emendando infertur. Si loquendi ratio minus consueta Ciceroni conceditur, quidni feramus, quod in codice est, *finiri*, quod item potest intelligi *perfici, absolvi?* Et tulerunt Heinr. Sch. et Steinack. Sed Heinrichii nobis cum Cens. Lips. l. c. p. 91, recipienda visa est emendatio *in eo* pro *in ea*, ut sequens *quod* non ad *inventum* referatur, quasi sit relativum, sed ad verba *in eo*, ut sit coniunctio. Mn. — *Dicebat enim Gallus .... quum sol e regione*, etc. In his verborum complexionibus Wolfius, pag. 21, plura sibi videri ait corrupta. Dictum primum [illegible] tum hoc lo- [illegible] *sphaerae* [illegible] *illa sphae-* [illegible] *ex illa solida non potuisse fieri.* (Vide supra nostr. annot.) Magis necessariam eam emendationem existimat, ut *in eo* scribatur pro *in ea* (quod nos quoque correximus). Verba denique *ex quo et in caelo sphaera solis fieret eadem illa defectio* omni sano sensu destituta esse ait. Ad A. Maii emendationes monet, *ex quo* ad totam antecedentem enuntiationem esse referendum, et hunc sibi sensum esse videri: Si soli luna in aheneo illa sphaera commovenda totidem conversionibus succederet, quot diebus eidem in caelo succedit, in illo aheneo globo concavo solis defectio ita observari potuit, quemadmodum in caelo eadem certis temporibus observari potest. Itaque legendum esse coniecit: *ex quo ut in caelo ita in sphaera* (sc. aheneo concava) *solis fieret eadem illa defectio.* — Ceterum non improbo Wolfii rationem: meam simpliciorem existimo. Mn. in Add.

11. *Archimedi.* Concava ergo erat haec, de qua nunc sermo fit, sphaera Archimedis. Sphaeras vero Aegyptiacas atque Chaldaicas, in quibus non tam motus caelestes quam fata hominum et nativitates superstitiosa curiositate expressae erant, vidisse se ait Proclus in comm. ad Platonicae Reip. librum X. A. M.

12. *Conversio.* Confirmat Cicero, Tusc. I, 25: *quum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit, effecit, ut diss-*

Hanc sphaeram Gallus quum moveret, fiebat, ut soli luna totidem conversionibus in aere illo, quot diebus in ipso caelo, succederet; ex quo[13] et in caelo sphaera solis fieret eadem illa defectio, et incideret luna tum in eam metam,[14] quae esset umbra terrae, quum sol e regione[15] . . . . . .

*millimos motus una regeret conversio.* Archimedis sphaerae, in qua sol decurreret, meminit etiam Cassiodorius Var. I, 45. A. M.

13. *Ex quo et in ea sphaera.* Ed. pr. ex cod. pro *ea* habet *caelo.* Quid A. Maius de hoc loco sentiat, in notula exposuit. Sed quid dicam de eius emendatione? Vtraque ratione nihil videtur minus sensui et loco accommodatum. Priorem sequens si deleveris *sphaera*, sensus hic exit mirus: *ex quo*, i. e. ex hac sphaerae Eudoxi conversione, *fieret*, i. e. efficeretur *eadem illa defectio in caelo.* Posteriorem si adoptaveris, scribendo *in caeli sphaera* primum idem sensus exiret plane singularis, quasi aliquid in caelo fiat per illam sphaeram ab Eudoxo excogitatam et a Gallo motam, si *caeli sphaera* diceretur pro caelo ipso. Deinde si de Eudoxi machina ea verba intelligi vult, incommode ita dicitur hoc loco, postquam de ea saepius loquutus est Cic. neque prius eam ita appellavit. Igitur vel temere repetitum esse credo *caelo* ex linea antecedente, eiiciendumque, ut fecit Heinr. vel scribendum, ut nos fecimus, *et in ea sphaera* (ut est apud Cic. de Legg. II, 23, 58, p. 340: *Ad eam quam lamina esset inventa, et in ea scriptum lamina, etc.*) ut sit sensus: ex quo in illa Eudoxi sphaera eadem illa, quae in caelo, fieret solis defectio. Schützius pro sano habere videtur locum: nam nihil plane monet. Lehnerus scripsit: *ex quo, et in caelo, sphaera solis, etc.* Quod, si sensum commodum habere velis, certe scribendum fuit *ex quo, ut in caelo, in sphaera solis, etc.* quae scriptio mihi ipsa haud parum placeret. Sed in annotatione coniicit: *et quae et in caelo, in sphaera*; ubi *et* pro *etiam* positum non satis ex more Ciceronis est. Steinack. correxit: *ex quo et in caelo et in sphaera*: non absone: sed magis tamen placeret quod supra posui *ex quo, ut in caelo, in sphaera, etc.* Mn.

14. *In eam metam.* Cic. de Divin. II, 6 extr. *Vident ex constantissimo motu lunae, quando illa, e regione solis facta, incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit*: ubi vid. quae laudant Davisius et Hottingerus ad locutionem hanc singularem Veterum loca, in primis Ammian. Marcellin. XX, 3, et Plin. H. N. II, 10, ubi est: ..... *nihil aliud esse noctem, quam terrae umbram: figuram autem umbrae, similem metae ac turbini inverso.* Mn.

15. *E regione. . . .* Monet Censor Lips. l. c. p. 54, in hac decem paginarum lacuna sine dubio comprehensam fuisse Phili explicationem parelii, ad quam decimi septimi capitis principio respiciatur: inde vero sumpsisse Ammianum Marcellinum ea, quae narraverit lib. XX, c. 3. — Ad rem conf. etiam Ovid. Fast. VI, 277 sq. Mn. — Lacuna incidit in rem notissimam; et quidem veterem et satis

XV..... fuit, quod et ipse hominem diligebam, [1] et in primis patri meo Paullo probatum et carum fuisse cognoveram. Memini, me admodum adolescentulo, quum pater in Macedonia consul esset, et essemus in castris, [2] perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille, quum legatus noster esset anno fere ante, quam consul est declaratus, [3] haud dubitavit postridie palam in castris docere, nullum esse prodigium; [4] idque et tum factum esse, et certis temporibus semper futurum, quum sol ita locatus fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere.— Ain' tandem? inquit Tubero; docere hoc poterat ille homines paene agrestes, et apud imperitos audebat haec dicere? — Scip. Ille vero, et magna quidem cum [5] . . . . . .

congruentem doctrinam tradit etiam Hieronymus comm. in Is. lib. XVIII, cap. 66, vers. 23: *luna ab ea semper orbis parte completur et fulget, a qua soli vicinior est, nec umbra terrae obscuratur.* Supplementa quaedam lacunae (nempe de siderum in illa sphaera cursu) videtur dare ex ipso Tullio, quem saepe expilat, Lactantius, Inst. II, 5: *Archimedes Siculus concavo aere similitudinem mundi ac figuram potuit machinari; in quo ita solem ac lunam composuit, ut inaequales motus et caelestibus similes conversionibus, singulis quasi diebus efficerent: et non modo accessus solis et recessus, vel incrementa diminutionesque lunae, verum etiam stellarum, vel inerrantium, vel vagarum, dispares cursus orbis ille, dum vertitur, exhiberet.* A. M.

XV. 1. *Diligebam.* Loquitur Scipio de C. Sulpicio Gallo, de quo ipso antea loquebatur Philus. Porro ut C. Sulpicium dilexit Scipio, sic idem P. Sulpicium, eiusdem fortasse fratrem, delicatum hominem, probrosa admodum oratione insectatus est, teste Gellio VII, 12. A. M.

2. *Essemus in castris.* Quippe Scipio annos natus XVII versabatur in Macedonico patris exercitu, quod ait Livius XLIV, 44. A. M.

3. *Consul est declaratus.* Bellum Macedonicum debellatum est anno 586; Sulpicius autem consul fuit ann. 588, sed designatus de more anno priore. A. M

4. *Nullum esse prodigium* Solis et lunae defectiones Plinius, II, 10, appellabat *rem in tota contemplatione naturae maxime miram et ostento similem.* Et quidem omni fere vel eruditissima aetate populum ea re commoveri solitum novimus. A. M.

5. *Et magna quidem cum.* Desiderantur paginae saltem duae. A. M.—

solens ostentatio, neque abhorrens a persona hominis gravissimi: [6] rem enim magnam assequutus, [7] quod hominibus perturbatis inanem religionem timoremque deiecerat. [8]

XVI. Atque eiusmodi quiddam etiam bello illo maximo, quod Athenienses et Lacaedemonii summa inter se contentione gesserunt: Pericles ille, [1] et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, quum obscurato sole [2] tenebrae factae essent

Videtur statim supplendum *exercitus nostri salute*; reliqua oratio quae fuerit, docent historici. Plinius in primis, II, 12: *et rationem quidem defectus utriusque primus romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus, qui consul cum Marcello fuit: sed tum tribunus militum, sollicitudine exercitu liberato, pridie quam Perseus rex superatus a Paullo est, in concionem ab imperatore productus ad praedicendam eclipsim, mox et composito volumine.* Rem narrat etiam Polybius apud Suidam voc. πολλὰ κενά, et Livius XLIV, 37, a quo item Gallus dicitur fuisse tribunus militum. Rursus rem habes apud Frontinum Strat. I, 12: Valerium M. VIII, 11, 1, qui Gallum dicit legatum Paulli, ut Cicero: necnon apud Plutarchum in Aemil. 17, qui tamen totam illam eclipseos prudentiam atque doctrinam perperam tribuit ipsi Aemilio Paullo. Contra Christ. Columbus lunae defectu prudenter abusus est ad terrendos animos Americanorum. Robertsonus, Hist. Americ. lib. II, fin. Porro astronomiam esse utilem rei militari confirmat Plato Reip. VII, p. 597, D. A. M.

6. *Gravissimi.* Adhuc Scipio defendit Sulpicium contra Tuberonis exceptionem. Itaque lacuna haec brevis admodum fuisse videtur, nempe paginarum duarum; maior vero illa anterior, paginarum scilicet octo, praesertim quum in illa priore mutetur interlocutoris persona. A. M.

7. *Rem enim magnam assequutus.* Heinr. dedit: *rem enim erat magnam assequutus*: neque commode caret locus eo verbo. Noluimus tamen aliquid addere, quia lacuna est ita propinqua, ut, utrum ita sit scribendum, an, omisso *enim*, reponendum *rem erat magnam assequutus*, certo decerni non possit. Mn.

8. *Quod..... deiecerat.* Simili modo loquutus est Noster, Tuscul. II, 5, 14: *Videsne igitur, quantum, breviter admonitus, de doloris terrore deiecteris?* et in Verr. act. II, lib. V, 49, 130: *Hunc ego si metum Siciliae, damnatione istius, per vestram fidem et severitatem deiecero.* Mn.

XVI. 1. *Pericles ille.* Politici perfectissimi exemplar Pericles, sub quo Thucydides, II, 65, observat verbo Athenas fuisse liberas, reapse vero principem et moderatorem civitatis ipsum exstitisse. Idem eximio testimonio orator πάντων τελειότατος dicitur a Platone Phaedr. p. 269, E. A. M.

2. *Obscurato sole.* Conferre nos jubet Censor Lips. (1824, 6, p. 46) Valerium Max. VIII, 11, ext. 1, ubi est: *quum obscurato repente sole inu-*

Digitized by Google

repente, Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse cives suos dicitur id, quod ipse ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, [3] acceperat, certo illud tempore fieri, et necessario, quum tota se luna sub orbem solis subiecisset; itaque, etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse, nisi certo intermenstruo tempore. Quod quum disputando rationibusque docuisset, populum liberavit metu; [4] erat enim tunc haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositum solere deficere; [5] quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. Id autem postea ne

*sitatis perfusae tenebris Athenae sollicitudine agerentur* (legerem *angerentur* cum Lipsio. *T.*), *interitum sibi caelesti denunciatione portendi credentes, Pericles processit in medium, et, quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunae cursum acceperat, disseruit: nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est.* Vbi manifesto Ciceronis manum agnoscis. Mn.

3. *Cuius auditor fuerat.* Pericli ab Anaxagora ait Plutarchus in illius vita, cap. 7, detractam fuisse superstitionem; qua tamen egregie idem Pericles non sine politico astu usus est, quum obiecta militibus Ditis patris falsa imagine, victoriam illam praedicendam sibi curavit, quam reapse consequutus est. Lege Frontinum Strat. I, 11. A. M.

4. *Populum liberavit metu.* Plutarchus in Pericle 35 ait, classe Atheniensium ob solem deficientem territa, Periclem navarcho chlamydem prae oculis obtendisse, ac porro rogavisse num id ei prodigium videretur? quo negante, Atqui, inquit Pericles, cur hoc ab illo differt, nisi quia illud, quod tenebras orbi offudit, maius chlamyde est? Eodem astus genere terrorem fulminis sustulit Pericles, Suid. voc. Περικλῆς. Sapienter vero observat Polybius IX, 19, Niciam contra, qui haec ignoraret, lunae defectu territum, se copiasque suas in Sicilia internecioni obtulisse; quam rem habes apud Thucydidem VII, 50 seq. et apud Plinium II, 12. Eadem de Gallo, Pericle et Nicia refert Quintilianus Inst. I, 10, qui praeterea notat, Dionem illum Platonis discipulum et familiarem quum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non esse pari casu deterritum. A. M.

5. *Solem lunae oppositum solere deficere.* Quid sit sol lunae oppositus, nemo dixerit, nisi si accipiatur pro e regione lunae oppositus, terra nimirum interposita. Atqui hoc non ad solis, sed ad lunae defectionem pertinet: quumque hoc loco solaris defectionis mentio et explicatio requiratur, una litera expuncta, legendum: *solem lunae oppositu solere deficere* i. e. ἐπιπροσθήσει, quam doctrinam attigi ad Cleomedem pag. 353. I. B. loc. cit. pag. 455 sq. Mn. in Add.

nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, [6] anno quinquagesimo[7] ccc fere post Romam conditam, non. iuniis, «Soli luna obstitit, et nox ». [8] Atque hac in re tanta inest ratio atque solertia, ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus[9] consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint, usque ad illam, quae nonis quintilibus fuit regnante Romulo; [10] quibus quidem Romulum tenebris etiamsi

6. *Fugit, qui ut scribit, anno. Vt* forte irrepsisse in alienum locum putat I. V. *Leclero.* Maius autem praeponendum ait Ennii versui: *Vt nonis iuniis soli luna obstitit et nox.* Sic enim versus integer fiet. — Ita distinximus cum Heinr. et Lehn. quum A. Maius et Sch. distinctionem posteriorem omiserint. Recte monet Lehn. verba *qui ut scribit* esse i. q. *apud quem, ut scribit*, i. e. *apud quem, ut eius verbis utar.* Steinackerus in ed. edidit *qui adscribit anno* etc. sed postea in libello, quem ad Niebuhrium refellendum scripsit, p 15, ad Heinrichii rationem se applicuit. Mn.

7. *Trecentesimo et quinquagesimo.* A. Maius, quum numerum *CCC* supra lineam positum reperisset, scripsit *quinquagesimo CCC.* Nos cum Heinr. numeros transponendos esse duximus, quod, quum maior numerus in cod. a prima manu omissus fuerit, eo magis facere licebat. Mn.

8. *Non. iuniis, Soli luna obstitit, et nox.* Sic legit Moser: *nonis iuniis soli luna obstitit et nox.* Habes, una syllaba deficiente, Ennii exametrum, ut ediderunt Steinackerus et Lehnerus. Reliqui cum A. Maio versus fragmentum a verbo *soli* incipiunt. Heinr. scripsit *Iuniis*, quod nos item fecissemus, nisi eam vocem versui adscribendam crederemus.

9. *Maximis annalibus.* De iis vid. Turneb. ad Cic. de Legg. I, 2, 6, pag. 533, et nos pag. 16, ibidemque. Cs. — *Maximi annales appellabantur non magnitudine, sed quod eos pontifex maximus consecrasset*, ut ait Paullus voc. *maximi.* Horum annalium naturam perspicue docent Tullius de Or. II, 12, et Servius Aen. I, 373. Praeter res gestas singulorum annorum, observationes quoque caelestium φαινομένων ibidem fuisse scriptas testatur apud Gellium, II, 28, Cato. Defectuum solis et lunae canonicas supputationes, quae literis essent mandatae, memorat etiam Augustinus, ep. LV, 7, deque iisdem ait, C. D. III, 15, loquutum fuisse in Hortensio Tullium. Profecto eclipsium notatio percommoda historiae est: eam igitur diligenter scripserunt in utroque chronologici operis corpore ante et post Christum natum gallici auctores. Vtrum vero Vrbis anno *CCCL* nonis iuniis solaris Romae eclipsis contingere potuerit, id videlicet astronomi dispicient. Nobiliores quidem solis defectiones, quae Romae visae sunt ab anno 1804, III id. febr. retro usque ad Romulum, recensuerunt Cl. duumviri Iosephus Calandrellus et Andreas Comes, romanae astronomiae moderatores. A. M.

10. *Romulo.* Non de nihilo est,

Digitized by Google

natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

XVII. Tum Tubero: Videsne, Africane, quod paullo ante secus tibi videbatur, [1] doc . . . . . [2] lis quae videant ceteri. Quid porro [3] aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec deorum regna perspexerit? aut diuturnum, qui cognoverit, quid sit aeternum? aut gloriosum, qui viderit, quam parva sit terra,[4] primum universa, deinde ea pars eius, quam homines incolant; quamque nos [5] in exigua eius parte affixi, plurimis ignotissimi

quod Cicero solis defectum in Romuli tantum obitu memorat, non item in eiusdem conceptu, qui videtur quibusdam error Dionysii, Hist. II, 56, traditioni priscae fidentis. Astronomi autem nonnulli negant Romae accidere potuisse solis defectionem anno, quo Romulus ex vulgari sententia procreatus fuit: vel certe annus, quo Vrbem is condidit, transferendus est. Nonis quintilibus obiisse Romulum solemque defecisse ait etiam Plutarchus in Rom. 27. A. M.

XVII. 1. *Tibi videbatur, doc.* Quid lateat in sequente lacuna, haud difficili coniectura adsequemur. Quum enim superius, cap. 10, se aegre adsentiri astronomorum affirmationibus dixisset Scipio, iam eam dubitationem Tubero dicit praesenti confabulatione fuisse sublatam. Scipio autem, qui nunc loquitur, e caelestium consideratione occasionem capiendam ait contemnendi terrestrium parvitatem. (In hac lacuna optime collocabitur locus ex incerto Tullii opere ab Augustino prolatus de Vita beata, § 22: *An vero* (quod ait Tullius) *multorum in terris praediorum dominos divites appellamus; omnium virtutum possessores pauperes nominamus?* (Sane ibi Augustinus, § 23, consentit cum Cicer. de Rep. I, 42: ait enim sibi et sodalibus *placuisse ut in pratulo considerent*). Sententia tamen haud fere absimilis est apud Cicer. Parad. 6. A. M. in Emm.)

2. Desiderantur paginae duae.

3. *Quid porro ..... perspexerit?* Seneca Quaest. Nat. I, praef. *iuvat inter sidera ipsa vagantem divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram.* Lege cetera huiusmodi, quae ibidem dicuntur magnifice, multoque magis in Consol. ad Helviam, cap. 9. A. M.

4. *Quam parva sit terra.* Ad rem facit notissima illa de Socrate Alcibiadis fastum perstringentis narratio, quam servavit Aelianus, Var. Hist. III, 28. Mr.

5. *Quamque nos*, etc. Haec structura quum paullo sit impeditior, ne cui emendandi ansam praebeat, vel libidinem excitet (qualem mihi is non probavit qui me scribere iussit; *quamque*, i. e. quantopere, *nos ... plurimis ignoti simus gentibus, sperantes tamen*), ne igitur ita, vel simili modo, aliquis offendat, verbo

gentibus, speremus tamen nostrum nomen volitare et vagari [6] latissime? Agros vero [7] et aedificia et pecudes et immensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare, [8] nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam teterrimorum hominum immensa possessio, [9] quam est hic fortunatus putandus! [10] cui soli vere liceat omnia, non Quiritium, [11] sed sapientium iure, pro suis vindicare, nec civili nexo, [12] sed communi lege naturae, quae vetat ullam

moneo iungenda esse: *qui viderit, in quam exigua eius parte adfixi . . . . . nihilo minus speremus, etc.* Superlativo *ignotissimus* Noster usus est or. pro Flacco 17, 40: *dubitatis, iudices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis?* Ma.

6. *Volitare et vagari.* Poëtice hoc dictum est ad imitationem Ennii, cuius hi versus exstant apud Nostrum de Sen. 20, 72. Tusc. I, 49 et 15: *Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu Faxit. Cur? volito vivo' per ora virum.* Ma.

7. *Latissime . . . . vero.* Haec dicuntur a Scipione copiosius in Somnio. Scipionis in gloria modestiam animi et moderationem confirmat ex eius dicto Cicero Off. I, 26. A. M.

8. Noster saepissime pronomen relativum post plura verba ponit, quibus praeponi debebat: in primis memorandus, et rarioris exempli est hic locus. Ma.

9. *Immensa possessio?* Immo Plato Leg. V, pag. 742, ait: πλουσίους δ' αὖ σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς, ἀδύνατον. Apte autem sic loquitur Scipio, qui, tantis rebus gestis, patrimonio satis mediocri contentus fuit. Cic. Or. 70, parad. 6, Sed Scipionis abstinentiam pecuniaeque contemptum nemo certius praedicat quam ocularis testis Polybius XXXII, 12. A. M.

10. Sic interpungere suasit Peyronus V. C. post Bencium; luculentior enim sensus prodit, quam si cum reliquis editoribus interpunxeris: *latissime? agros vero..... immensa possessio? Quam est hic fortunatus putandus, cui soli,* etc. *T.*

11. *Non Quiritium.* Formula *ex iure Quiritium* notissima in iure, sive de dominio sermo sit, sive de acquisitione, sive de aliis quibusdam rei familiaris negotiationibus. De nudo iure Quiritium tollendo exstat lex Iustiniani cod. VII, 25, 1. De iure Quiritium vid. Car. Sigonius de Ant. iur. Ital. pag. 130 ed. Wechel. 1593. Lexicon Iuridicum ex Brisson. Hotom. et Pratei. p. 977. Ma.

12. *Nec civili nexo. Nexum* vel *nexus* est obligatio quaedam civilis, quae fiebat adhibitis testibus, civibus romanis, idque per aes et libram, i. e. aere nummove aliquo percussa libra: quo facto solutio repraesentabatur: sicque non minus corpus, quam bona, obligabatur, ut pignus; praesertim si quis pro pecunia, quam debebat, operam suam corpusque servituti subie-

Digitized by Google

rem esse cuiusquam, nisi eius, qui tractare et uti sciat; qui imperia consulatusque nostros in necessariis, non in expetendis rebus, muneris fungendi gratia subeundos, non praemiorum aut gloriae causa appetendos putet; [13] qui denique, ut Africanum avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam se plus agere, quam nihil quum ageret; numquam minus solum esse, quam quum solus esset. [14] Quis enim putare vere potest, plus egisse Dionysium tum, quum omnia moliendo eripuerit civibus suis libertatem, quam eius civem Archimedem, quum istam ipsam sphaeram, nihil quum agere videretur, de qua modo dicebatur, [15] effecerit? Quis autem non magis solos esse, qui in foro turba-

cerat. Plura vide apud Ern. in Clav. Cic. apud Sigonium de Ant. Iure Civ. Rom. lib. I, c. 11, 12, p. 45 sq. et 49, ed. Wechel. et in Lexico Iurid. ex Brisson. Hotom. Pratei. et Cuiac. pag. 759 (Genev. 1615, in-8.) Ceterum, quamquam *nexum* dixit Cicero et *nexus*, eum tamen eius usum observasse mihi videor, ut genitivo casu plerumque dicat *nexi*, casu ablativo *nexu*, utrumque ambiguitatis vitandae causa: v. c. de Har. Resp. 7, 14: *multae sunt domus... iure mancipi, iure nexi.* (Quamquam haec oratio in spuriis habetur, nihil tamen impedit, quo minus hoc exemplo utar). Paradox. V, 1, 35: *quae sunt... facta nexu, aut aliquo iure civili.* Mn.

13. *Causa appetendos putet.* Plato Reip. I, p. 347: οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἐθέλουσιν ἄρχειν οἱ ἀγαθοὶ οὔτε τιμῆς· οὐ γάρ εἰσι φιλότιμοι· δεῖ δὲ αὐτοῖς ἀνάγκην προσεῖναι καὶ ζημίαν εἰ μέλλουσιν ἐθέλειν ἄρχειν. Cicero Off. II, 22: *habere quaestui remp. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium.* Hinc et Maximus (inter Aug. serm. suppos. 82, 1): *nec remp. gerere criminosum est; sed ideo agere remp. ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile.* Denique ad gloriam quod attinet Augustinus C. D. XIX. 19, ait: *locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Confer eumdem Aug. C. D. V, 3, et ep. CCXXXI. A. M.

14. *Quam quum solus esset.* Id dictum repetit Cicero Off. III. 1. De otio clarorum virorum atque magnorum vide sis, quae docte collegit Pareus in electis Symmachianis p. 81. A. M. (coll. p. 91 sq. Mn.)

15. *De qua modo dicebatur.* Has proposit. sic transposuit Moser. *Sphaeram, de qua modo dicebatur, nihil quum agere videretur, effecerit?*

que, quicum colloqui libeat, non habeant, [16] quam qui nullo arbitro vel secum ipsi loquantur, vel, quasi doctissimorum hominum in concilio adsint, cum eorum inventis scriptisque se oblectent? Quis vero divitiorem quemquam putet, quam eum, cui nihil desit, quod quidem natura desideret? [17] aut potentiorem, quam illum, qui omnia, quae expetat, consequatur? aut beatiorem, quam qui sit omni perturbatione animi liberatus? aut firmiore fortuna, quam qui ea possideat, quae secum, ut aiunt, vel e naufragio possit efferre? [18] Quod autem imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse praestantius, quam despicientem omnia humana, [19] et inferiora sapientia ducentem, [20] nihil umquam nisi sempiternum

16. *Non habeant.* Cicero ad Att. I, 18: *quum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari libere, aut suspirare familiariter possimus.* A. M.

17. *Quod quidem natura desideret?* Spretis iis, ut Lucr. I, 457: *quorum... adventu manet incolumis natura abituque.* A. M.

18. *Fortuna, quam... e naufragio possit efferre?* In hanc sententiam dictum est illud Biantis philosophi, qui interrogatus, cur nihil ex suis bonis secum ferret, Ego vero, inquit, bona mea mecum porto. Valer. Max. VII, 2, ext. 3. Conf. Cic. Parad. I, 2, 8 sq. qui melius Valerio sensum sententiae illius perspexit. Mr.

19. *Despicientem omnia humana.* Explicat haec ipse Cic. de Fin. III, 8, 29: ...*eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quae cadere in hominem possint, despicere ac pro nihilo putare.* Ita verba sequentia: *et inferiora sapientia ducentem* conferenda cum Cic. de Amic. II, 7: *Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes.* Add. de Offic. I, 20, 66: *Fortis animus... cernitur... in rerum externarum despicientia*: et ib. 18, 61: *animo magno elatoque, humanas res despiciente,* ubi vide Beier. pag. 141 et 152, ibique laudd. Mr.

20. *Ducentem.* Scipionis nostri ceteroqui ambitiosiorem animum dicit Cicero Off. I, 30 (ibique Beier. pag. 232): *in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior.* Et sane hominum ambitiosorum tristissimos saepe vultus videmus. Multi autem omni aetate fuerunt, qui Curios simularunt. Legesis de rerum humanarum despicientia Epicureos vel vita, vel secta homines v. gr. Lucretium II, 7, V, 1116 (ibique Creech.); Virgilium Georg. II, 458; Horatium, Sallustium et Se-

Digitized by Google

et divinum animo volutare? cui persuasum sit, appellari ceteros homines, esse solos eos, [21] qui essent politi propriis humanitatis artibus. [22] Vt mihi Platonis illud, seu quis dixit alius, [23] perelegans esse videatur; quem quum ex alto ignotas ad terras tempestas, et in desertum littus detulisset, timentibus ceteris propter ignorationem locorum, animadvertisse dicunt, in arena geometricas formas quasdam esse descriptas; quas ut vidisset, exclamavisse, [24] ut bono essent ani-

necam passim. Ciceronis etiam sextum paradoxon in hoc argumento versatur. A. M. (Vniverse de hac re et copiose disputat Petr. Gassendus in Philosophiae Epicuri Syntagmate Part. III, in primis capp. 4, 18, 23. Ma.)

21. *Appellari ceteros homines, esse solos eos, qui*, etc. I. e. si quid video, *ceteros quidem hominum nomen gerere, revera autem homines esse solos eos, qui*, etc. Quae quamquam sunt satis perspicua, Henrichius tamen post *eos* asteriscum, sive lacunae, sive depravationis signum posuit, et duo viri eruditi, quorum nomina silentio premere praestat, coniecturis tentarunt locum, alter scribere me iubens: *appellari veros homines posse solos eos, qui*, etc. alter: *appellari ceteros homines esse solitos eos, qui*, etc. quibus ego coniecturis, posteriore praesertim, nihil vidi infelicius. — Quomodo h. l. dicit *homines politos humanitatis artibus*, ita dicit de Or. II, 37, 154, *humanitate politos*. Ma.

22. *Artibus*. Hinc illa Diogenis arrogantia, qui, quum in publico clamavisset, heus homines, complures-que convenissent, baculo eos abegit dicens, se homines non sterquilinia advocasse. Laërt. VI, 2, 6. A. M.

23. *Seu quis dixit alius*. Nempe Aristippus. Profecto Laërtius II, 8, 4, aliud item dictum refert Aristippi, quod quidam Platoni tribuere malebant. A. M.

24. *Exclamavisse, ut*. I. e. exclamantem monuisse, ut, etc. Neque vero hic locus in iis est ponendus, ubi post verba dicendi ponitur *ut* pro accusativo cum infinitivo, qua de constructione loquitur Goerenz. ad Cic. de Fin. II, 33, 108, p. 284 sq. et, quem laudat, Gesnerus ad Quint. VII, 1, 35, idemque in Thesauro L. L. voc. *ut*. Ma. — *Videre enim se hominum vestigia*. Vocabulum *exclamavisse* superadditum est in codice, quamquam aegre admodum legitur. Alioqui supplementum loci petivissem e proœmio Vitruviani libri sexti, cuius initium est: *Aristippus philosophus Socraticus, naufragio quum eiectus ad Rhodiensium litus animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur: bene speremus, hominum enim vestigia video*. De hoc Aristippi naufragio loqui puto August. C. D. IX, 4. Geometriae scientiam non solum humanae naturae diserte propriam voluerunt philosophi, verum etiam divinae. Cassiodorius de Art. cap. 4: *geometriam philosophi ut praecohiis celeberrimis efferrent, Iovem suum in operibus propriis geometram fuisse testantur*. A. M.

mo; videre enim se hominum vestigia: quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinae indiciis interpretabatur. Quamobrem, Tubero, semper mihi et doctrina, et eruditi homines, et tua ista studia placuerunt. [25]

XVIII. Tum Laelius, Non audeo quidem, [1] inquit, ad ista, Scipio, dicere; neque tam te, [2] aut Philum, aut Manilium [3] . . . , . . . . . in ipsius paterno genere [4] fuit noster ille amicus, dignus huic [5] ad imitandum,

Egregie cordatus homo Catus [6] Aeliu' Sextus; [7]

25. *Et tua ista studia placuerunt.* Dignum principe reip. dictum! Huc pertinet Constantii et Iuliani lex cod. Theod. XIV, 1, 1: *ne litteraturae, quae omnium virtutum maxima est, praemia denegentur, eum, qui studiis et eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra provisio.* Alii tamen legunt *virtutum magistra*, quibuscum consentiunt Augustinus C. D. XIX, 3, qui ait virtutem a doctrina inseri velut artem vivendi. Et quidem Isocrates (Or. de permut.) magnopere iubet, ut magistri non sine virtute doctrinam alumnos doceant. Pleni vero omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas (liceat verbis Tullianis loqui), ut minime dubitemus, eum, qui praecipuis reip. fungatur muneribus, debere litterarum ornamentis florere. Duos interim imperii iam ruentis aut lapsi summos homines consulere sufficit; nempe Symmachum, ep. I, 21, X, 3[1]; Cassiodorium V, 4, VIII, 12, IX, 7, X, 3, 6, 7, XI, 1, 13. A. M.

XVIII. 1. *Non audeo quidem.* Possis coniicere: *non audeo quidquam... ad ista... dicere*: ut *dicere* habeat suum accusativum. Sed item sine accusativo idem verbum posuit Noster, Philipp. V, 19, 53: *dixi ad ea omnia, consules, de quibus retulistis.* Mr.

2. *Neque tam te.* Sapienter Laelius satagit, quominus Scipioni, Philo, et Manilio, tantis viris ac senibus, adversari videatur. Totam vero reprehensionem in lacuna convertisse eum puto contra Tuberonem adolescentem, qui caelestia illa de Scipione quaesierat et plus aequo philosophiae vacabat: quod non modo ex his de Rep. libris constat, verum etiam de Or. III, 23: *dies et noctes virum summa virtute et prudentia videbamus, philosophiae quam operam daret, Q. Tuberonem; at eius avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum.* Scilicet Africanus, secus ac Tubero, *retinuit* (ut cum Tacito, Agr. 4, loquar), *quod est difficillimum, ex sapientia modum.* A. M.

3. *Manilium.* Desiderantur paginae duae.

4. *Paterno genere.* De Scipionis gente ait Cic. in Bruto 58, 222: *Etenim Scipionis genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum.* Mr.

5. *Huic.* Q. Aelio Tuberoni praesenti. A. M.

Digitized by Google

qui egregie cordatus et catus fuit, et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, qui quaesissent, et cura et negotio solverent; cuique contra Galli studia disputanti, in ore semper erat ille de Iphigenia [8] Achilles: [9]

Astrologorum signa in caelo quaerit; [10] observat, Iovis
Quum Capra, aut Nepa, aut exoritur nomen aliquod belluarum;
Quod est ante pedes, nemo spectat; caeli scrutantur plagas. [11]

6. *Homo Catus.* De hoc vocabulo sic Varro, L. L. VI, 3: *cata, acuta; hoc enim verbo Sabini dicunt: quare catus Aelius Sextus, non, ut aiunt, sapiens, sed acutus.* Consentit Augustinus C. D. IV, 21, *catos*, id est, *acutos.* Quare haud scio an recte Plutarchus in Cat. maiore cap. 1, doceat, Catoni factum esse nomen a voce latina *cato*, quae ipsi est ἴμπειρος. Ca.

7. *Aeliu' Sextus.* Superest hic versus ex annali Ennii decimo, legiturque apud Tullium etiam, Tusc. I, 9, et de Or. I, 45.. A. M.

8. *Iphigenia.* Iphigeniam tragoediam scripserunt Ennius et Naevius. Et sane in Ennianae Iphigeniae fragmentis editis mentio stellarum fit: quia scilicet Agamemnon, filiae immolandae horam exspectans, sidera contemplatur. Confer Euripid. Iph. in Aul. 6 et 717. Sed et Achilles tragoedia Accii itemque Ennii memoratur a Festo et Nonio. Hic tamen de Iphigenia tragoedia cogitandum omnino est, ita ut hi versus verba sint Achillis, qui Iphigeniae adversus Agamemnonis crudelem superstitionem suppetias ferebat. Res satis constat ex Euripide. Neque tamen caret suspicione corruptionis hic locus. Versus certe scribuntur in codice continui; neque eos ego sine quadam animi perplexitate sive a Ciceronis verbis, sive ipsos inter se dispesco. Venit enim mihi in mentem Aemilius Portus, qui Menandri historici prosaicum locum (apud Suidam voc. αὖσιος) comici esse putavit, atque ex eo versus iambicos facere nisus est; necnon contrarius error Herveti, qui comici nescio cuius versiculos, Sexti Empirici verba putavit lib. VI, 35. Rem igitur criticis versandam permitto. A. M.

9. *In ore semper erat ille de Iphigenia Achilles.* Hab. cod. *Illa... Achilles*, legit autem Mos. *Illa... Achillis*, suspicans in *Achilles* vestigia scriptionis antiquae *Achillei* exstare.

10. *Quaerit.* Ita (*quidsit*) cod. Sine dubio corrigendum *quaerit: observat.* Sic enim loquitur ipse Cicero p. 57. A. M.

11. *Caeli scrutantur plagas.* Postremum hunc versum recitat Cicero etiam de Divin. II, 13. Plagium ludicrum Senecae licet agnoscere, qui verba *caeli scrutatur plaga* e poëta tragico sumpsit, et salse ad Claudium irridendum transtulit in ἀποκολοκυντώσει. Sed enim de astrologia honorificentius Achille iudicat Vlixes apud Homerum notante Polybio IX, 16. Lege et Virg. G. II, 477. A. M. — Hos versus aliter legit Mos. nempe

Atque idem (multum enim illum audiebam, et libenter) Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinae esse dicebat; magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui se ait philosophari velle, sed paucis; nam omnino, haud placere. [12] Quod si studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et transfusa [13] latius, quae vel ad usum vitae, vel etiam ad ipsam rempublicam conferre possumus. Istae quidem artes, si modo aliquid, valent, ut paullum acuant et tamquam irritent ingenia puerorum, quo facilius possint maiora discere. [14]

XIX. Tum Tubero, Non dissentio a te, Laeli; sed quaero, quae tu esse maiora intelligas.—Lael. Dicam mehercule, et contemnar a te fortasse, quum tu ista caelestia de Scipione quaesieris; ego autem haec, quae videntur ante oculos, esse magis [1] putem quae-

distinctionem post *observat* delet; dat *belluae* pro *belluarum*, *quod 'st* pro *quod est*. Et sic hab. cod. ubi reperias quoque *obȳservationis* pro *observat Iovis*, quod facere ausus est Maius.

12. *Haud placere*. Sic Cicero de Or. II, 37: *miror cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris. Minime, inquit Antonius: ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, paucis; nam omnino haud placet*. Tum Tusc. II, 4: *Neoptolemus apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere*. Apud Propertium, III, 15, 29, dicitur *durus Zethus*; apud Horatium, ep. I, 18, 42, *severus*. A. M.

13. *Et transfusa latius*. Verbum *transfundere* eo sensu, ut sit fere i. q. *diffundere*, alibi non facile reperias. Ma.

14. *Quo facilius possint maiora discere*. Imitari ac prope exscribere videtur Cicero dilecti sibi Isocratis orationem de permutatione, quae paucos ante annos Mediolani primum integra edita est. Sic autem ibi p. 117: Οἱ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων ὑπειλήφασιν ἀδολεσχίαν καὶ μικρολογίαν εἶναι τὰ τοιαῦτα τῶν μαθημάτων, κ. τ. λ. περὶ τὴν περιττολογίαν καὶ ἀκρίβειαν τῆς ἀστρολογίας καὶ γεωμετρίας διατρίβοντες καὶ δυσκαταμαθήτοις πράγμασιν ἀναγκαζόμενοι προσέχειν τὸν νοῦν, κ. τ. λ. ἐν τούτοις γυμνασθέντες καὶ παροξυνθέντες, ῥᾷον καὶ θᾶττον τὰ σπουδαιότερα καὶ πλέονος ἄξια τῶν πραγμάτων ἀποδέχεσθαι καὶ μανθάνειν δύνασθαι. Sed enim geometriam in primis commendabat imperatorio viro Polybius IX, 20, 31: quae omnia nostris temporibus extra controversiam sunt. A. M.

XIX. 1. *Ante oculos, esse magis*. Malim distinctionem ita positam:

renda. Quid enim mihi [2] L. Paulli nepos,[3] hoc avunculo,[4] nobilissima in familia,[5] atque in hac tam clara republica natus,[6] quaerit, quomodo duo soles[7] visi sint; non quaerit, cur in una republica duo senatus, et duo paene iam populi[8] sint? Nam, ut videtis, mors Tib. Gracchi,[9] et iam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas partes;[10] obtrecta-

*ante oculos esse, magis*, etc. Cr. — Rarior videlicet est usus verbi *videri* propria, id est, passiva significatione, ut est Acadd. II, 25, 81: *Dicet me acrius videre, quam illos pisces fortasse, qui neque videntur a nobis, et nunc quidem sub oculis sunt, neque ipsi nos suspicere possunt.* Sed talis locutio non tam infrequens, quam ea, quae in contextu est, si servas A. Maii distinctionem, nimirum ut dicatur, *videri ante oculos*, quod vix alibi apud Ciceronem inventum iri existimo. Nam quod est Orat. 29, 101, *quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus*; hoc non fulcit singulare illud dictum. Mr.

2. *Quid enim mihi L. Paulli nepos ... quaerit.* Eodem modo *tibi* ponitur ad Fam. IX, 2: *At tibi repente paucis post diebus, quum minime exspectabam, venit ad me Caninius.* Ita *mihi* Paradox. V, 2, 36: *An ille* mihi *liber, cui mulier imperat?* Ad quem locum Wyttenbachius in Dictatis ad Cic. Parad. quae ad manum habeo et aliquando editurus sum, haec: *Est dativus Atticus, qui significat admirationem, item* meo iudicio, *veluti h. l. an illum ego liberum iudicem?* Mr.

3. *L. Paulli nepos.* Natus ex Aemilia, Pauli filia, sorore Africani. A.M.

4. *Hoc avunculo.* Scipione Aemiliano praesente. A. M.

5. *Nobil. in familia.* Aelia. A.M.

6. *In hac tam clara republica natus.* Eleganter Cicero facit Laelium haec verba dicentem, similia partim iis, quae sunt in oratione ipsius Laelii in funere Africani dicta; cuius orationis, quam recitavit Q. Maximus frater ipsius Africani (Cicero pro Murena cap. 36), nobilem particulam e palimpsesto Tulliani interpretis Vaticano nos posthac excitabimus. A.M.

7. *Duo soles ... duo senatus.* Alio modo, sed item egregio illud de duobus solibus portentum ad rempublicam applicat Noster in libris de Nat. Deor. II, 5, *sole geminato... quo quidem anno P. Africanus, sol alter, exstinctus* Cr.

8. *Et duo paene iam populi sint?* Senatus auctoritatem et ordinum concordiam dicit Cicero ad Attic. lib. I, ep. 18, duo firmamenta reipubl. a se constituta. A. M.

9. *Mors Tib. Gracchi.* Augustinus, Civit. Dei lib. II, cap. 21, sit: *Eo quippe tempore disputatur (de rep.), quo iam unus Gracchorum occisus fuit, a quo scribit seditiones graves coepisse Sallustius: nam mortis eius fit in eisdem libris commemoratio.* A.M

10. *Divisit populum unum in duas partes.* Neque enim plebs cuncta romana Graccho favebat, sed intactam perniciosis illis consiliis partem tradit Velleius lib. II, cap. 3. Apte huic loco Aristoteles, Reip. V, 9, queritur,

tores autem et invidi Scipionis, initiis factis a P. Crasso [11] et App. Claudio, [12] tenent nihilo minus illis [13] mortuis senatus alteram partem dissidentem a vobis, auctore Metello [14] et P. Mucio; neque hunc, [15] qui unus potest, concitatis sociis et nomine Latino, [16]

a plebeiis demagogis, qui locupletes in politia libera oppugnant, scindi in duas partes remp. solere. A. M.

11. *Initiis factis a P. Crasso.* Est graeca loquendi ratio q. d. ἀρξάμενοι ἀπὸ Π. Κράσσου: de qua v. Matthiae Gr. Gr. §. 557, pag. 814; Buttm. ad Platon. Alcib. I, p. 115; Sturz. Lex. Xenoph. I, p. 427. Cr.

12. *Appio Claudio.* Tib. Graccho ferenti legem agrariam adfuerunt consiliarii Appius Claudius princeps senatus, socer eiusdem, necnon P. Crassus Mucianus, et P. Mucius Crassi frater. Plutarchus in Gracch. 9. De postremis testis quoque Cicero, Acad. IV, 5: *Duos sapientissimos et clarissimos fratres P. Crassum et P. (Mucium) Scaevolam aiunt Tib. Graccho auctores legum fuisse; alterum quidem, ut videmus palam, alterum, ut suspicamur, obscurius.* Appius Claudius fuit praeterea Scipionis nostri competitor in censura, quem etiam convicio appetiit. Plutarch. in Aemil. cap. 38. Inimicitiam inter Africanum et Appium Claudium innuit etiam Cicero in fragmentis orat. pro Scauro. A. M. (Cap. 7, ubi tamen consulendi Cramer. et Heinr.) Cr.

13. *Tenent nihilo minus illis mortuis.* Appium ante Tuditani consulatum, id est, ante hunc de rep. dialogum, vita excessisse docet Appianus Bell. Civ. I, 18, 19. Crassum autem biennio ante periisse in praelio adversus Aristonicum aiunt Liv. Epit. LIX; Velleius lib. II, cap. 4; Orosius V, 10, aliique passim historici. Crassi huius laudes eximias legimus apud Val. Max. VIII, 7, 6; Gell. I, 13; Cic. in Brut. 26. A. M.

14. *Metello.* Inter Africanum et Metellum (Macedonicum) sine acerbitate dissensionem exstitisse docet Cicero Off. I, 25. Item Horatius Sat. II, 1, 65: *num Laelius, et qui Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen, Ingenio offensi, aut laeso doluere Metello?* Idem Metellus et Africani mortem aegre tulit, suosque filios feretro portando subire iussit, deque mortuo perhonorifice loquutus est, Plutarch. Apophth. VI, p. 761; Plin. H. N. lib. VII, cap. 44; Valer. Max. lib. IV, cap. 1, 12. A. M.

15. *Neque hunc.* Scipionem, qui creandus erat dictator reipubl. constituendae, nisi violento obitu fuisset oppressus. Lege Somnium. A.M.

16. *Concitatis sociis et nomine Latino.* Confer inferius de Rep. lib. III, sub Laeliani sermonis fine. Socii Italici patrocinium Scipionis invocaverant contra triumvirus, qui possessores agris exturbabant, et omnia per Italiam susdeque miscebant. Appianus Bell. Civ, lib. I, cap. 19. Ab his sociis Italicis et a Latinis Scipio e senatu domum perhonorifice deductus est pridie quam excessit e vita. Cicer. de Amic. 3. Sed enim quod hic Cicero ait, concitatos fuisse socios et nomen Latinum, fortasse intelligit spem civitatis romanae, quam iis Gracchani obtulerant contra senten-

Digitized by Google

foederibus violatis, triumviris[17] seditiosissimis aliquid quotidie novi moventibus, [18] bonis viris locupletibus perturbatis, his tam periculosis rebus subvenire patiuntur. [19] Quamobrem, si me audietis, adolescentes, solem alterum ne metueritis: aut enim nullus esse potest; aut sit sane, ut visus est, modo ne sit molestus; aut scire istarum rerum nihil; [20] aut, etiamsi maxime sciemus, nec meliores ob eam scientiam, nec beatiores esse possumus: senatum vero, et populum ut unum habeamus, et fieri potest, et permolestum est, nisi fit; et secus esse scimus; et videmus, si id effectum sit, et melius nos esse victuros, et beatius.

XX. Tum Mucius, Quid esse igitur censes, Laeli, discendum nobis, ut istud efficere possimus ipsum, quod postulas? — Lael. Eas artes, quae efficiant, ut usui civitati simus: id enim esse praeclarissimum sapientiae munus, maximumque virtutis vel documentum, [1] vel officium puto. Quamobrem ut hae feriae nobis ad utilissimos reipublicae sermones potissimum

tiam senatus. Appianus Bell. Civ. lib. I, cap. 21, 23. A. M.

17. *Triumviris.* C. Graccho, Papirio Carbone, et Fulvio Flacco agro dividundo triumviris. Appian. Bell. Civ. lib. I, cap. 18. Mendose autem apud Aurel. Victorem cap. 65, pro *C. Carbo* scribitur *C. Crassus.* A. M.

18. *Moventibus.* Suspicatur Mos. a Ciceronis manu scriptum fuisse *molientibus*, cui nempe in tali re verbum *moliri* proprium est.

19. *His tam periculosis rebus subvenire patiuntur.* Pervulgata sententia est, unius in summo discrimine auctoritati esse parendum. Sic Cic. de Nat. Deor. lib. I, cap. 4: *Quum is esset reipubl. status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset.* Quin etiam Tacitus, Annal. I, 9, ait, *non aliud interdum discordantis patriae remedium esse, quam ut ab uno regatur.* A. M.

20. *Aut scire istarum rerum nihil.* Nempe *possumus*, quod verbum paullo post sequitur; nisi mavis subintelligere *interest.* A. M. — Negat autem Mos. posse subintelligi *interest.*

XX. 1. *Virtutis vel documentum, vel officium. Virtus* h. l. est praestantia virorum: cf. de Finibus V, 13. et Lindemann ad Plaut. Captiv. II, 2, 74. Possis etiam de perfecta ratione cogitare, ut Noster de Legg. lib. I, cap. 15, ubi vid. nott. p. 110 ed. Mos. et nostr. Cr. — *Documentum virtutis* appellat P. Rutilium in orat. pro Rabirio, 10, 27. Ms.

conferantur, Scipionem rogemus, ut explicet, quem existimet esse optimum statum civitatis. Deinde alia quaeremus: quibus cognitis, spero nos ad haec ipsa viâ [2] perventuros; earumque rerum rationem, quae nunc instant, explicaturos. [3]

XXI. Quum id et Philus et Manilius et Mummius admodum approba [1] . . . . . .

2. *Spero nos ad haec ipsa via perventuros.* Dubius haerere potes, utrum iungas *ad haec ipsa*, i. e. quae volumus, cogitamus, videlicet, eum, qui nunc est reipublicae statum, et quidem *via*, i. e. quod vulgo dicitur *methodice*: ut est de Nat. Deor. lib. II, cap. 22, 57: *Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem via*, ubi vide notam Creuzeri in ed. mai. p. 291, et Davisii ibid. nostram in ed. min. p. 142; an excidisse credas *hac* post *haec* propter similitudinem vocum, ut legendum sit: *nos ad haec hac ipsa via perventuros*, videlicet quam significavi: denique an cum Steinackero iungas *ipsa via*, ut sit *ad haec* i. quod ad nostrae reipublicae statum, et quidem *ipsa via*, i. e. ipso disputationis progressu, vel *sermonis itinere*, ut dixit Noster de Legg. lib. I, cap. 13, 37, p. 92: *sed iter huius sermonis quod sit, vides*: quae tamen lectio dubia est. Villem. omisit *via* in versione gallica, in contextu scripsit, ut Steinackerus, *ipsa via*. Nos rem in medio relinquimus. Mn.

3. *Explicaturos.* Notanda est hic rursus propositio operis. Nam revera primo et altero libro disputabit Scipio, quinam sit optimus civitatis status. In reliquis alia quaerentur; nimirum in tertio de iustitia quaestio erit inter Laelium (qui nunc opus proponit) et Philum; quartus erit de moribus. In quinto autem aut sexto fortasse attigerat inter cetera Scipio, vel quivis alius, paullo accuratius res Gracchanas, quae nunc instabant, quia sermo fuit in iis libris de optimo reip. principe (cuiusmodi Scipio erat, quem propterea contra illos tumultus ducem boni expetebant) et de cavendis reip. commutationibus. A. M.

XXI. 1. *Approbavissent.* Cod. pr. manu *adprova...* secunda *adproba...* Lacunam sic fere explere ausim: *adprobavissent; tum Scipio, partes quidem de rep. disputandi sic ad me defertis, quasi alius assimulare remp. aut melius non possit, aut omnino non possit, veluti Laelius noster et me maior natu et regendae reipubl. peritissimus, et qui mihi perpetuo a consiliis fuit. Sane, inquit Laelius, sermonem hunc de rep. sic ornare possum, ut valde sperem me vobis etiam superfuturum. Hae tamen praecipuae partes, Scipio, tuae sunt. Quare, si placet, deduc orationem tuam de caelo ad haec citima. Quum enim te ad hunc sermonem hortatus sum id quidem non solum ob eam causam*, etc. Lege sis Cic. de Orat. lib. I, cap. 49; Plut. an seni ger. resp. tom. IX, p. 483; Vell. Pat. lib. II, cap. 127. A. M. in Add. — Desiderantur paginae duae.

Digitized by Google

Quasi alius assimulare rempublicam [2] .... *Diomedes, lib. I.*

Quare, si placet, deduc orationem tuam de caelo ad haec citima. [3] *Nonius*, II, 126; IV, 143.

..... non solum ob eam causam fieri volui, [4] quod erat aequum de republica potissimum principem rei-

2. *Quasi alius assimulare rempublicam.* Editum iamdiu fragmentum hic insero. Verba *nullum est exemplum* sunt quidem in Putschiana Diomedis editione, p. 362, sed absunt a codice Diomedis Vaticano, et a tribus antiquioribus, quas consului, editionibus. In Putschiana tamen pro *quasi* est *quam*, cui mendo contradicunt praedictae auctoritates, quae habent *quasi*. Citat autem Diomedes Ciceronem de Rep. incerto libro. Iam verba *nullum est exemplum* (nisi forte obtrusa immerito sunt) videntur Scipionis negantis exemplum nescio quod a Laelio, vel a quovis interlocutore sibi propositum, suadendi causa ut de rep. disputaret. Patricius legebat breviorem hunc locum, ut diximus haberi reapse in codicibus et in antiquis editionibus, putabatque recte verba esse Scipionis recusantis provinciam de republ. disputandi, ut sit sensus: *Sic mihi hoc a vobis de rep. disserendi onus imponitur quasi alius assimulare remp. aut melius non possit, aut omnino non possit.* (*Assimulare remp.* ut Horatius, *simulare cupressum*). Verburgius autem totum id Patricii glossema pessimo instituto exhibuit in editione sua tamquam textum Tullianum inter fragmenta de Republ. p. 3938. A. M.

3. *Ad haec citima.* Locum e lib I de Rep. laudat Nonius cum varietate, nempe *deducere* et *deduc: de eo loco* et *de caelo; citima citeriora* et *exteriora*. Patricius vero legebat, *deduc, oro, rationem tuam*, etc. quae lectio improbabilis est. Mihi haec item verba sunt hic collocanda, ita, ut Laelius Scipionem hortetur ad omittendum de rebus caelestibus sermonem (quod de Socrate dicitur superius cap. 10), atque ad agendum de terrestribus seu civilibus negotiis. Sic Cicero de Nat. Deor. lib. II, cap. 47: *Age ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus.* Locum de rep. videtur imitari politicus Graecus Vaticanus (de quo in praefatione loquutus sum) in quinti libri fragmentis: Τούτου δή τοι θειοτάτων θεωριῶν ἐπόπτης ὁ νοῦς γενόμενος, κάτεισι διὰ τῶν αὐτῶν, δι' ὧν ἀνῆλε, κ. τ. λ. A. M.

4. *Non solum ob eam causam fieri volui.* Quid in hac brevi lacuna perierit, haud absurda coniectura is adsequetur, qui ad locum similem de Or. I, 21, respiciet, in quo Crassus, ut dicat de Oratore, rogatur. Ergo sententia huius loci fuisse videtur: nempe quum seniores ad sententiam Laelii de rogando Scipione accessissent, adolescentes autem, qui aderant, valde idem optare prae se tulissent, tum Laelius Scipionem impensius hortari coepit, ut ne de rep. dicere gravaretur. De modesta et brevi detrectatione Scipionis, quae in hac lacuna delitescat, locus a Diomede citatus facit, ut merito suspicemur. A. M.

publicae dicere ; [5] sed etiam quod memineram, persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio, [6] duobus Graecis vel [7] peritissimis rerum civilium, [8] multaque colligere, ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores nostri nobis

5. *De republica ... dicere.* Similia persuadendi momenta amicis suis erga se ipsum tribuit Cicero, quibus, ut historiam romanam conscribat utque de legibus disputet, excitatur, de Legg. I, 2-4. Ad v. *potissimum* tenendum, eam non iungendam esse cum praecedentibus *de republica*, quo facto is exiret sensus ineptus: aequum esse, principem reipublicae non de aliis rebus, sed de republica potissimum loqui. Sed *potissimum* ad sequentia trahendum, ut dicat: *principem potissimum reipublicae, neque vero alium, de republica loqui debere.* Postponitur ea vox plerumque ei, cum qua iungenda est: ut pro Murena 5, 11: *quum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant.* Mn.

6. *Polybio.* Vt Scipio se in disciplinam familiaritatemque Polybii adolescens admodum, nempe annos natus XVIII tradiderit, narrat ipse Polybius XXXII, 9 sqq. nec non Diodorus Excerpt. de virt. et vit. ed. Wessel. pag. 585. Lege etiam Aelianum Tact. cap. 1; Suidam voc. Πανταίτιος ὁ ῥήτ. A. M.

7. *Graecis vel.* Cod. *vel Graecis*; sed vox *vel* fortasse expuncta est. A. M. — *Videlicet Graecis peritissimis.* Velim A. Maius in notula critica nos edocuisset, utrum *vel Graecis, vel* scriptum fuerit in cod. an ipse vocem *vel*, semel scriptam, post *Graecis* transposuerit. Dedit enim *Graecis vel peritissimis.* Vtut sit, locum corruptum esse manifestum est. Sive enim semel scriptum fuisset *vel* ante *Graecis*, sive repetitum post *Graecis*; utrumque est vitiosum. Ego igitur credo antiquitus scriptum fuisse, ut edidi, ita ut vox *videlicet* compendio scripta, legente librario imperito, abierit in *vel*. Quod autem *vel* ante superlativum nonnumquam significat *adeo, etiam*, nonnumquam etiam *quam*, id cadere in nostrum locum non videtur. Tale quid tamen cogitavisse videntur A. Maius et Lehn. qui dederunt ut dixi, itemque Sch. qui nonnisi distinctione addita scripsit *duobus Graecis, vel peritissimis*, etc. Mn. — *Vel Graecis peritissimis.* Possis alia quoque coniectare; v. c. ut scriptum fuerit *velli*, i. e. *belli*, quod ex margine in textum irrepserit. Sed fortasse nihil mutandum, si ita accipias, duobus peritissimis rerum civilium, *licet vel maxime Graeci fuerint.* In rebus enim publicis administrandis se praestare ceteris populis, Graecis etiam, persuasum erat Romanis. Tu conf. Virg. Aeneid. VI, 852 sqq. *Tu regere imperio populos, Romane, memento; Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem, Parcere subiectis et debellare superbos.* Cn.

8. *Civilium.* Panaetium scripsisse de statu civili docet Cicero de Legg. III, 6. Panaetii (seniorisne an iunioris?) dictum de Platonicae Reip. exordio memoravimus in praefatione. Polybii autem, praeter quam quod universa historia pragmatica est, liber quidem sextus in explicanda ratione

reliquissent. [9] Qua in disputatione quoniam tu paratior es, feceris, ut etiam pro his dicam, si de republica quid sentias explicaris, nobis gratum omnibus.

XXII. Tum ille, Non possum equidem dicere, me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versari, quam in ista ipsa, quae mihi, Laeli, a te proponitur. Etenim quum in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud cogitare, meditari, curare videam, nisi quo sit in illo genere melior; ego, quum mihi sit unum opus hoc a parentibus maioribusque meis relictum, procuratio atque administratio reipublicae, non me inertiorem esse confitear, quam opificem quemquam, si minus in maxima arte, quam illi in minimis, operae consumpserim? Sed neque his contentus sum, quae de ista consultatione [1] scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines [2] reliquerunt, neque ea, quae mihi videntur,

civili ac militari reip. praesertim romanae versabatur. (Ceterum in Polybii historiam antirrheticum scripsit Scylax, teste Suida). Memorabile est, quod narrat Pausanias VIII, 30, nempe fama proditum esse, Scipionem, quotiens Polybio audiens fuerit, totiens rem bene gessisse; secus vero in iis offendisse, quae dehortante illo fecisset. Confer et Ammianum Marcellinum XXIV, 2. Docet item praedicto loco Pausanias, Polybium in Achaicis urbibus rogatu civium respublicas constituisse legesque tulisse. Praeter Panaetium atque Polybium (quorum politica opera se expilare fatetur hic oblique Cicero) Scipionis facit familiarem et comitem etiam Posidonium Stoicum Athenaeus XII, 12, et XIV, 21; verum immerito, quippe Scipionis aetate iuniorem, ut demonstrat Vossius de Hist. Gr. I, 24. A. M.

9. *Reliquissent.* A Polybio haec sunt, qui in historia demonstrandum sibi sumpserat, quo politiae genere Romani in tantam venissent fortunam, quantam suo tempore adepti erant, Perseo, Achaeis, Poenisque deletis. Polyb. in proœmio historiae, necnon in clausula a me edenda libri XXXIX. A. M.

XXII. 1. *De ista consultatione.* I. e. quod vulgo dicunt, de ista quaestione theoretica: quo fere sensu est de Off. III, 7, 33, *ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt.* De quaestionibus praeticis utitur eadem voce de Legg. I, 5, 17: *quemadmodum caveamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus:* ad quem locum vid. Turneb. p. 534 sq. ed. nostr. et Cr. Ma.

2. *Summi ex Graecia sapientissimi*

anteferre illis audeo. Quamobrem peto a vobis, ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem graecarum rerum, neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem; sed ut unum e togatis, [3] patris diligentia non illiberaliter institutum, [4] studioque discendi a pueritia incensum, [5] usu tamen et domesticis [6] praeceptis multo magis eruditum, quam literis.

XXIII. Hic Philus, Non hercule, inquit, Scipio, dubito, quin tibi ingenio praestiterit nemo, usu quidem in republica rerum maximarum [1] facile omnes

*que homines.* Partem horum enumerat Cicero de Legg. III, 5 et 6, nempe Theophrastum, Dionem Stoicum, Dicaearchum, Panaetium, Platonem, Aristotilem, Heraclidem Ponticum. Sed nos multo plures in praefatione collegimus. A. M.

3. *Vt unum e togatis.* Ita Cic. de Orat. I, 24, 111: *petamne has meas ineptias efferatis: quamquam moderabor ipse, ne, ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris, neque omnino rudis videar.* Cr. Ad v. *togatis* tenendum, eam significare h. l. hominem romanum, oppositum graecis philosophis, doctrinam sapientiamque profitentibus, atque in literis vitae quasi domicilium collocantibus. Alias vocis *togatus* significationes explicat Herzog. ad Caes. de B. G. VIII, 24, pag. 562. Ma.

4. *Patris diligentia non illiberaliter institutum.* Paulli Aemilii in instituendis liberis diligentia constat e Plinio XXXV, 11: *quum L. Paullus, devicto Perseo, petisset ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos, itemque pictorem ad triumphum excolendum, Athenienses Metrodorum elegerunt, professi eundem in utroque desiderio praestantissimum; quod ita Paullus quoque iudicavit.* Isidorus, Orig. VI, 5, et Petrus Diaconus, procem. de not. iur. aiunt, Romam primum librorum copiam advexisse Aemilium Paullum Perseo devicto. Revera et Plutarchus in Aemilio, cap. 28, ait, hunc ex omni Persei gaza nihil concessisse filiis (Maximo et Scipioni) eruditionis studiosis, praeter regios libros, μόνα τὰ βιβλία τοῦ βασιλέως φιλογραμματοῦσι τοῖς υἱέσιν ἐπέτρεψεν ἐξελέσθαι. A. M.

5. *Incensum.* Amicitiam ipsam Scipionis adolescentuli cum Polybio, quae tanta incrementa cepit et omnium gentium sermonibus claruit, ex commodato librorum aliquot usu initium habuisse exploratum est. Cf. Polyb. XXXII, 9. A. M.

6. *Domesticis.* Vtriusque domus Corneliae et Aemiliae. A. M.

XXIII. 1. *Vsu quidem in republica rerum maximarum.* Offendatur fortasse aliquis, quod Cicero dicit *usus rerum in re*, credatque verba *in republica* esse spuria, quum *res maximae* satis rempublicam eiusque negotia significent, ideoque scribendum esse *usu quidem rerum maximarum*, ut

viceris; quibus autem studiis[2] semper fueris, tenemus.[3] Quamobrem si, ut dicis, animum quoque contulisti in istam rationem et quasi artem, habeo maximam gratiam Laelio: spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a Graecis *nobis*[4] scri-

scripsit de Orat. II, 50, 204: *Docuit enim iam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut, quibus rebus animi homini moventur, teneremus.* Neque plane de nihilo est haec suspicio. Ferri tamen potest codicis lectio, si reputes, verba *res publica* in unam quasi vocem coaluisse, neque Ciceronem, qui *usus rerum in re* numquam dicturus fuisset, ideo abstinere debuisse a locutione *rerum in republica maximarum usus*, i. e. experientia in rebus, quae ad rempublicam pertinent, maximis. Paullo inferius, c. 24, dicit: *et in maxima republica versatos.* Mn.

2. *Quibus autem studiis semper fueris, tenemus.* Non esse nimius in subodorandis vitiis videri debet, si quis hac locutione offenditur. Solet enim Noster dicere *versari in studiis*, vel *esse in studiis.* Ad locum igitur de Or. I, 3, 11: *qui in harum artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati*, ita refictum velit nostrum: *in quibus autem studiis semper fueris versatus*; vel leviore medela, videlicet ut nonnisi post *autem* exciderit *in*, quod ab ultima praecedentis vocis litera *m* facile potuit absorberi, corrigat: *quibus autem in studiis semper fueris, tenemus*: ut est or. pro Sex. Rosc. Amer. 47, 137, *meque in eo studio.... fuisse confiteor.* Sed tamen a corrigendo manum cohibui motus locis, qualis hic est ad Fam. VI, 4, *quanto fuerim dolore, meministi*: quamquam etiam, graeco videlicet more, dixit de Fin. I, 19, 62, *semper est in voluptate.* Quibus de rebus vid. Goerenz. ad l. l. de Fin. eumdem ad de Legg. II, 2, 5, pag. 111; Heusing ad Cic. de Off. III, 21, p. 782, ibique laudd. Mn.

3. *Tenemus.* Phili nimiam in commemorandis Scipionis studiis brevitatem compensat nobis Velleius, I, 15: *Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli, aut pacis serviit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.* A. M.

4. *Nobis.* Pro *nobis* Mos. admisit *nobilissimis*; qui sic ad h. l. Ita scripsi ex sententia Creuzeri, quam prodidit in Annal. Heidelbergg. 1823, 4, p. 54, merito lectionem cod. *nobis* languere dicens. Illud *nobis* certe melius convenit loco cap. praeced. *quae scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines reliquerunt*; ubi *nobis* iungendum est cum *reliquerunt*, neque cum voce *scripta*. Potuit etiam compendio scripta vox literis mainsculis corruptioni ansam dedisse vel male lecta esse, si erat NOBIS. Denique graecos philosophos *nobilissimos* dicit de Or. II, 37, 155: *nobilissimos philosophos... Carneadem et Critolaum et Diogenem.* Probavit etiam Creuzeri coniecturam Lehnerus.

pta sunt omnia.[5] — Tum ille, Permagnam tu quidem exspectationem (quod onus est ei, qui magnis de rebus dicturus est, gravissimum) imponis orationi meae.[6] — Et Philus, Quamvis sit magna, tamen eam vinces, ut soles: neque enim est periculum, ne te de republica disserentem deficiat oratio.

XXIV. Hic Scipio, Faciam quod vultis, ut potero, et ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si errorem velis tollere: ut eius rei, de qua quaeritur,[1] si nomen quod sit conveniat, explicetur, quid declaretur eo nomine. Quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem: numquam enim quale sit illud,

5. *Scripta sunt omnia.* Haec et sequentia in auctoris et operis commendationem a Cicerone dici nemo non videt · cuius operis quum pars tanta nobis adhuc desit, palmam Tullio prae copiosissimis Graecis, Platone videlicet et Aristotile, deferre non licet. Quin adeo de Fin. I, 5, ausus est Cicero latinam quoque linguam dicere locupletiorem, quam graecam, qua de re saepe se disseruisse confirmat. Sed contradicunt merito primum ipse Cicero, Tusc. II, 15, et apud Augustinum contra Acad. II, 26, tum Lucretius lib. I, vs. 140, 831; Fronto apud Gellium Noct. Att. lib. I, cap. 26. A. M.

6. *Exspectationem quod onus est ... gravissimum, imponis orationi meae.* Nihil minus concinit quam iuncta verba *exspectationem imponere*; iunguntur verba *expectationem movere, commovere, afferre, facere*; iunguntur item *imponere necessitatem, laborem, partes, onus.* Atque hoc, quod ultimo loco posui, *onus*, peperit nobis ζεῦγμα minime sollicitandum. De zeugmate vid. Ruddimann. Inst. Gr. Lat. III, p. 362—364, ibique Stallbaum. et laudd. Videlicet manifestius esset et modo usitatiore positum zeugma, si scripsisset *expectationem et onus imponis orationi meae, quod ..est ... gravissimum*, videlicet ut sit eiusmodi, quale illud est Cic. ad Att. X, 4: *fortunam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur.* Sed scripsit *quod onus* pro *onus, quod*, ut de Legg. III, 2, 4: *regibus paruerunt*; *quod genus imperii primum ad homines iustissimos... deferebatur.* Vt igitur illo loco ad Att. ad v. *florentissima*, cui non convenit *conflictati*, subaudiendum est *usi videntur* v. *sunt*; ita nostro ad *exspectationem*, cui non convenit *imponis*, subaudi *commoves*, quasi scripserit: *exspectationem commoves, eoque onus imponis orationi meae.* Mn.

XXIV. 1. *Quaeritur.* Sic Heinr., Steinack. et Moser. ex cod. a prima manu, quos sequi malo, quam Maium, Schutz. et Lehner. qui *quaeretur* edi-

de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi, quod [2] sit, fuerit intellectum prius. [3] Quare quoniam de republica quaerimus, hoc primum videamus, quid sit id ipsum, quod quaerimus. — Quum approbavisset Laelius: Nec vero, inquit Africanus, ita disseram de re tam illustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, [4] quibus uti docti homines his in rebus solent, ut a prima congressione [5] maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar; [6] verbisque, quid sit, et quot modis quidque dicatur, definiam saepius: apud prudentes enim homines, et in maxima republica summa cum gloria belli domique versatos quum loquar, non committam, ut sit illustrior illa ipsa res de qua disputem, quam oratio mea. [7] Nec enim hoc

derunt ex cod. cod. a secunda manu. *Typ.*

2. *Quod.* Ita cod. non *quid*. A. M. — Attamen *quid* aptius Mosero visum est.

3. *Intellectum prius.* Praeponendi quaestionibus definitionem praeceptum Epicuri est, teste Sexto Emp. contra gramm. I, 3: οὔτε ζητεῖν οὔτε ἀπορεῖν ἐστι κατὰ τὸν σοφὸν Ἐπίκουρον ἄνευ προλήψεως. Sic Cicero Off. I, 2, ante quam de officiis dicat, praescribendam esse definitionem decernit; vituperatque Panaetium, qui in simili opere neglexit definitionem. Sed enim nescio quo pacto in ipso Tullii de Officiis opere desiderari definitio officii videtur. Num ibi lacunam suspicari licet? (eamque supplere ex eius pedissequo Ambrosio de Off. I, 8, § 26? A. M. in Add.) Cf. Plato de Repub. II, p. 369, p. 68 sqq. Bekker. Ca.

4. *Revolvar.* Ita loquutus est Noster de Or. II, 30, 130: *Nec, quoties causa dicenda est, toties ad eius eam-sae sepositа argumenta revolvi nos oportet. Docti homines* sunt *philosophi*, quod Nostro tam frequens est, ut exempla afferre putidum sit. Ma.

5. *Congressione. Congressio* verecunde dicitur pro *concubitu.* Cicer. Topic. 15, 59: *ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio*, ubi etiam de conventu intelligi potest, sed apud Lactant. Inst. VI, 20, 25, p. 188 Bünem. est: *ut se ab uxoris congressione contineat.* Ma.

6. *Ordiar.* Ab his elementis videlicet exordiuntur remp. Aristoteles Reip. I, 2, VII, 16; et Polybius VI, 6. Confer etiam Dionysium Halic. II, 24, et Augustinum de bono coniug. cap. 1. A. M. (Conf. Plato de Rep. II, pag. 369 Steph. pag. 78 Bekk. et sqq. Ca.)

7. *Quam oratio mea.* His verbis haud equidem laudat vel Scipionis elocutionem (quam tamen fuisse ornatam et purissimam dicunt Cic. de Or. I, 49, et Gell. II, 20), vel suam Cicero; sed tantummodo sit, curve

suscepi, ut tamquam magister [8] persequerer omnia; neque hoc polliceor me effecturum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit. [9] Tum Laelius, Ego vero istuc ipsum genus orationis, quod polliceris, exspecto.

XXV. Est igitur, inquit Africanus, respublica, res populi; [1] populus autem non omnis hominum [2] coe-

sibi fore, ut de rep. re nempe notissima, planissimo dicendi genere disputet, secus ac philosophi quidam fecerant. Atque hos inter Varronem fortasse sugillat, qui de rep. docte quidem, sed de stylo, ut puto, horridiore scripserat. Id est enim Augustini, C. D. VI, 2, iudicium de Varronis eloquio. A. M.

8. *Tamquam magister.* Conf. infra III, 4, init. et praecipue de Legg. III, 6 init. *nam Veteres verbo tenus, acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de republica disserebant*: h. e. non ad ipsius rei actionisque usum, sed ad scholae disputationem, ὡς ἐν λόγοις, ut est apud Plutarch. de Repugnant. Stoicor. tom. V, pag. 210 Wittenb. Significantur autem ibi Stoici Zeno, Chrysippus, Cleanthes, qui de republica scripserant: conf. Diog. Laert. VII, § 4 et § 175 et 88. Hinc intelligitur, quid h. l. sit *tamquam magister*. Scripserant autem de rebus politicis Graeci et permulti et nobilissimi: Heraclitus (in libris περὶ φύσεως), Pythagorei, Plato, Aristoteles (πολιτικῆς ἀκροάσεως, πολιτεῖαι, περὶ νομίμων, περὶ νόμων, κτίσεις, δικαιώματα πολέμων), Theophrastus (τὰ πρὸς τοὺς καιρούς). Cf. Meursii Theophrastus, pag. 40 ed. Elzevir. 1614), Critias (Casaub. ad Athen. IX, 3, pag. 463); Dicaearchus (πολιτεία, βίος Ἑλλάδος. Vid. Meletemm. nostrr. P. II), Heraclides Ponticus (ed. Koehler. Halae 1804, ed. Coray. Paris. 1805), Nicolaus Damascenus (ed. Orelli. Lips. 1804), Zeno, Chrysippus (v. Baguet de Chrysippo, in-4, Lovan. 1822) Cleanthes, Posidonius (vid. Posidonii reliquiae ed. Ian. Bake. in-8. L. B. 1810), Nymphoderas, Theodectes; de quibus omnibus vide Ionsium de Scriptt. Hist. Philosophicae, in-4, Ien. 1716; Ios. a Wover de Polymathia, cap. 9. Cr. — Opponitur natura magistro in or. pro Muren. 29, 61: *Ea sunt omnia non a natura, sed a magistro* Ms.

9. *Praetermissa sit.* Attente sunt haec notanda, quo genus politici huiusce tractatus probe exploratum habeamus. Nempe Cicero, sicut de Oratore liberaliter et sine scholastica subtilitate scripsit, ita politicis hisce libris potiora tam lati argumenti et splendidiora fere capita complexus videtur; ita tamen, ut nihil omiserit necessarium, quod ait ipse superius, cap. 8. A. M.

XXV. 1. *Respublica, res populi.* Villem. vertit, *la chose publique est la chose du peuple.* Laudare etiam et poterat et debebat A. Maius Augustin. de C. D. XIX, 23 extr. ubi est: *Vbi ergo non est ista iustitia, profecto non est coetus hominum, iuris consensu et utilitatis communione sociatus*: nam haec sunt Ciceronis, ut vides. Ego

tus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu [3] et utilitatis communione sociatus. Eius autem prima causa coeundi est non tam [4] imbecillitas, quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio: [5] non est enim singulare, nec soliva-

vero inde coniiciebam legendum esse: *populus autem non omnis multitudinis coetus, quoquo modo congregatus, sed coetus hominum, iuris consensu et utilitatis communione sociatus.* Neque vero eam verborum transpositionem plane necessariam existimo. Ad rem confer. etiam quod dicit infra, VI, 13(Somn. Scip. 3): *nihil est enim illi principi deo ... acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur*: ad quem locum vid. Macrob. (in Somno Scip.) lib. I, cap. 8 extr. Mn. — Augustinus, C. D. V, 18, Ciceronem imitans dicit *rempublicam, id est, rem populi, rem patriae, rem communem.* Confer eumdem, C. D. XIX, 21 et 24. Sed multo copiosius auctor anonymus etymologiarum in Vaticano codice definit *rempuplicam* (sic), *id est, rem populi; res enim publica dicitur apud Romanos, quam nos rem patriam. Id enim rem populi esse negare non possumus. Populum autem non omnem coetum multitudinis dicunt, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum.* In codice autem alio Vaticano (vid. A. Maii praef. §. 5), quidam scholiastes eam definitionem tribuit Varroni: *respublica est, ut Varro breviter definit, res populi.* Num igitur hanc definitionem Cicero e Varrone arcessivit? A. M.

2. *Omnis hominum coetus.* Possis etiam coniicere *omnis omnino coetus.* Cic. de Amicit. 21 med. *omnino omnium vitiorum.* Sed nihil tento, et ad *multitudinis* potest rursus cogitari *hominum.* Cr.

3. *Consensu.* Locum libere exprimit Augustinus, C. D. XIX, 24: *populus est coetus multitudinis rationalis, rerum, quas diligit, concordi communione sociatus.* Augustinum vel ipsum Tullium exprimit Isidorus Or. IX, 4. Confer etiam Livium I, 8. A. M.

4. *Non tam imbecillitas.* Aliter sentiebat Hugo Grotius, qui de iure B. et P. I, 4, 7, p. 283: *Sed sponte,* ait, *adductos (homines) experimento infirmitatis... adversus violentiam in societatem civilem coisse*: aliter item *J. J. Rousseau, Discours sur l'inégalité parmi les hommes.* Cr.

5. *Congregatio.* Consonat sibi Cicero Off. 1, 44; de Am. 8, 9, 13. Sic Epicurus apud Arrianum ad Epict. I, 23. Sed contrariam sententiam prae se fert Plato Reip. II, p. 369, qui causam societatis ac civitatis necessitatem esse ait. Polybio autem VI, 3, et Lactantio de Opif. D. c. 4, causa societatis videtur esse singulorum imbecillitas. Platoni adversatur Aristoteles Reip. III, 9, qui non tam necessitatis, quam boni honestique causa copulatam hominum societatem putat; idemque a Ciceronis sententia abhorret; negat enim civilem societatem convictus ipsius causa esse comparatam. Denique ipse Plato Legg. III, p. 678, cum Cicerone conspirat; namque ait, naturalem esse hominum congregationem solitudinis odio; La-

**gum genus hoc, sed ita generatum, ut ne in omnium quidem rerum affluen [6] . . . . . Brevi multitudo, dispersa atque vaga, concordia civitas facta erat. [7] *Augustinus*, *Epistola* CXXXVIII, 10.**

ctantius autem Inst. VI, 10, humanitatis ipsius gratia, prorsus ut Cicero. Vegetius prooem. libri VI, nomen reipublicae communi utilitate partum esse arbitratur. Sed confer infra Cic. de Rep. IV, 2. A. M.

6. *Vt ne in omnium quidem rerum affluentia.* Perrexit sine dubio Cicero vel hoc vel simili modo: *societate sui generis carere velit.* Simili modo loquutus est Noster de Lege Agr. contra Rullum or. II, 35, 95: *Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt*: ad rem de Finib. IV, 2, 4, *natos (nos) esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani*: et ib. III, 20, 65: *facile intelligitur, nos ad coniunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos.* Ma. — Desiderantur paginae duae — In hiatu latet paullo prolixior expositio causae, ob quam humani coetus instituti fuerunt. (In hac lacuna utrum verba Augustini retinenda sint, nescio; immo potius amota velim. Sed nullus certe dubitat, quin Lactantii locus Inst. VI, 10, sit hic inserendus de civitatis causis, depromptus omnino e Tullio de Rep. cum interpolationibus: *Vrbis condendae originem atque causam non unam intulerunt; sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, quam per silvas et campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter se sermonis aut iuris vinculo cohaererent; sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus praedae fuisse commemorant. Tum eos qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse; praesidium implorasse et primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia temptasse ac singulis quibusque rebus nomina imponendo, paullatim loquendi perfecisse rationem. Quum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam coepisse munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent, vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. Haec aliis delira visa sunt, dixeruntque, non ferarum laniatus causam fuisse coeundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum, solitudinis fugiens et communionis ac societatis appetens esset.* Conferendus Cicero de Am. 23; de Fin. V, 23, de Off. III, 5). (In ed. Sch. hoc Lactantii loco pro *laniati effugerant* scribitur *laniati estus erant*, et conferre iubemur Cic. de Amic. T. III). A. M.

7. *Dispersa atque vaga, concordia civitas facta erat.* Videbatur mihi Augustinus respicere ad hunc libri I de Rep. locum. Itaque id fragmentum hic inserere ausus sum. A. M. — Omisit hunc Augustini locum Lehnerus, qui, quos addit A. M. cap. 21, recepit; addens: Equidem purgandum Cice-

Digitized by Google

XXVI..... *quae*dam quasi semina; [1] neque reliquarum virtutum, nec ipsius reipublicae reperiatur ulla institutio. [2] Hi coetus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt; quam quum locis manuque [3] sepsissent, [4] eiusmodi coniunctionem tectorum oppidum, vel urbem [5] appellaverunt, delubris distinctam,

ronis contextum non sine causa censui. Mr.

XXVI. 1. *Quaedam quasi semina.* Ait Cicero naturale esse hominibus honestae societatis desiderium, cuius semina quaedam insita habeant; haud secus ac naturalis est virtus. Quare reipublicae frustra quaeri cogitatam aliquam institutionem. A. M.

2. *Vlla institutio.* Reliquit Mos. *instituta*, dicens: Steinackerus, nihil monens, edidit *ulla institutio*. Fieri potest, ut recte correxerit: sed ego in loco lacunoso eiusmodi nihil tentare ausim.

3. *Locis manuque.* Sigonius ad h. l. haec: His verbis docuit Scipio, quid inter *urbem* interesset, et *civitatem*, auctore Nonio, atque *urbem* aedificia esse, *civitatem* civium multitudinem statuit. Aristoteles quidem etiam lib. III Politicorum, civitatem scribit non ex moenibus aestimandam, atque omnino definit τὴν πόλιν πλῆθος τῶν πολιτῶν, τὴν πολιτείαν τάξιν τῆς πόλεως. Quo spectasse, quum haec dicit, etiam Cicero videtur. Mr.

4. *Sepsissent.* Cod. hab. *saepsissent*, quod servavit Mos. dicens: Servavimus scriptionem cod. *saepsissent*, pro qua Heinr. et Sch. ediderunt *sepsissent*. Sed vid. Cellarii Orthog. lat. ed. Harles. tom. I, p. 346 sq. in primis tom. II, pag. 281-286. Adde Vossium in Etymolog. L. L. p. 442, qui ex Ioviano Pontano hunc locum adscripsit: *Iam primum palam* (vid. h. v.), *saepe, e vestigio, rusticorum quidem sunt inventa hominum. Nam quod saepes spissa esset et densa, dixerunt saepe pro dense et saepissus pro spissus.* Quamquam illi homini neque in voce *saepes*, neque in vv. *palam* et *spissus* assentit Vossius. Conf. etiam Grotefend. Orth. §. 130. Mr.

5. *Oppidum, vel urbem.* Festus pag. 308 Dac. p. 440 ed. Scal. *Oppidorum originem (optime) refert Cicero libro primo de Gloria, eamque appellationem usurpatione appellatam esse existimat, quod opem darent, adiiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum* (ad q. l. Antonius Augustinus in ed. Scal. p. 32, laudat Varron. de L. L. IV, 32, pergit Festus: *Oppidum dictum est, quod opem praebet. Oppidum dictum, quod ibi homines opes suas conferunt. Oppidum dicitur et locus in circo, unde quadrigae emittuntur.* Mr.). Cicero voces *urbs* et *oppidum* de Divin. I, 25, promiscue usurpat: *Pheras... quae erat urbs in Thessalia... in eo igitur oppido*, etc. Sed alibi et h. l. *urbs* maius quid, quam *oppidum*. *Vrbs* (πόλις, i. e. castellum et ἄστυ. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. 772, p. 260 sq.) vel ab *orbe*, vel ab *urvum* (quae pars aratri est), Varro l. l. Serv. ad Aeneid. I, 16, V, 755; Isidor. Origg. XV, 2; Pomp. Digest. lib. ult. tit.

spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem exposui; [6] omnis civitas, quae est constitutio populi; [7] omnis respublica, quae, ut dixi, populi res est, consilio quodam [8] regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem. [9] Deinde aut uni tribuendum est, aut delectis [10] quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. Quare quum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum, eius reipublicae statum. Quum

paenult. leg. 239; cf. Symbolik. II, p. 1003, ibique laud. Niebuhr. R. G. I, p. 157. Cr.

6. *Qualem exposui.* Recole superiorem populi definitionem. A. M.

7. *Quae est constitutio populi.* Locus exstat apud Nonium voc. *urbs a civitate:* verum paullo aliter sub extremo, nempe sic *qualem exposui, civitas est: omnisque civitas est constitutio populi.* Sed purior textus est codicis nostri Vaticani. In editis de Rep. fragmentis apud Verburgium locus plus quam in Nonio interpolatus exhibetur; nimirum, *omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem exposui, civitas est; omnisque civitas, quae est constitutio populi, respublica.* A. M.

8. *Consilio quodam. Consilium* est quod Graeci dicunt τὸ ἡγεμονικόν. Villem. vertit *autorité intelligente.* Hobbes contra in libro de Cive potius timore regi vult homines. Ad rem cf. etiam Cic. de Off. I, 25, 88. Cr.

9. *Civitatem.* Valer. Maxim. lib. V, cap. 3, 3, de Athenis et Theseo: *Siquidem ille vicatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit, separatimque et agresti more viventi populo amplissimae civitatis formam atque imaginem imposuit.* Cf. de Leg. lib. II, cap. 2, pag. 166 ed. Mos. et nostr. *quae (patria) reipublicae nomine universa civitas est.* Cr. — Ad v. *delectis* conf. orat. pro Planc. 25, 62: *Populus romanus deligit magistratus, quasi reipublicae villicos.* Ma.—Nempe ad concordiam, felicitatem mutuamque utilitatem. Legatur Aristoteles Reipubl. lib. I, cap. 1, 2; lib. III, cap. 9; lib. IV, cap. 4. Cic. Offic. lib. I. cap. 25, ipsum Platonem praecipientem inducit, ut, qui reipublicae praefuturi sunt, utilitatem civium sic tueantur, ut, quaecumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum. Ioannes Saresberiensis, Polycr. VI, 24, Ciceronis hunc locum fortasse prae oculis habuit, quum ea verba scripsit, quae in testimoniis laudavi. A. M.

10. *Aut delectis.* Cod. habet *adiectis* pro *aut delectis*; quamquam emendationis indicia in membranis apparent. Et quidem paullo post codex habet *delectos*, non *adiectos*. A. M.

autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis (sic enim appellant), in qua in populo sunt omnia. Atque horum trium generum quodvis, si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se reipublicae societate devinxit, non perfectum illud quidem, neque mea sententia optimum, sed tolerabile tamen,[11] et aliud alio possit esse praestantius. Nam vel rex aequus ac sapiens; vel delecti ac principes cives; vel ipse populus, quamquam id est minime probandum,[12]

11. *Sed tolerabile tamen.* De his solemnibus reip. generibus tribus legantur Plato Reip. VIII, et Leg. III, pag. 680, 681; Aristoteles, Reip. III, 7 sqq. Cicero Leg. III, 7; Tacitus Annal. IV, 33, aliique passim veteres recentesque politici. A. M. — *Sed tolerabile est, ita tamen, ut aliud.* Ita refinxi locum ad mentem Creuzeri, quum pro lectione codicis, *sed tolerabile tamen, et aliud,* quam tolerabilem non existimabam, prius coniecissem, *sed tolerabile tamen est; ita tamen, ut aliud,* quo facto facilius etiam corruptionis et causam et rationem intelligeremus. Sed merito male aliquem habeat continuo iteratum *tamen.* Heinrichius correxit ad nostrum sensum, sed omisso *est,* ita, *sed tolerabile, ita tamen, ut aliud.* Reliqui locum silentio transierunt, ut sanum, quem sanum ego credere neque primo adspectu potui, neque nunc possum. Ma.

12. *Quamquam id est minime probandum.* Ita Atticus apud Ciceronem de Legg. III, 17, 37, pag. 452 seq. *Mihi vero nihil unquam populare placuit: eamque optimam rempublicam esse dico, quam hic consul constituerat, quae sit in potestatem optimorum:* ubi vide Turneb. ed. nostr. et Cr. p. 734. Ma. — Apte id dicitur a persona Scipionis, quem Gracchanis, id est, popularibus partibus valde adversarium fuisse, ideoque et a C. Graccho in concione tyrannum appellatum, comperimus. Plutarch. reg. Apophth. tom. VI, pag. 760. Quamquam idem Plutarchus in Aemil. cap. 37 (adde et Ciceronem Acad. IV, 5), Scipionem populi studiosiorem dicit, quum Aemilius pater fuisset nobilitatis aeque et plebis adsentator. Sed enim et ipse Cicero, cuius sententiam praecipuam tuetur hoc in opere Scipio, optimatibus semper favisse videtur. Lege sis ad Fam. I, 9, VIII, 16 (ep. Coel.); ad Attic. I, 18, 20, II, 3, 5, 15, VIII, 3, X, 9 (ep. Coel.); ad Q. fratr. I, 1. Tum pro Sextio, 9: *Omnes boni semper nobilitati favemus, quia utile est reip.* etc. Sed instar omnium sit Quinti locus de petitione consulatus ad fratrem cap. 1: *Persuadendum est iis, nos semper cum optimatibus de rep. sensisse, minime populares fuisse.* Tum ipse Marcus Acad. IV, 40: *Semper, ut scitis, studiosus nobilitati fui.* Idem Cicero ad

tamen, nullis interiectis iniquitatibus [13] aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu. [14]

XXVII. Sed et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii; et in optimatium [1] dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, [2] quum omni consilio communi, ac potestate careat; et quum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, quum habeat nullos gradus dignitatis. [3] Itaque si Cyrus ille Perses [4] iustissimus fuit sapientissi-

Attic. II, 3, ait, multa se poëtico quodam in opere scripsisse ἀριστοκρατικῶς A. M.

13. *Nullis interiectis iniquitatibus.* Ita alibi non loquutus est Noster: neque vero ideo lectioni aliquid litis movendum. Tacitus Annal. I, 23 extr. dixit: *Ni miles .. preces et... minas interiecisset.* Mr.

14. *Posse videtur aliquo esse non incerto statu.* Ad argumentum vide Platon. Politic. pag. 301 seq. Steph. p. 341-344 Bekker. et pag. 291 seq. Steph. p. 321 seqq. Bekk. Tacit. Annal. IV, 33: *Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his et consociata reipublicae forma laudari facilius, quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest,* etc. Cf. ibid. III, 27. Cr. — Pleraque omnia, quae apud Veteres de his rebus scripta reperiuntur, collegit Bodinus in opere, minus hodie, quam par est, lecto, de Republica lib. II, quod opus bonae frugis plenissimum dixit Io. Mullerus, harum rerum, si quis alius, arbiter intelligentissimus. Mr.

XXVII. 1. *Et in optimatium dominatu.* Vocabulum invidiosum, quia, qui sub dominatu sunt, et sunt et habentur servi. Eo usus est in simili re Cic. de Off. II, 1, 2, *quum autem dominatu unius omnia tenerentur.* Ad seqq. faciunt, quae dixit de Legg. III, 17, 38, p. 453 ed. nostr, et Cr. *tamen istam libertatem ita largior populo, ut auctoritate et valeant et utantur boni:* ubi vide nostram annotationem. Mr.

2. *Multitudo.* Namque, ut ait Tacitus Annal. lib. VI, cap. 42, *Paucorum dominatio regiae libidini propior est.* A. M.

3. *Quum habeat nullos gradus dignitatis.* Ita pro *habet*, scripsi ex mente Creuzeri, ut dederunt Heinrichius et Steinackerus, quorum posterior in Addendis recte monet, causae inservire *quum* hoc in loco, ut supra in verbis *quum omni consilio careat*: iisdem vero paene verbis infra cap. 34, recte dici: *quum enim par habetur honos summis atque infimis, ipsa aequitas iniquissima sit* (ubi correxi *fit*, quod nunc etiam a Schutzio factum video). Mr.

4. *Perses.* Nominativus huius nominis gentilis alibi non legitur apud Ciceronem, nam quod est de Divinat. lib. I, cap. 46, *Persa* id canis nomen

Digitized by Google

musque rex,[5] tamen mihi populi res (ea enim est, ut dixi antea, publica) non maxime expetenda fuisse illa videtur, quum regeretur unius nutu. Ac modo si Massilienses nostri clientes,[6] per delectos et principes cives summa iustitia reguntur,[7] inest tamen in ea conditione populi similitudo quaedam servitutis; si Athenienses quibusdam temporibus, sublato areopago,[8] nihil nisi populi scitis ac decretis[9] agebant,

est. Graeca autem nominativi forma in simili vocabulo utitur Tuscul. V, 32, 90, *Scythes, Anacharsis. Perseus* etiam Macedoniae rex a Cicerone constanter *Perses* dicitur, qua de re accurate et egregie egit C. L. Schneiderus in Gramm. Lat. II (Formenl.) lib. I, pag. 315-321. Ma.

5. *Sapientissimusque rex.* Apte Scipio Cyri exemplo utitur; Xenophonteam enim Cyri historiam summus hic imperator de manibus ponere non solebat, ut ait Cicero ad Quint. fratr. I, 1, 8, qui ibidem moderationem illius dominationis admiratur. Platoni Leg. III, pag. 694, Persae sub Cyro videbantur quodammodo liberi propter eius regis moderatum imperium. A. M.

6. *Nostri clientes.* Massiliensium cum Romanis amicitiam iam inde a Massilia condita per Phocenses memorat Iustinus XLIII, 3 et 5 (quamquam bella potius Massiliensium cum Poenis videntur in causa fuisse, cur Romanis studerent; vide eumdem Iustinum praedicto loco). Massilienses a Valer. Maxim. lib. II, cap. 6, 7, dicuntur *charitate populi romani praecipue conspicui*. A. M.

7. *Iustitia reguntur.* Optimatium potestas videtur diutissime Massiliae obtinuisse: commemorat enim eam Aristoteles Reip. V, 6; VI, 7; tum Cicero pro Flacco cap. 26, eamdem urbem sua adhuc aetate optimatium consilio administrari dicit. Massiliensis resp. diligenter describitur a Strabone lib. IV, p. 271 seq. Regebatur nimirum sexcentorum optimatium auctoritate, qui dignitatem retinebant, quoad vita maneret, dicebanturque τιμοῦχοι. Ex his sexcentis praerant quindecim, qui quotidiana negotia expediebant: rursus inter hos quindecim supremam potestatem tres habebant. De hac quoque republica nominatim scripserat Aristoteles, teste Athenaeo lib. XIII, cap. 5. De Massiliae Graecis legibus et litteratura, triplicique lingua, graeca scilicet, latina et gallica, lege Varronem apud Isid. Orig. XV, 1 63; et apud Hieronymum Prol. lib II Comment. ad Gal. Conf. etiam Caesarem Bell. Civ. II; Tacitum Agricol. 4; Silium XV, 169. Homeri editio seu recensio Massiliensis laudatur inter nobiles in scholiis Venetis. A. M.

8. *Sublato areopago.* Conf. Bergmannum ad Isocratis areopagiticum p. 48 seqq. (Leidae 1819). Ad Ciceroniani autem loci sententiam intelligendam facit locus Aristotelis Politicorum (II, 12) II, 9, pag. 83 ed. Schneid. Σόλωνα... οἴονται... ὀλιγαρχίαν... καταλῦσαι λίαν ἄκρατον οὖσαν... μίξαντα καλῶς τὴν πολιτείαν.

quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant,[10] non tenebat ornatum suum civitas.

XXVIII. Atque hoc loquor de tribus his generibus rerumpublicarum non turbatis atque permixtis, sed suum statum tenentibus.[1] Quae genera primum sunt in iis singula vitiis,[2] quae ante dixi; deinde habent perniciosa alia vitia: nullum est enim genus illarum rerumpublicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum.[3] Nam illi regi,

Εἶναι γὰρ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικόν..: Εοικε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν· τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι, τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων. Ma. — Areopagum, sin minus sublatum, certe debilitatum, querun-tur auctores prisci apud Meursium in lib. de Areopag. cap. 9. Sed de hac re conferre sufficerit Isocratis Areo-pagiticam orationem, praesertim cap. 19. A. M. — Ad quae conf. Bergmann. p. 52 seqq. et p. 149 seq. Cr.

9. *Ac decretis.* Admodum arridet Cr. coniectura: *ac D. decretis*, id est, quingentorum. Decreta enim quum sint *senatorum*, non populi, non ma-gis quam *leges decerni* recte dici mo-net; laudatque de hoc vitio interprr. ad Ciceronem pro Domo cap. 9, 24, p. 162 ed. Wolfii. Ad verba confer Cic. de Opt. gen. Or. 7, 19: *Quum esset lex Athenis, ne quis populi scitum faceret, ut*, etc. Ma.

10. *Habebant.* Mr. edidit *habebat*, praeunte Heinr. et probante censore eius Lipsiensi.

XXVIII. 1. *Sed suum statum tenentibus.* Ciceronis praecedentem locum vix dubito, quin prae oculis habuerit Ampelius, qui capite ultimo sic ait: *Rerumpublicarum tria genera sunt: regium, optimatium, populare... Aut enim sub regum sunt potestate, ut Seleucia Parthorum, aut senatus, ut Massilia Gallorum, aut se ipsi regunt, ut Athenienses solebant. Est et quartum genus quod Romani commenti sunt, ut ex tribus unum efficerent: nam regiam potestatem consules habent, et plebs habet suffragiorum potestatem.* A. M.

2. *In iis singula vitiis.* Ad v. *sunt in iis... vitiis* conf. variatam construc-tionem Tusc. IV, 31, 66: *eodem enim vitio est effusio animi in laetitia*: ubi Ernest. corrigebat *enim in vitio*: neque vero obsequentem habuit Wol-fium: opinor, ne orationis concinni-tas turbetur, quum statim subsequa-tur: *eademque levitate cupiditas est in appetendo*: ubi nihil monuit de cor-rigendo *in levitate* Ernestus. Et est in Epist. ad Fam. VI, *quanto fuerim dolore*, supra vero cap. 23, *quibus au-tem studiis semper fueris, tenemus*: ubi vid. nostr. annot. Ma.

3. *Lubricum.* Haec veterum recen-tiorumque politicorum concors obser-vatio est. Lege, si vacat, inter recen-tiores Graecos Theophylactum Instit. Reg. II, 6; inter vetustiores Platonem Leg. III, p. 693. A. M.

Digitized by Google

ut eum potissimum nominem, tolerabili, aut si vultis, etiam amabili Cyro, subest ad immutandi animi [4] licentiam crudelissimus ille Phalaris, [5] cuius in simili-

4. *Subest ad immutandi animi licentiam.* Id est, instat, sequitur, ut in fine capitis dicitur *finitimus est*, vestigia premit: conf. Sallust. in Mithridat. epist. *illi suberat regnum Ariobarzanis*: coll. Cic. Epist. Fam. X, 21. Verba *ad immutandi animi licentiam* in versione gallica omisit Villem., videlicet ut obscuriora. De voc. *ad* vide Schutzium in Lex. Cic. Cr. — *Subesse* eo sensu, ut sit instare, propinquum esse, dixit etiam Cicero: pro Milone 16, 42, *quum... dies comitiorum subesset*. Epist. ad Fam. X, 21, Plancus ad Ciceronem scribit: *putabam posse me... subesse propinquis locis*. Mr. — *Subest ad immutandi animi licentiam.* Steinackerus non mutavit loci lectionem, sed in nota addit: haec aut satis perspici non posse, aut ita saltem tenenda esse, bono quoque et amabili regi morum in deterius mutandorum veniam et impunitatem ostendi, proposito Phalaridis exemplo: quae longe expressa fore concinnius ait, si scripsisse M. Tullium, *ad invitandam animi licentiam*, Godofr. Hermanni coniectura putemus, cuius haec est interpretatio: Etiamsi quis rex non modo tolerabilis, sed amabilis est, tamen subest ei latetque recondita in eius pectore tyranni indoles, quae animi licentiam provocet, ut unius dominatus proclivi cursu et facile delabatur in similitudinem Phalaridis. Ad quae Eichstadius in Comment. III de Lygdami carminibus, quae nuper appellata sunt (Ienae 1824, fol. pag. 40 seq.): Steinackerus de morum in deterius mutandorum *venia et impunitate* cogitans, vereor, ne ea in locum inferat, quae abhorrent ab sententia Ciceronis. Propius verum accessit Hermannus, hac proposita coniectura: *ad invitandam animi licentiam.* Ego vero cum Cens. Lips. 1024, 8, pag. 58, vulgatam ferri posse existimo eo sensu, ut sit i. q. latet fortasse in eo aliquid indoli Phalaridis simile, quod erumpere potest, quum animi immutandi plenam habeat potestatem. Eodem vero modo, ut nostro loco, *ad* poni ait Cens. Lips. in or. pro Sex. Rosc. A. 30, 85, ubi vide A. Matthiae: idem ad orat. pro Lege Manil. I, 1, et Catil. 1, 5, 12: *Ad licentiam* est: *ut licere sibi credat, ut licentiam sibi sumat.* Certe, si corrigas, Ciceronem, non librarios, corriges. Mr.

5. *Ille Phalaris.* De Phalaride conf. infra lib. III, cap. 31 init. ibique not. Cr. — Non piget de Phalaride locum politicum hic deponere, qui est in Vaticano magnae molis palimpsesto, quem his annis detexi, excerptorum Porphyrogeniti plerumque inedito-rum, et sine dubio a me haud longa mora interposita vulgandorum. Is locus occurrit sub titulo περὶ γνωμῶν, *de sententiis*, mentioque in eo fit etiam alius excerptorum tituli *de regum successione*. Οτι ὁ Φάλαρις ἰδὼν περιστερῶν πλῆθος ὑφ' ἑνὸς ἱέρακος διωκόμενον, ἔφη· ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες, τοσοῦτο πλῆθος ὑφ' ἑνὸς διωκόμενον διὰ δειλίαν· ἐπεί τοι γε, εἰ τολμήσειαν ἐπιστρέψαι, ῥᾳδίως τοῦ διώκοντος ἂν περιγένοιντο. Καὶ ἐκ τούτου τοῦ λόγου ἀπεβάλετο τὴν δυναστείαν, ὡς γέγραπται ἐν τῷ περὶ διαδοχῆς βασιλίων. *Phalaris observato columbarum*

tudinem dominatus unius proclivi cursu et facili [6] delabitur. Illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est, qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta *virorum* consensus [7] et factio. Iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, [8] ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti . .

. . . . . .

*globo, quem unus accipiter persequebatur, videte, viri, inquit, quanta multitudo timiditatis suae causa ab uno vim patitur; quum, si illa converso agmine adversari auderet, persequentem facile opprimeret. Hoc dicto Phalaris dominatum suum evertit, uti scripsimus in titulo de regum successione.* Constat autem Phalarim impetu universae Agrigentinorum multitudinis fuisse oppressum. Cicero, Offic. lib. II, cap. 7. Et nota verbum περιγίνεσθαι pro νικᾶν, ut saepe in Phalaridis epistolis 13, 14, 20, 32, 48, 97. A. M. — *Illi regi . . . ille Phalaris.* Diverso plane sensu pronomen *ille* his duobus locis usurpari facile intelligis: nimirum priori loco *illi* esse i. q. *quem dixi*, posteriore i. q. *famosus*. Cr.

6. *Proclivi cursu et facili.* Ita dedimus cum Heinr. pro *facile*, quamquam Steinackerus illud huic praeferendum esse negat. Neque ego nego mihi magis placiturum fuisse *facili proclivique cursu*, sed alibi quoque haec duo adiectiva coniunxit, velut Partit. Or. 27, 92, *facilia, proclivia, iucunda*; igitur nostro quoque loco adverbio adiectivum praetuli, quamvis ordo verborum inversus mihi, ut dixi, magis probaretur. Mn.

7. *Triginta consensus.* Sed stare non posse *triginta* casu genitivo sine nomine vidit A. M. Ideoque addidit *virorum*, quod receperunt Heinr. Sch. et Lehn. Lehnerus vero quasi defensurus nude positum numerum *triginta* laudat Cicero, Parad. I, 4, ubi est: qui *numeratur in septem*, omisso *sapientibus*. Sed hoc loco nomen omissum ferri potest facile, nostro non item. A. Maius quum adderet *virorum*, respexit locum operis nostri III, 32: *Quae enim fuit tum Atheniensium res, quum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri urbi iniustissime praefuerunt?* Et recte quidem hoc loco additur *viri*; ne *illi*, quod ad *urbi* est referendum, referatur ad *triginta*. Possis etiam scribere *tyrannorum*, ut utatur voce invidiosa in re, cui vitium inesse ait, videlicet optimatium dominatu. Sic est Tuscull. I, 40, 96, *coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum*. De Legg. I, 15, 42: *Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, etc.* Mn.

8. *Potestatem omnium rerum ipsi.* Vel de se videtur Scipio loqui, vel de Romanis. Si de se loquitur, suspicor eum velle attingere popularem Gracchorum licentiam, v. gr. sic: *Pestilentissimis Tiberii Gracchi consiliis Romae nuper expressam vidimus.* Sin generatim de Romanis, haud scio an comparationem velit instituere ty-

XXIX.... teterrimus, et ex hac, vel optimatium [1] vel factiosa tyrannica illa,[2] vel regia, vel etiam persaepe popularis; itemque ex ea genus aliquod efflorescere ex illis, quae ante dixi, solet; mirique sunt orbes et quasi circuitus in rebuspublicis commutationum et vicissitudinum: quos quum cognosse sapientis est, tum vero prospicere [3] impendentes, in gubernanda republica moderantem cursum, atque in sua potestate retinentem, [4] magni cuiusdam civis [5] et di-

rannidis triginta virorum cum illa decem virorum Romae. Atque haec fere in hiatu, qui sequitur, demersa esse videntur. A. M. — In ed. romana haec ad h. l. est A. Maii nota, quae non comparet in edd. Londin. Paris. et Stuttg. » Si vocabulo *ipsi* intelligit Romanos Scipio, supplendum videtur: *Pestilentissimi Tiberii Gracchi consiliis Romae nuper expressam vidimus.* Sin potius eo vocabulo *ipsi* intelligit Athenienses (quod valde arbitror), supplendum est *pestilentem fatentur.* Porro in hiatu nihil fere latet aliud, quam descriptio vitiorum, quae singulis rerumpublicarum generibus insunt. « Mr. — Desiderantur paginae duae.

XXIX. 1. *Teterrimus, et ex hac, etc.* » Ex iis, quae sequuntur, hoc apparet, actum esse de multiplicibus vicissitudinibus rerum publicarum, ita ut non necessario singulis singula genera cohaereant in quae mutentur, sed et in multas formas, et, velut circuitu facto, eodem redeant genera civitatium. Itaque primam illam vocem *teterrimus*, ad regni commutationes pertinere puto: reliqua sic legam: *et ex hac optimatium, vel factio tyrannica illa, vel regia, vel etiam persaepe popularis* (scil. potestas) *itemque ex ea genus quodque efflorescere, etc.* I. B. loc. cit. pag. 149. Mr. in Addit. — Desiderantur paginae duae. A. M.

2. *Tyrannica illa.* Videtur corrigendum *tyrannis*; vel certe supplendum substantivum *civitas.* A. M. in Emm. (Schützio placet A. Maii suspicio, legendum esse *tyrannis*: Heinr. post illa asteriscum posuit: Lehnerus credit mendum non esse sublatum A. Maii coniectura, et fortasse ad sanandum conferre, cap. 44, *Postremo... tyrannorum.* Ego in lacunae vicinia a coniectando abstineo. Mr.).

3. *Prospicere.* Thucydides de Themistocle lib. I. cap. 138: Τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνῶμων καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής. Cf. Nepot. Themist. cap. 1: Thucidid. lib. II, cap. 65, ubi Periclis laudatur ἡ πρόνοια, ἡ ἐς τὸν πόλεμον. Infra II, 3, *vir excellenti providentia.* Cr. — Post *impendentes* distinxit Steinacker. nos cum Heinr. post *republica.* Mr.

4. *Moderantem... retinentem.* Haec fortasse alio sunt transferenda. Cr. in Ann. Heidelb. p. 55. — Mihi suo loco stare videntur, et ita iungenda, quasi scriptum sit: *ita ut moderetur cursum*

vini paene est viri. [6] Itaque quartum quoddam genus reipublicae maxime probandum esse sentio, [7] quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus. [8]

*eumque in sua potestate retineat, ita videlicet prospicere illa, magni cuiusdam civis et divini paene est viri.* Verbum *moderare* idem vult quod Graecorum εὐθύνειν. Mn.

5. *Magni cuiusdam civis.* Vt h. l. voc. *quidam* ad augendam vim adiectivi *magni* additur, cui respondet mox *divini paene*, ita aliis locis Noster ipsam vocem *divinus illo* pronomine intendit: v. c. ad Quint. Fratr. I, 1, 11: *Hic te ita versari... divinae cuiusdam virtutis esse videtur*: orat. (spuria) ad Quirit. post. Red. 3, 7: *C. Pisonis... divina quaedam et inaudita... virtus.* Ma.

6. *Divini paene est viri.* Ita prorsus Aristoteles Reip. lib. V, cap. 8, quo loco agit de rerumpublicarum commutationibus: Τὸ ἐν ἀρχῇ γιγνόμενον κακὸν γνῶναι, οὐ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ πολιτικοῦ ἀνδρός. A. M.

7. *Maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae*, etc. Edidit Mos. *censeo.* Qui sic ad h. l.: Cod. et edd. *sentio*; solus Heinr. mecum facit. Ego vero dudum antequam ad manus veniret eius editio, haec ad h. l. adnotaveram: Nihil videtur magis probabile, quam verbum, quo aliquis *sententiam* suam eloqui dicatur, esse *sentire.* Accedunt haud pauca loca, quibus ita positum videtur: v. c. Cic. ad Fam. lib. I, cap. 7, p. 11 seq. Ed. Ern. min *Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum.* Cicero de Amicitia 10: *Sed hoc primum sentio, nisi in bonis, amicitiam esse non posse.* Sed tamen, ut dicam, quod sentio, equidem censeo nostro loco melius convenire *censeo.* Est enim Scipio loquutus inter amicos serio in re seria, quasi in senatu de re gravissima sententiam diceret, in qua, quid eligendum, quid reiiciendum videretur, si, quae animo sentirent, verbis efferrent, dicebant *censeo.* Ita Cato ille Censorius saepissime in senatu illud suum repetebat: *Ego autem censeo Carthaginem esse delendam.* Mn.

8. *Moderatum et permixtum tribus.* Haec est definita Polybii sententia lib. VI, cap. 3, quam eleganter Cicero a Scipione recitandam curat Polybii familiari et discipulo. Mixtum reip. genus fuit in Creta, Sparta, Carthagine, et sub Solone Athenis. Lege Aristotelem lib. II, cap. 9, 10, 11, 12: qui et id genus ceteris praeferre videtur lib. II, cap. 6, 9; lib. IV, cap. 9; uti etiam Archytas apud Stobaeum Serm. XLI ed. Canteri pag. 226: at Plato (itemque Polyb. VI, 4) tria illa genera in sex dividit Politic. p. 302: tum septimum quoddam (id est, Ciceronis quartum) praefert tamquam Deum hominibus. Romae vel sub regibus mixtum quoddam fuit reip. genus, de quo recte Dionysius lib. VIII, cap. 5: Ῥωμαίοις τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς πολίτευμα ἦν ἔκ τε βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας· ἔπειτα ὁ τελευταῖος βασιλεὺς Ταρκύνιος τυραννίδα τὴν ἀρχὴν ἠξίου ποιεῖν. Romuleum regnum cum aristocratia mixtum describitur a Dionysio II, 8. Generatim vero priscorum regum dominatum negat Dio-

Digitized by Google

XXX. Hic Laelius, Scio tibi ita placere, Africane; saepe enim ex te audivi; sed tamen, nisi molestum est, ex tribus istis modis rerumpublicarum velim scire quod optimum [1] iudices. [2] Nam vel profuerit aliquid ad cog [3] . . . . . .

XXXI. [1] . . . et talis est [2] quaeque respublica, qualis

nysius fuisse sui affatim iuris cap. 12. Indefinitam regis potestatem improbat Aristoteles Reip. lib. III, cap. 17. A. M.

XXX. 1. *Quod optimum.* Multos fore credo, qui desiderent *quem*; multos item, qui cum Steinackero rescriptum velint *quid*, ut in interrogatione. Prioribus respondeo, Ciceronem, quamquam scripserit *modis*, cogitasse *generibus*; similiter vero loquutus est Noster ad Famil. lib. XVI, cap. 4: *Sumptu ne parcas in ulla re, quod ad valitudinem opus sit.* Plane vero ita est apud Sallustium, Iugurth. 41 init. *Otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt.* Posterioribus repono, *quod* poni pro *qualenam* vel *quodnam*, ut est Acad. II, 11, 35, ubi vide Goerenz. pag. 68 seq. Mn.

2. *Iudices.* Haec interrogatio inferius recurret; eademque fit apud Platonem Leg. IV, p. 712, ubi de nova instituenda agitur civitate. Super hac controversia mirae sunt ob temporum antiquitatem orationes tres apud Herodotum lib. III, cap. 80-82, Persarum Otanis, Megabyzi et Darii, qui Magos nuper interfecerant: praelata est autem Darii sententia de regio statu retinendo. Mira item oratio de triplici politiae genere, quam Romulo affingit Dionysius lib. II, cap. 3, cui plebs romana regium imperium, ut optimum et a maioribus traditum, confirmare voluit. Legendae sunt etiam apud Dionem lib. LII, Agrippae et Maecenatis contrariae orationes valde prolixae de populari deque unius dominatu: expugnavit autem Octaviani animum Maecenatis sententia pro monarchia. Tiberius quoque supremum sibi imperium senatus suasionibus confirmari passus est. Tacit. Annal. I, 11 seq. A. M.

3. *Aliquid ad cog.* Desiderantur paginae duae.

XXXI. 1. Vrgente Laelio, ut Scipio de tribus reipubl. generibus iudicium suum interponat, videtur hic exordiri a statu populari; ita tamen ut ante sapienter moneat, fortunam cuiuslibet reip. magistratuum natura et moribus contineri. Haec fere in lacuna fuisse arbitror. Porro haec de statibus reip. quaestio in tertio libro reviviscit, atque ibi demum concluditur. A. M.

2. *Et talis est quaeque respublica, qualis eius*, etc. Monet Villem. ad h. l. manifesto hic quidem loqui Scipionem, neque vero suam sententiam exponere: sed enarrare, quae contra moneant ii, qui populare imperium velint (si dicere licet) absolutissimum. Ad argumentum confert Hellerus l. c. p. 15. Pind. Pyth. lib. II, p. 157 seq. ἐν πάντα δὲ νόμον εὐθύγλωσσος ἀνὴρ προφέρει, παρὰ τυραννίδι, χὠπόταν ὁ λάβρος στρατός, χὤταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι. Mn.

eius aut natura, aut voluntas, qui illam regit. Itaque nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius; et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. Quî autem aequa potest esse, [3] omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est, aut dubia servitus; sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes; ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus ambiuntur, [4] rogantur; sed ea dant magis, quae,

3. *Qui autem aequa potest esse*, etc. Locus paullo impeditior propter interruptam non semel structuram, eleganti quidem ad formam sermonis facta mutatione. Planius ita flueret oratio: *Qui autem aequa potest esse (omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus) in istis civitatibus, in quibus verbo quidem sunt liberi omnes (ferunt enim suffragia... rogantur); sed re vera ea potius dant, quae danda sint, etiamsi nolint, et a quibus alii petunt, quae ipsi* (qui dant) *non habent: videlicet imperia*, etc. *quorum ipsi quidem* (id est, populus, qui ea dat) *expertes sunt, quia in eos conferenda sunt, qui familiarum vetustate et pecunia plus valent ceteris omnibus.* Ita si explices locum, neque opus erit scribere cum Heinr. *unde alii petant:* constructio enim haec est: *qui potest esse aequa potestas in iis civitatibus, in quibus a civium multitudine alii* (videlicet cives nobiliores et opulentiores) *petunt, quae ipsi* (videlicet cives suffragium quidem ferentes, sed honorum expertes) *non habent:* neque adhibenda erit medicina, quam facere voluit huic loco Zachariae in libro, quem laudavimus p. 92: *et quae ipsi non habent, qui habent, ab iis petunt.* Schutzius post *potest esse* posuit interrogandi signum, nos cum Heinr. et Lehm. post *omnes*. A. Maius et Steinackerus interrogandi signum plane omiserunt, improbante censore Lips. l. c. p. 48. Mn.—Evanescit vis interrogativa. *T.*

4. *Mandant imperia, magistratus ambiuntur, rogantur.* Aliter distinxit Mos. qui sic ad hunc locum: Ceteri editores cum A. Maio *magistratus ambiuntur* coniungunt. Quamquam vero Noster orat. pro Plancio cap. 4, 9: *Cedit precibus* (populus), *facit eos, a quibus est maxime ambitus*: et ad Attic. I, 13: *Primum igitur scito... me non esse rogatum sententiam*; non tamen existimo inde sequi, Ciceronem etiam finito verbo utentem dicere: *ego ambior magistratus.* Ceterum de constructione passivi cum accusativo et hac et alia graecissante vide Vechneri Hellenolex. pag. 348-350 ed. Heusing. Sanctii Minerv. lib. III, cap. 3, 10; G. I. Vossium de Construct. cap. 41, pag. 141-144; Ruddimann. Inst. Gramm. Lat. II, p. 219, et nuperrime C. F. Stadelmannum in Program. de indole et usu medii Graecorum verbi in diligentiori Latinarum liter. interpretatione haud ne-

Digitized by Google

etiamsi nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt: sunt enim expertes imperii, consilii publici, [5] iudicii delectorum iudicum; quae familiarum vetustatibus, aut pecuniis ponderantur. In libero autem populo, ut Rhodi, [6] ut Athenis, [7] nemo est civium, qui [8] . . . . . .

XXXII. [1] . . . *po*pulo aliquis unus, [2] pluresque di-

gligendo, 4 Dessav. 1824, p. 16, ubi magnus ex scriptoribus graecis et latinis exemplorum congestus est numerus. — *Ambiuntur* ad imperia pertinet, *rogantur* ad suffragia. Mn.

5. *Expertes... consilii publici*, etc. Alio plane sensu *expertem consilii* dixit Cicero or. pro Sextio 21, 47: *tam eram rudis... tam expers consilii aut ingenii?* Sed eodem fere, quo nostro loco, sensu ad Att. VIII, 8: *Omnes nos ἀπροσφωνήτους, expertes sui tanti, tam inusitati consilii, relinquebat* »Familiarum vetustatibus aut pecuniis ponderari« paullo insolenter dictum est. Similiter tamen dixit Tullius pro Muraena 8, 17, *ex familia vetere et illustri*: et in Pison. 41, 98, *non eventis, sed factis cuiusque fortunam ponderari*. Mn. — Paria fere de Cretensibus narrat Aristoteles Reipubl. lib. II, cap. 20; de Atheniensibus item cap. 12; nisi quod Atheniensis populus iudicia exercebat. De Syracusanis lege Diodorum lib. XI, cap. 72. Pars populi Atheniensis pauperrima nullum magistratum obire poterat (nempe ante bellum Persicum); vide Pollucem VIII, 10, 130. Sed enim Atheniensium politia plurimas vices passa est. A. M.

6. *Vt Rhodi*. Liberi eo tempore Rhodii; alio tamen tempore sub paucorum dominatu fuerunt. Lege Athenaeum lib. X, cap. 13, et Strabonem lib. XIV, pag. 965. De Rhodiis quid hic dixerit Cicero, licet coniectare e libro de Rep. III sub finem. Reliqua pars lacunae obscurior mihi est. A. M.

7. *Vt Athenis*. Athenis diu viguisse optimorum dominatum insigni testimonio Plato docet Menex. pag. 238: Ἡ αὐτὴ πολιτεία καὶ τότε ἦν καὶ νῦν ἀριστοκρατία· καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο, ᾧ ἂν χαίρῃ· ἔστι δὲ τῇ ἀληθείᾳ μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία. Pergit porro ibidem confirmare Plato, neminem Athenis, qui virtute claresceret, in honoribus tulisse repulsam propter generis vel pecuniae defectum: quae oratio pugnare videtur cum Aristotele, aliisque scriptoribus. A. M.

8. *Nemo est civium qui...* Haud incommode pergas in sententia Platonis, quam subiunxit A. Maius huic loco, ita: *Nemo est civium (Athenis), qui quidem virtute clarescat, qui in honoribus ferat repulsam propter generis vel pecuniae defectum*. Mn.

XXXII. 1. Desiderantur paginae duae.

2. *Populo aliquis unus*, etc. Heinr. supplet *quum in populo...* tum verba *superbia nata* mutat in *superbiam natam*, deleto *et*. Displicebat ei sine dubio Maii coniectura post *nata* addentis *iura* vel *nomina nobilitatis*. Possis etiam coniicere *nata esse regna commemorant*, quo ducunt, quae mox de regnis et regibus dicuntur. Iungit autem Noster *superbiam, fastidium et ar-*

vitiores opulentioresque exstitissent, tum ex eorum fastidio et superbia nata[3] esse commemorant, cedentibus ignavis et imbecillis, et arrogantiae divitum succumbentibus. Si vero ius suum populi teneant, negant quidquam esse praestantius, liberius, beatius: quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis uniuscuiusque, pecuniae. Hanc unam rite rempublicam, id est, rem populi, appellari putant. Itaque et a regum, et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri, aut potestatem atque opes optimatium.[4] Et vero negant oportere indomiti populi vitio genus hoc totum liberi populi repudiari; concordi populo, et omnia referenti ad incolumitatem et ad libertatem suam, nihil esse immutabilius,

*rogantiam* de Offic. I, 26, 90. Quod Heinr. volebat, *ex fastidio* nimirum *natam esse superbiam*, huius contrarium dicit Cicero de Lege Agr. contr. Rull. lib. I, cap. 7, 20: *Superbia... nata... esse ex... fastidio videtur*. De Fin. lib. I, cap. 3, 10 dixit *insolens fastidium*. Alia plane est sententia loci de Off. lib. II, cap. 12, 41: *Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros, iustitiae fruendae causa, videntur olim bene morati reges constituti. Nam quum premeretur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute praestantem*: ubi vide Beier. et ad sententiam et ad verba *unum aliquem*, quae defendit contra Schellerum, vel potius recte explicat. Locis ab eo laudatis adde nostrum et orat. in Verr. act. II, lib. II, c. 52, 129: *Est consuetudo Siculorum... ut nonnumquam... eximant unum aliquem diem... ex mense*. Ma.

3. *Nata*. Num *iura* vel *nomina nobilitatis*? A. M.

4. *Aut potestatem atque opes optimatium*. Sic loquitur etiam Agrippa apud Dionem lib. LII, cap. 9, in oratione ad Octavianum pro libertate restituenda. Vix autem dubito, quin Dio in utraque oratione, Agrippae ac Maecenatis, concinnanda prae oculis habuerit Ciceronis hanc politicam disputationem; id quod comparatione locorum cognoscere possumus. Fortasse igitur pars etiam aliqua amissarum Tullii super hac re sententiarum in Dione superest. Profecto idem Dio novam quamdam Philippicam e Tullianis Philippicis carptim delibatam recitat lib. XLV, cap. 18 seqq. ne quid dicam de alia lib. XLIV, c. 23 seqq. Alienis sane scriptis copiose uti videmus Dionem, ita ut integram quoque Philisci ad Tullium consolationem adsciscere non dubitaverit XXXVIII, 19 seqq. A. M.

Digitized by Google

nihil firmius. Facillimam autem in ea republica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus; ex utilitatis varietatibus, quum aliis aliud expediat, nasci discordias. Itaque, quum patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum; multo iam id in regnis minus, quoniam, [5] ut ait Ennius,

Nulla regni sancta societas, nec fides est.

Quare quum lex sit civilis societatis vinculum, [6] ius autem legis aequale, [7] quo iure societas civium teneri

5. *Quoniam.* Cod. habet *quorum.* Ceterum vel *quoniam* scribendum videtur, vel in sequenti versu omittenda vox *regni.* A. M. (Est enim in cod. *nulla regni sancta societas, nec fides est.* Ma.) — *Quorum... nulla s. societas nec fides est.* Delevimus *regni*, monentibus Cr. et censoribus Lips. 1824, 8, pag. 59, et 12, pag. 91; Gotting. 1824, 84, praeuntibusque Heinr. et Lehn. Schutzius maluit praeferre A. Maii coniecturam *quoniam*, ut versum scilicet servaret, *nulla regni sancta societas nec fides est*, vel potius versus monstrum. Vide Beier. ad Cic. de Off. lib. I, cap. 8, p. 59 et pag. 356, et ad versum et ad eius sensum. Sed iam non curamus versum. Gravius illud est, quod nostro loco haec Ennii quae dicitur esse sententia plane non convenit. Videmur enim ex loco de offic. laudato, ea id significare, regnum inter duos divisum reges numquam esse concors, neque societatem duorum regum unius regni esse fidelem. Eumdem sensum habet locus Livii lib. I, cap. 14, quem laudat A. Maius, itemque Lucani, cuius locum plenius adscribam: *Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit*: quos Ennii sententiam et verba imitatos esse ait A. Maius. Quod si verum est, et nos negare nolumus: qui, quaeso, convenit hic sensus loco nostro, in quo potius illud significare vult Noster, quod dixit de Offic. lib. III, cap. 6, 32: *Nulla... nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est;* quem locum item, ut cum Ennii verbis convenientem, laudavit A. Maius? Certe hoc velle debet Noster: libertate populi et iurum aequitate sublata male contineri rempublicam, et semper mutuam esse inter regem et subditos aliquam diffidentiam. Quare vel Ciceronem Ennii verba sive consulto, sive imprudentem in aliam detorsisse sententiam existimo, vel locum nescio quomodo seu corruptum, seu interpolatum. Steinackerus servavit scriptionem codicis *in regnis... quorum... nulla regni sancta*, etc., nescio quid haud ingratae negligentiae subodorans. Ma.

6. *Civilis societatis vinculum.* Notemus moralem legis definitionem. (Cicero de Legg. lib. I, cap. 6, 18: *Lex est ratio summa, insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria, a lege ducendum est iuris exordium*, etc. Vide ed. Mos. et nostr. p. 46, ibid. annot. Mos. Ca.) Item *vinculum*, quum alibi sit *vinclum.* A. M.

7. *Ius autem legis aequale.* Distin-

potest, quum par non sit conditio civium? Si enim pecunias aequari non placet; si ingenia omnium paria esse non possunt: iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem republica. Quid est enim civitas, [8] nisi iuris societas? [9] . . . . .

XXXIII.... Ceteras vero respublicas ne appellandas quidem putant iis nominibus, quibus illae sese appellari velint. Cur enim regem appellem, Iovis optimi nomine, hominem dominandi cupidum, aut imperii singularis, populo oppresso dominantem, [1] non tyrannum potius? Tam enim esse clemens tyrannus, quam rex importunus potest: ut hoc populorum intersit, utrum comi domino, an aspero serviant; quin serviant quidem, fieri non potest. [2] Quo autem modo

xit Cr. post *autem*, subaudiens *sit*. Ad v. *ius* haec Vill. *et le principe de la loi étant l'égalité*, quasi *vis* pro *ius* legisset, neque tamen vel verbo monuit. Sed *ius* retinendum est. Cr.

8. *Quid est enim civitas, nisi iuris societas?* Eodem fere modo civitatem definit infra lib. VI, cap. 13 (Somn. Scip. 3): *Concilia, coetusque hominum, iure societati, quae civitates appellantur.* Conf. etiam quae supra posuimus ad principium cap. 25. Mr.

9. Desiderantur paginae duae. — In amissis paginis duabus pergebat, ut reor, auctor dicere de statu populari, qui sit naturae maxime consentaneus, et cui probe uni convenire videatur nomen reip. ac societatis. Certe hunc Tullii hiatum egregie explere videtur Dio lib. LII, cap. 4: Ἡ μὲν ἰσονομία τό τε πρόσρημα εὐώνυμον, καὶ τὸ ἔργον δικαιότατον ἔχει· τήν τε γὰρ φύσιν τὴν αὐτὴν τινας εἰληχότας, καὶ ὁμοφύλους ἀλλήλοις ὄντας, κ. τ. λ. quo Dionis capite vix paullo plus materiae continetur, quam huic lacunae congrueret. Item in hac lacuna haud fortasse inepte collocarentur Lactantii verba de aequitate, qua quis se cum ceteris in rep. coaequat, quae scribemus in tertio libro. A. M.

XXXIII. 1. *Hominem dominandi cupidum... populo oppresso dominantem.* Non admodum placet haec eiusdem verbi repetitio, ideoque suspicor aut delenda esse verba *hominem dominandi cupidum aut imperii singularis* (ego certe pro voce *hominem* intercesserim. Mr.), vel *populo oppresso dominantem*; aut scribendum: *hominem cupidum imperii singularis populove oppresso dominantem.* Cr.

2. *Quin serviant, quidem fieri non potest.* Cod. *quin serviant quidem fieri non potest.* Steinacker. et Lehn. tacite distinctionem minorem posuerunt post *quidem*, nos maluimus cum Heinrich. distinguere post *serviant*, et addere *id*, quod inter finem prioris et principium alterius paginae facile potuit excidere. Quod ad loci structu-

assequi poterat Lacedaemon illa tum, quum praestare putabatur disciplina reipublicae, ut bonis uteretur iustisque regibus, quum esset habendus rex, quicumque genere regio natus esset? [3] Nam optimates quidem quis ferat, qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen arrogaverunt? Qui enim iudicatur iste optimus [4] doctrina, artibus, studiis? [5] Audio; quando [6] . . . . . .

ram simile est illud, quod legitur de Fin. lib. I, cap, 8, 27: *Fieri... nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes.* Orat. 70, 233: *Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet.* Ma.

3. *Quicumque genere regio natus esset?* Laconicam rempubl. studiose vituperat Aristoteles Reip. lib. II, cap. 9; contra in caelum tollit Xenophon libro, quem de eiusdem institutis conscripsit. Isocrates varius est, modo enim laudat, modo secus. Regnum certe hereditarium tolli Lacedaemone, eligique optimum regem volebat auctor libri eius, qui deprehensus ab Agesilao fuit domi Lysandri mortui; quem librum ephori prudenter aboleverunt. Lege Plutarchum, Apophth. Lac. tom. VI, p. 856. Huc pertinent illa oratoria Plinii Panegyr. cap. 7: *Summae potestatis heredem tantum intra domum tuam quaeras? non per totam civitatem circumferas oculos? imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus.* A. M.

4. *Iste optimus.* Car. Sigonius ad h. l. ita: Ego legendum existimo *optimas*, ut etiam in Sextiana, Paulli Manutii commentario non erudite minus, quam eloquenter, explicata. Qui ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, *optimates* habebantur. Quis est ergo *optimas* ille? Expositis autem memorabilibus omnibus reip. romanae institutis, credo tandem Scipionem, ut aequatis plebis et patriciorum opibus resp. constituta ac temperata sit, docuisse: tum vero civem eius etiam reipub. quem vere optimatem, quod optimam tractet remp. possumus appellare, quodammodo depinxisse, atque eum a populari separasse. Ex qua descriptione haec sunt, ut opinor, quibus ait optimatem et doctrina, artibus et studiis iudicari. Praeclare scribit etiam Aristoteles ἀριστοκρατικὸν esse illum, cui proposita sit legum et veteris disciplinae tutela. Ma.

5. *Artibus, studiis?* Huc usque pagina codicis. Sequentia duo verba supplet Nonius, qui hunc locum e lib. I de Rep. citat vocab. *aemulus*: quamquam Tullianus locus apud ipsum quoque Nonium mutilationem passus est, quandoquidem desideratur in eo vox *aemulus*, quae propter exempli necessitatem abesse non debuit. Itaque et editor Parisiacus asterisco locum notavit; Antverpiensis vero in margine monuit desiderari hic partem sententiae. Codices Nonii, qui multi sunt, Vaticani nullam huic vulneri medicinam faciunt; neque enim editionum textui quidquam adiiciunt. Videtur autem Tullius aemulationem commemorasse civium in libero po-

XXXIV. ....[1] si fortuito id faciet, tam cito evertetur, quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula accesserit. [2] Quod si liber populus, deliget, quibus se committat; deligetque, si modo salvus esse vult, optimum quemque: [3] certe in optimorum consiliis posita est civitatum [4] salus; prae-

pulo virtute inter se certantium; cuius certaminis is esset finis, ut optimus quisque ad honores eveheretur populi suffragiis; quae est vera natura reipubl. ab optimatibus administratae. Tullii locum vel exprimit, vel certe illustrat Dion LII, 9. A.M.

6. *Quando.* Videtur supplendum: *audio; quando ab aemulis ceteris praestare iudicatur.* Locum imitatur Lactant. Inst. lib. VII, cap. 3, §. 13. — Agit iam Cicero de vero optimate, viro scilicet praedito doctrinarum bonarumque artium ornatibus; cui ius aeque antiquum ac novum nobilitatis honores tribuit. Quid lateat in lacuna partim certe divinare licet. A. M.

XXXIV. 1. Desiderantur paginae duae.

2. *Ad gubernacula accesserit.* Hac ipsa imagine sententiaque utitur Philo Iudaeus in opusculo politico περὶ καταστάσεως ἄρχοντος. Iam cosmos in Creta, ephoros Spartae fortuito fere sic eligi solitos criminatur Aristoteles Reip. lib. II, cap. 9, 10. Itaque et de his fortasse loquutus est Cicero in lacuna; praesertim quum ante illam reprehensio fiat regni hereditarii Laconum. A. M.

3. *Optimum quemque.* Quidam tibicen, ut Varro auctor est (apud Augustinum de Quant. Anim. lib. XIX, cap. 33), ita populum delectavit, ut rex fieret. Ergo is saltem populus salvus esse nolebat. Ceterum de optimo quoque ad imperium evehendo legatur Aristoteles lib. III, cap. 17. Ius electionum populo concessit Solon (Aristot. Reip. lib. II, cap. 12); genusque electile imperii placet Philoni in opere praedicto. A.M.

4. *Civitatum.* Cod. habet *civitatium.* Nihil impedio, quo minus gen. plur. substantivi *civitas* scribatur *civitatium*, quamquam Cicero hac forma non videtur esse usus: vide modo Schneiderum, Gr. Lat. (Formenl.) I, p. 253. Illud moneo, non convenire huic loco, si antecedentia spectes, genitivum pluralis numeri, neque eum a Cicerone profectum videri, sed ortum ex duarum lectionum coniunctione, quae fortasse iam in antiquissimis codicibus locum habuerunt. A Cicerone enim profectum esse potest, vel *civium* vel *civitatis.* Vtramque fortasse scriptionem aliquis ita coniunxerat: *civitatis*, unde religiosus quidam scriptor fecit *civitatium.* Equidem credo Ciceronem scripsisse *posita est civitatis salus*, eo sensu, quo est in Somn. Scip. III (de Rep. VI, 13): *Coetusque hominum, iure sociati, quae civitates appellantur.* Nostro loco quum aliquis explicandi causa recte superscripsisset *civium*, et lectionis varietas et corruptio, quam in contextis habemus, orta esse videtur. Veri autem similem esse nostram coniecturam, arguunt etiam, quae sequuntur: *Praesertim quum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animi praecessent imbecillio-*

sertim quum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animo praeessent imbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis velint.[5] Verum hunc optimum statum pravis hominum opinionibus eversum esse dicunt, qui ignoratione virtutis, quae quum in paucis est, tum in paucis iudicatur et cernitur, opulentos homines et copiosos, tum genere nobili natos, esse optimos putant. [6] Hoc errore vulgi quum rempublicam opes paucorum, non virtutes, tenere coeperunt, nomen illi principes optimatium mordicus tenent, re autem carent eo nomine. Nam divitiae, nomen, opes vacuae consilio, et vivendi atque aliis imperandi modo,[7] dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae; nec ulla deformior species [8] est civitatis, quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur. [9]

*ribus; sed ut hi etiam parere summis velint*: ubi nisi ex superioribus intellexeris *cives*, scribendum erit: *summi virtute et animo viri*. Mn.

5. *Parere summis velint*. Notabilis haec sententia aliquot auctorum locis confirmanda est. Dionysius quidem in historiae procemio ait: Φύσεως δὴ νόμος ἅπασι κοινὸς, ὃν οὐδὲις καταλύσει χρόνος, ἄρχειν ἀεὶ τῶν ἡττόνων τοὺς κρείττονας, *equidem naturae lex est apud omnes recepta, quam nulla aetas delebit, nempe ut meliores deterioribus imperent*. Tum Sallustius, Catil. 2: *Imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur*. Item optimus orator apud auctorem rei militaris (ed. Plantin. p. 83), ait: *Ad illum maior pars hominum decurrit, quem ingenio natura donaverit*. Cf. et Platonem Leg. III, p. 690. A. M.

6. *Esse optimos putant*. Contra Iuvenalis praeceptum, S. VIII, 20: *nobilitas sola est atque unica virtus*. Laudabili autem temperatione Germani (apud Tacitum de Mor. German. 7), *reges ex nobilitate, duces ex virtute sumebant*. A. M.

7. *Vacuae .... vivendi .... modo*. Non diffiteor, non satis placere mihi hanc dictionem: *vacuae consilio* intelligo: *vacuae vivendi et imperandi modo* vix concoquo, nisi scribas *vacuae iusto vivendi atque aliis imperandi modo*. Similis est nostro loco de Div. lib. I, cap. 29, 60, *visa, a mente et ratione vacua*. Mn.

8. *Deformior species*. Ad v. *deformior species* conferri meretur Epist. ad Familiares, lib. X, 6: *In istis amplissimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas*. Mn.

9. *Opulentissimi optimi putantur. Virtute vero*, etc. Atqui Romae iam inde a Servii Tullii aetate comitia fuerunt in locupletium potestate. Dio-

Virtute vero gubernante rempublicam, quid potest esse praeclarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; [10] quum, quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse; nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat; [11] sed suam vitam, ut legem, praefert suis civibus. Qui si unus satis omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus; si universi videre optimum, et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret. Difficultas ineundi consilii rem [12] a rege ad plures; error et temeritas populorum a multitudine ad paucos transtulit. [13] Sic inter infirmitatem [14] unius, temerita-

nys. lib. IV, cap. 19 seqq. Huc fere pertinent poëtarum iustae querelae politicis audiendae. Ovid. Fast. I, 217: *dat census honores, Census amicitias; pauper ubique iacet.* Tum Iuvenalis I, 112: Horatius Sat. II, 3, 95. Quin ipsum Iovem *pecuniam* appellatum tradit Augustinus Civ. Dei, lib. VIII, cap. 12. Adde et Iunonem atque Apollinem *monetam*, Lactant. Inst. lib. 2, cap. 7, et in nummis Commodi apud Eckh. tom. VII, pag. 122. Immo deam diserte *pecuniam* Augustin. Civ. Dei, IV, 21, 24. A. M.

10. *Servit ipse nulli cupiditati.* Arduum et tamen necessarium praeceptum! Sic Cicero iubet, Leg. III, 3: *magistratuum ordo vitio vacato, ceteris specimen esto.* Theodoricus rex apud Cassiodor. Var. lib. I, cap. 12, ad quemdam magistratum: *Esto innocentiae templum, temperantiae sacrarium, ara iustitiae.* Confer eumdem lib. III, cap. 11, 13, nec non Platonem Leg. IV, p. 708. A. M.

11. *Quibus ipse non pareat.* Hinc Caesar optimus Alexander, et huius Tulliani de Rep. operis lector assiduus (vide testimonium Lampridii), scripsit cod. Iust. VI, 23, 3: *Licet lex imperii solemnibus iuris imperatorem solverit, nihil tamen magis proprium imperii est, quam legibus vivere.* Confer ceteroqui Plinium, Panegyr. cap. 65. Eamdem Tacitus laudem maximo Romanorum regi tribuit, Annal. III, 26: *Praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.* Iustinus, lib. III, cap. 2, ait: *Lycurgum nihil lege ulla in alios sanxisse, cuius non ipse primus in se documenta daret.* Cassiodorius, Var. lib. V, cap. 18: *Nulli gravis est iussio quae constringit et principem.* Cf. eumdem I, 12; IX, 18. A. M.

12. *Rem. Rem* pro *rerum summa* poni manifestum est. Ma.

13. *Ad paucos transtulit.* De his copiose disputat Aristoteles, Reipubl. III, 14, 15, 16. A. M.

14. *Sic inter infirmitatem unius. Infirmitatem* referendum est ad *difficultatem ineundi consilii* et ad verba, quae paullo superius leguntur: *si unus satis omnia consequi posset.* Quae nisi essent satis manifesta, ego

temque multorum, medium optimates possederunt locum, quo nihil potest esse moderatius: quibus rempublicam tuentibus, beatissimos esse populos necesse est, vacuos omni cura et cogitatione,[15] aliis permisso otio suo, quibus id tuendum est, neque committendum, ut sua commoda populus negligi a principibus putet. Nam aequabilitas quidem iuris, quam amplexantur liberi populi, neque servari potest:[16] ipsi

non adversaturus essem, si quis diceret *infirmitatem* esse glossam, eamque pravam, antiquae scriptionis *impotentiam* (pro animi effrenatione) a Cicerone profectae, quia illud potissimum in imperio unius periculum esse sentit Scipio, ne dominandi cupiditate abripiatur, neque sibi ipsi temperare possit. Sed manum abstineo. Mb.

15. *Vacuos omni cura et cogitatione.* Haec quum legissem, vix me continui, quo minus cum Cicerone expostularem. Tene, dixi, istorum hominum similem esse, qui *ultra* hominum captum sibi sapere videntur, sed, ne alii ratione sua utantur, et *cogitent* homines se esse iuraque secum nata, omni ope cavere studeant? Sed mox in concordiam cum eo redii, reputans, verbis iisdem fere alio quoque loco nostrum esse usum, neque de ea re cogitasse quam ego suspicabar. Ita enim de Or. lib. II, cap. 41, 186: *Omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiam.* Attamen animadverteus, aliam huius, quam nostri, loci esse rationem, redii ad dubia, quae prima loci lectione subierant animum: *cogitatione* si scripsisset Cicero, nihil aliud diceret, quam quod modo dixit voce *cura*, quum non dicat *de quanam re cogitent populi*, quos nunc *cogitatione vacuos* fore ait. Id vero vult, ea ratione eos beatissimos fore, si et curis liberentur, neque seditionum turbis ultro citroque agantur. Conieci igitur: *vacuos omni cura et agitatione.* Neque facilius duo invicem permutantur vocabula, quam *cogitatio* et *agitatio.* Ita iungit Noster de Div. II, 62, 128: *animus . . . agitatione et motu vacuus.* Mb.— Inest levis ironia in hoc loco, nec obliviscendum, Scipionem h. l. ex persona eius loqui, qui optimatibus faveat. Vide fin. cap. *Haec fere... disputari solent.* Cb.

16. *Neque servari potest.* Ita cod. pro *ne servari quidem*, vel pro *servari non.* — *Nam aequabilitas. . . . iniquissima est.* Duo hoc loco sunt monenda, quorum ansam dant A. Mali annotationes criticae. Prima est ad v. *servari potest*: Ita cod. pro *ne servari quidem*, vel pro *servari non.* Quo nihil est minus verum et accurate dictum. An Ciceronem scripsisse vult, ut scripsit Columella lib. III, cap. 21, p. 150 Bip. *quo vitis neque folium notabile gerit*, pro *ne folium quidem?* an *neque* pro *non* dicitur, ut in formulis, *nec vero, neque autem, nec obediens, nec opinatus?* an librarius erravit, corrigendumque alterutro modo proposito? Nihil horum: sed erravit Maius, qui non vidit, verba

enim populi, quamvis soluti effrenatique sint, praecipue multis multa tribuunt, et est in ipsis magnus delectus hominum et dignitatum; eaque, quae appellatur aequabilitas, iniquissima est. [17] Quum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo, necesse est ipsa aequitas iniquissima sit: quod in iis civitatibus, quae ab optimis reguntur, accidere non potest. Haec fere, Laeli, et quaedam eiusdem generis ab iis, qui eam formam reipublicae maxime laudant, disputari solent.

XXXV. Tum Laelius, Quid? tu, inquit, Scipio, e tribus istis, [1] quid maxime probas? — Scip. Recte quaeris, quid maxime e tribus; quoniam eorum nullum ipsum per se separatim [2] probo; anteponoque

*ipsi enim populi ... et dignitatum* quasi in parenthesi esse posita, iungendaque haec: *Nam aequabilitas ... neque servari potest .... eaque, quae appellatur aequabilitas, iniquissima est.* Ita Noster de Div. lib. II, cap. 43: *Hi neo totidem annos viderunt (anno enim Procli vita brevior fuit); multumque is fratri rerum gestarum gloria praestitit.* Quae constructio nostrae plane est gemina. Alterum illud est, quod ad v. *dilectus* scripsit A. Maius: ita cod. pro *delectus*: et in Add. sic var. lect. Cicer. Leg. I, 6, 19. Quasi vero vel idem sit, utrum hoc an illud scribas, vel *dilectus* scribere praestet! Vtrumque vocabulum auctores habet probos scriptores; neque tamen idem est, utrum *delectus* scribas an *dilectus*. *Delectum* enim est, quod sumis vel unum, vel plura ex multis, separando quod delegisti; *dilectum*, quod, distinctis potioribus a minus bonis, praefers, his reiectis. Illo vero apud Ciceronem de Legg. loco Davisii, Goerenzii nostrique libri omnes constanter servant *delectus*. Mr.

17. *Iniquissima est. Iniquissima sit* est in cod. quod nos correximus. Mr.

XXXV. 1. *Tum Laelius, Quid, tu, inquit, Scipio, e tribus istis, quid maxime probas?* Ita distinximus cum Heinrich. et Lehnero, quamvis Cens. Lips. loc. cit. pag. 90, praeferat Steinackeri modum, qui scripsit: *quid tu? inquit, Scipio; e tribus, etc.* Schützius, *Quid? tu, inquit, Scipio e tribus, etc.* Villem. *Quid tu, inquit, Scipio, e tribus istis, quid, etc.* A. Maius pessime omnium: *Quid? tu inquit, Scipio, e tribus istis, quid, etc.* Ad rem conf. supra cap. 30. Mr.

2. *Per se separatim probo.* Legit *separatum* Mos. haec addens: Ita scribendum duxi cum Heinrich. ut est in cod. a prima manu, quam scriptionem corrector in peius mutasse mihi videtur: non enim vult Scipio, *se nullum genus separato modo probare*, sed: *nullum, si plane separetur*

singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Sed si unum ac simplex probandum[3] ..... regium .....bem ..... pri... ..... In .....t... ..... hoc loco appellatur, occurrit nomen quasi patrium regis, ut ex se natis ita consulentis suis civibus, et eos conservantis stu...sius, quam ....gentis .....tem .. .... .....us ... .....tibus .. ..... ....guos sustentari unius optimi et summi viri diligentia.[4] Adsunt optimates,[5] qui se melius hoc idem

*a reliquis et seorsim spectetur.* Neque aliquis mihi opponat loca, cuiusmodi est de Nat. Deor. lib. II, cap. 66, 165, *et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt*: ut dictum sit pro: *singulos ab universis separatos.* Iungenda sunt *separatim diligunt*, id est, praeter caeteros. Quod non cadere in nostrum locum vidit etiam Cens. Lips. l. c. p. 91, qui probat Heinrichii lectionem. Ma.

3. *Simplex probandum.* Lacera pagella, cuius verba obliterata sic Maius restituit: » sit, regium pro*bem*, atque in pri*mis* laudem. In primo au*tem, quod* h. l. « Et post: » et eos conservantis stu*dio*sius, quam redi*gentis* in servitu*tem*: ut sane utili*us* sit facult*atibus* et mente exi*guos*. « — (Non credo, Ciceronem iunxisse umquam haec verba, *mente exiguos*, et hoc certe loco, si minus in aliis, hariolatum esse A. Maium. Est quidem apud Claudianum in Eutrop. lib. II, vs. 381, *exiguus animi*: sed hoc nihil ad nostrum locum et scriptorem. Ego vero, ne ipse hariolari videar, manum a corrigendo abstineo. Ma.) — Haec Maius addit: Exin pagellae angulus lacer est, ita ut in obliquo vulnere sex fere verba perierint, quae ego supputatis literarum spatiis restituere conatus sum, neque tamen mea pro Tullianis haberi volo. — Heinr. omnes omnino voces et literas, quas A. Maius supplendo loco addidit, omisit: Sch. omnes recepit, neque vero in nota accurate, quid in cod. scriptum fuerit, indicavit; neque in contextu additamenta typorum varietate distinxit. Steinackerus omisit verba *atque....quod*, et *ut sane* usque ad literas *exig.* quia ei A. Maii supplementa non multum probabilitatis habere visa sunt. Lehn. recepit omnia ut Schütz. uterque vero non plane, ut volebat A. Maius. Schützius enim pro *autem genere* dedit *genere tamen*, non inspectis Addendis editionis romanae: Lehnerus vero omisit *genere*, quod noluisse credo omissum A. Maium. Ma.

4. *Optimi et summi viri diligentia.* Boni regis officium verissime scribit Polybius V, 11: βασιλέως ἔργον ἐστὶ τὸ πάντας εὖ ποιοῦντα, διὰ τὴν εὐεργετείαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπώμενον, ἑκόντων ἡγεῖσθαι καὶ προστατεῖν: *regis officium est, bene de omnibus merendo, hunc beneficiorum suorum atque humanitatis fructum referre, ut volentibus imperio praesit ac moderetur.* Brevius Cassiodorius, ep. IX, 9: *Disciplina imperandi est, amare, quod multis expedit.* A. M.

5. *Adsunt optimates.* Prosopopoeia, quae est in verbis, *Adsunt optimates*, etc. indicat, quam difficulter pronun-

facere profiteantur; plusque fore dicant in pluribus consilii, quam in uno, et eamdem tamen aequitatem et fidem. Ecce autem maxima voce clamat populus, neque se uni, neque paucis velle parere; libertate ne feris quidem quidquam esse dulcius; hac omnes carere, sive regi, sive optimatibus serviant. Ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi:[6] ut in comparando difficile ad eligendum sit, quid maxime velis.[7] — Lael. Credo, inquit; sed expediri, quae restant, vix poterunt, si hoc inchoatum reliqueris.

XXXVI. Scip. Imitemur[1] ergo Aratum,[2] qui magnis

tiet Scipio, quale genus optimum iudicet. Ca.

6. *Ita caritate . . . populi.* Paullo longior est ad h. l. Villemanii annotatio, cuius haec est sententia: Videri potest Scipio non admodum favere libertati populi, quum ita dubius haeret in eligendo. Sed Cicero, cuius re vera haec est sententia, alibi quoque non probari sibi populi nimiam potestatem haud obscure significavit, v. c. de Legg. lib. III, cap. 17, 37, ubi Atticus ex mente Tullii, *Mihi vero, ait, nihil umquam populare placuit.* Praeterea Scipio Aemilianus, quamquam minime cupidus patriae libertatis exstinguendae, et honoribus et vita peracta sublimis quasi erat et elatus supra vulgus, et sua et aliorum opinione, oderatque turbulentas populi conciones, et tribunorum in ipsum quoque iactata probra: imperio assuetus militari, fori libertatem, vel licentiam potius, impatienter ferebat. Accedebat philosophorum graecorum assidua lectio, qua factum est, ut displicerent ei conventus qualescumque, in quibus, pro ratione, saepissime libido et ira studiumque dominabantur. Neque idem umquam Xenophontis Cyropaediam de manibus deponebat, qua e regis potissimum probi imperio reipublicae salutem prodire docetur. Ma.

7. *Quid maxime velis.* Hanc controversiam ventilat Aristoteles Reip. lib. III, cum quo Cicero valde conspirat: sed tamen ille Graecus rem copiosius illustrat. A. M.

XXXVI. 1. *Imitemur*, Cod. secunda manu; at prima, *imitabor*, quae lectio item probabilis est. A. M. — Servat Mos. *imitabor.*

2. *Aratum.* Aratus, Phaenom. v. 1, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα; quod Arati initium dicitur mirabile a Suida voc. Ἄρατος Σολεύς. Haec phaenomena latinis versibus Cicero interpretatus erat, ipsumque exordium extat de Legg. II, 3; isque locus huic politico valde similis est. *Q. ordire igitur. — M. A Iove musarum primordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. — Q. Quorsum istuc? — M. Quia nunc itidem ab eodem, et a ceteris diis sunt nobis agendi capienda primordia.* Sic Plato,

de rebus dicere exordiens, a Iove incipiendum putat.—Lael. Quo Iove?[3] aut quid habet illius carminis simile haec oratio? —Scip. Tantum, inquit, ut rite ab eo dicendi principia capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti expolitique[4] uno ore consentiunt. — Quid? inquit Laelius. — Et ille, Quid censes, nisi quod est ante

quem Cicero studiose sectatur, leges ordiens (lib. IV, p. 712), θεὸν δὲ πρὸς τὴν τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα. Hunc invocandi sub dicendi initiis morem tenebant Cato et Gracchus, Scipionis aequales, teste Servio ad Aen. VII, 259, XI, 301, A. M.

3. *Quo Iove?* Mira sane haec est quaestio: aliter enim intelligi nequit, quam *quonam Iove*, vel *quanam ratione eum spectans?* Fortasse scripsit Cicero *Qui Iove?* Ca. — Admodum arridet haec suspicio. Idem cogitasse videntur Villem. et Kobbius, ut ex eorum versionibus suspicari licet. Ego vero pleniorem etiam locutionem desidero: *Qui a Iove?* vel *Quid a Iove?* Ma.

4. *Expolitique.* Cod. prima manu, *omnes doctique expoliri*; tum factum *docti indoctique expoliri*. Iam *expoluri* vel convertendum est, ut me sapiens vir monuit, in haec verba *uno ore*; vel est scribendum *omnes indocti expolitique*. (Corr. *docti expolitique consentiunt*; sic Cicer. de Orat. lib. I, cap. 22, *doctus atque eruditus*. A. M. in Emm.) — *Omnes doctrina expoliti consentiunt*. Ita ponderatis rationibus omnibus rescribendum duxi, eoque si minus Ciceronis manum restituisse, tamen ad eam proxime accessisse mihi videor. A. Maius dedit *omnes docti indoctique uno ore consentiunt*; qua lectione nemo facile aliquid aptius esse iudicet. Sed eam nonnisi coniecturae, sapientis quidem viri, deberi videmus ex A. Maii notis criticis, qui in Add. quasi viro isto sapienti iam sapientior, *docti expolitique* nos scribere iubet, exemplo allato ad rem propositam parum faciente. Ego igitur ex vestigiis codicis a prima manu relictis *doctique expoliri* haud difficulter et minima mutatione elici posse putabam *doctrina expoliti*. Illud *indocti* est correctoris, qui recordabatur versus Horatiani Epp. II, 1, 117, *Scribimus indocti doctique poemata passim*. Sed noster, opinor, vult omnes *doctrina expolitos* in eo consentire, quippe qui a poëtis potissimum *Iovem deorum hominumque regem* appellare didicerint. Favet nostrae scriptioni ipse Cicero de Orat. lib. III, cap. 34, 139, *quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit?* Heinr. ad versum Horatianum, quem laudavimus, accommodata lectione, scripsit *omnes indocti doctique consentiunt*. Sch. recepit A. Maii correctionem ex Addendis: ad quam recte monet Steinackerus: » ut crederem, adducerer, si *doctos* diceret *expolitos* Cicero, qui *studiis, artibus, doctrina expolitos* solet. « Vides eum haud procul a nostra emendatione abfuisse. Maluit tamen eiicere *expoliri*, quam corrigere, scripsitque *docti indoctique*, quod item fecit Lehn. Ma.

oculos? Sive haec ad utilitatem vitae constituta sint [5] a principibus rerumpublicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, qui nutu, ut ait Homerus, totum Olympum converteret; [6] idemque et rex, et pater haberetur omnium: magna auctoritas est, multique testes (siquidem omnes multos appellari placet), ita consensisse gentes, decretis videlicet principum, nihil esse rege melius, quoniam deos omnes censent unius regi numine. Sive haec in errore imperitorum posita esse, et fabularum similia didicimus; audiamus communes quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus. — Quinam, inquit Laelius, isti sunt? — Et ille, Qui natura omnium rerum [7] pervestiganda senserunt, omnem hunc mundum mente [8] . . . . .

5. *Sive haec . . . constituta sunt . . . sive haec . . . didicimus.* Ita rescribendum visum est, ut Cicero secum ipse in concordiam redeat. In cod. et edd. omnibus est *sint*. Vide quae annotavimus in nostra editione ad cap. 35 circa finem. Idem faciendum esse monet etiam Cr. in schedis mecum communicatis. Mn.

6. *Vt ait Homerus, totum Olympum converteret.* Ita cum Villem. Heinr. et Steinack. scripsi, quum in cod. et rell. edd. sit: *ut ait totum Olympum Homerus, converteret*, vocabulorum transpositione non a Cicerone, sed a librario orta. Mn.

7. *Natura omnium rerum pervestiganda.* Ad eumdem modum scripsit Cicero de Orat. lib. I, cap. 3, 9: *qui omnia . . . vel scientiae pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint.* Verbum quod sequitur, *senserunt*, cur iugulaverit, vel certe omiserit Schützius, nulla apparet causa idonea, nisi quod ita placuerit operis. Commode finivit hanc periodum Vill. scribens: *que ce monde tout entier est mû par un ame universelle.* Ad rem facit Cic. de Nat. Deor. I, 15, 39. Mn.

8. *Omnem hunc mundum mente.* Quid huius hiatus causa desideremus, certis prope indiciis cognoscimus. Quippe auctor ut unius dominatum suadeat, transit ad imaginem mundi, quem ex sententia Timaei Platonici et unum esse ait, et mente seu anima praeditum, a qua idem ceu monarcha quodam et domino regitur. Sic Cicero Timaei interpres, cap. 5: *primum ut mundus animans; deinde ut unus esset.* Hac opinione utitur etiam Virgilius, Aen. VI, 724, quo loco legendus est Servius. Lege etiam Sextum Emp. lib. contr. Physic. cap. 95. Obscura gravisque videbatur haec quaestio Augustino de Consensu Evangel. I, 35. Sed merito contra eos, qui caelum esse animal aiebant, librum scripsit Dio-

Digitized by Google

XXXVII ... [1] Sed si vis, Laeli, dabo tibi testes nec nimis antiquos, nec nullo modo barbaros. [2] — LAEL. Istos, inquit, volo. — SCIP. Videsne igitur minus quadringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine re-

dorus ὁ μονάζων, quarti saeculi homo, ut ait Suida. Nunc vero has opiniones infra mortuos amandavimus. Multo pestilentior fuit illa sententia, quae deum non solum esse animam mundi statuebat, ut aiunt theologi ethnici apud Macrobium ad Somn. I, 17, sed hunc ipsum mundum esse deum; quem nunc in scholis Spinozismum (egregie ed. Lond. *spinosissimum*) vocamus; quo errore Plinium quoque Hist. II, 1, laboravisse dolendum est, generatimque Stoicos, teste Epiphanio ep. ad Acacium, cap. 3. Porro utrum Cicero in lacuna sententiam Stoicorum posuerit, ignoramus. De re autem legere licet Virgilium Geor. IV, 221; Senecam Quaest. Nat. Praefat. lib. I; Varronem apud Augustinum Civit. Dei IV, 31, VII, 5, 6. Refutatur sententia ab eodem Augustino de vera Relig. cap. 2; et de Civ. Dei IV, 11, 12, a Lactantio VII, 3, et ab Epiphanio Haer. V. A. M. — Hiatus explendus est verbis Lactantii, qui Tullium de Republ. expressisse videtur Epit. cap. 4: *Plato monarchiam adserit, unum deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles auditor eius unam esse mentem, quae mundo praesideat, confitetur. Antisthenes unum esse dixit naturalem deum, totius summae gubernatorem. Longum est recensere, quae de summo deo vel Thales, vel Pythagoras et Anaximenes antea, vel postmodum Stoici Cleanthes et Chrysippus et Zenon, et ipse Tullius praedicaverint; quam hi omnes, a deo solo regi mundum adfirmaverint. Hermes, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinae vetustate philosophos antecessit, quique apud Aegyptios ut deus colitur, maiestatem dei singularis infinitis adserens laudibus, dominum et patrem nuncupat, etc.* Eadem fusius dicit Lactantius, Inst. I, 2, 3, 5. Confer eumdem de Ira D. XI; necnon Salvianum de G. D. I, 1, 4. A. M. in Emm.

XXXVII. 1. Desiderantur paginae quatuor.

2. *Nec nullo modo barbaros.* Haud scio an intelligendi sint sacerdotes Aegyptii (de quibus fortasse in lacuna loquutus erat Cicero), quos de mundo disputantes audiit Solo, uti narrat Plato in Timaeo; immo quos ipse Plato audiit, teste Cicerone de Fin. V, 29, quique ab eo (et a Valer. Maxim. VIII, 7, ext. 3, ubi de Platone Aegyptum lustrante. A. M. in Emm.) diserte *barbari* appellantur, Sed certe hinc cognoscimus Scipionis praecedentibus paginis disputationem in eo fuisse versatam, ut confirmaret, hominibus priscis et barbaris placuisse genus reipubl. regium. Fortasse autem Cicero respicit Euripidem Iphig. in Aulid. 1402, et Aristotelem Reipubl. I, 2, III, 14, apud quos *barbari* dicuntur natura servi. Aegyptii numquam sine rege esse potuerunt, ut Eusebii Chronicon docet. (Immo Eusebius Chron. I, 20, aliique auctores tradunt deos in Aegypto regnum aliquantus tenuisse. De his igitur fortasse

gibus sit? [3] — Lael. Vero minus. — Scip. Quid ergo? haec quadringentorum annorum aetas, ut urbis et civitatis, num valde longa est? — Lael. Ista vero, inquit, adulta vix. — Scip. Ergo his annis quadringentis [4] Romae rex erat. — Lael. Et superbus quidem. — Scip. Quid supra? — Lael. Iustissimus; et deinceps retro usque ad Romulum, qui ab hoc tempore [5] anno sexcentesimo rex erat. — Scip. Ergo ne iste quidem pervetus. — Lael. Minime, ac prope senescente iam

loquutus est in lacuna Scipio, qui nuper Aegyptum adierat. A. M. in Emm.) Graecia item antiquissima sub regibus tota fuit. Dionys. v. 74. Immo orbis universus, uti observat Iustinus lib. I, cap. 2. Ipse Cicero Leg. III, 2 (quo loco libros suos de Rep. memorat), ait: *Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt.* A. M.

3. *Videsne igitur . . . ut sine regibus sit?* Similis circumlocutio per verbum substantivum atque *ut* legitur de Div. lib. I, cap. 56, § 128: *Non est igitur ut mirandum sit.* A. M. in Emm. — Hoc loco in margine codicis literis antiquis, sed inclinatis et valde informioribus scribuntur verba EXCLVSO TARQVINIO. Revera Tarquinius exclusus fuit desinente Olympiade LXVII, vel initio sequentis, nempe circa annum Vrb. conditae 244; disputabatur autem de Rep. an. 625. A. M. — *Vid. igitur . . . ut sine regibus sit?* Wolfius, pag. 26: » *Vt . . . sit* non pleonasmus est, ut Niebuhrius, vir illustrissimus, in indice latinitatis ait, sed *ut* idem quod *quum* s. *ex quo tempore* hic significat. Vide Brut. 5. Schützius dedit *fuit* pro *sit*. Subiunctivus autem ob accusativum cum infinitivo hic apte locum habere potest. « Recte: v. nos ad h. l. Ms. in Add.

4. *Ergo his annis quadringentis Romae rex erat.* Id est, ergo intra hos annos 400, vel: ergo nondum plane sunt 400 anni? Est i. q. dixit paullo ante: *minus quadringentorum annorum esse hanc urbem ut sine regibus sit.* Schützius post *quadringentis* addidit *ante*, quod sensum aperte postulare contendit. Poterat etiam scribere *sed annis abhinc quadringentis*: at nihil opus est mutatione, ut recte monuerunt censores, Gotting. 1824, 84, et Lips. 1824, 7, quorum posterior ipsum Schützium in Cat. mai. 14, c. fin. in verbis *qui his paucis diebus pontifex maximus factus est*, nihil novasse dicit. Idem interrogandi signum, quod nos cum Heinr. posuimus post *erat*, miro consilio post *quidem* reiecit. Ad nostrum locum facit etiam Cicero, Philipp. II, 1, *nemo his annis viginti reipublicae fuit hostis.* Vide universe de ablativis temporis Ruddiman. Inst. Gr. Lat. II, p. 289 seqq. Ms.

5. *Ab hoc tempore*, etc. Cum hac constructione convenit aliqua ex parte de senect. VI, 19, *cuius a morte hic quintus et tricesimus est annus.* Ms.

Graecia. [6] — Scip. Cedo, num [Scipio [7]] barbarorum Romulus rex fuit? — Lael. Si, [8] ut Graeci dicunt, omnes aut Graios esse, aut barbaros, vereor, ne barbarorum rex fuerit; sin id nomen moribus dandum est, non linguis, non Graecos minus barbaros, quam Romanos, puto. [9] Et Scipio, Atqui ad hoc, de quo agitur, non quaerimus gentem, ingenia quaerimus. Si enim et prudentes homines, et non veteres, reges habere voluerunt, utor neque perantiquis, neque inhumanis ac feris testibus.

XXXVIII. Tum Laelius, Video te, Scipio, testimoniis satis instructum; sed apud me, ut apud bonum iudicem, argumenta plus quam testes valent.— Tum Scipio, Vtere igitur argumento, Laeli, tute ipse

6. *Minime, ac prope senescente iam Graecia.* Id ope chronici Eusebiani sic breviter demonstratur. Reges Sicyonii desiverunt anno Abrahami 888, postquam annis circiter 957 regnaverant. Romulus anno Abrahami 1264 imperare coepit; ergo ante Romulum anni excurrerant saltem 1333, ex quo coeptum fuerat regnari in graeca urbe Sicyone. Igitur nascente Romulo iam Graecia senescebat. Lege sis etiam Augustinum Civit. Dei lib. XVIII, qui res Graeciae plurimas ante Romam conditam narrat. A. M.

7. *Cedo, num (Scipio) barbarorum Romulus rex fuit?* Vox *Scipio* (nominativo, ut arbitror, casu) interposita fuit secunda manu, videturque glossa quaedam. (Immo vox *Scipio* videtur ipsius auctoris. A. M. in Emm.) — *Cedo, num (Scipio) barbarorum Romulus rex fuit?* Ad *Scipio* subaudi *inquit*, ut sit nominandi casus. Quod quum viderit A. Maius in Emm. vel non vidit Schützius, vel non credidit, ideoque delevit vocem *Scipio*, quod item fecit Lehnerus. Abiecit idem nomen Villem. et miro sane modo ita scripsit: *Cedo, num, barbarorum Romulus rex fuit?* Similes nostro loco sunt de Rep. II, 42: *Huic scilicet, Africano, uni paene*: III, 32: *Praeclare quidem dicis, Laelius; etenim video, etc.* et eodem cap. *Minime vero, Laelius; quoniam, etc.* Vniverse de huius vocis (*inquit*) positione, vel omissione disputat Goerenz. ad Cic. de Fin. IV, 1, 2, p. 421. Mr.

8. *Si*, elliptice positum, pro *si ita est*, vel, ex propositione opposita (*sin id nomen*), subaudiatur: *si id nomen ita dandum est, ut Graeci dicunt, videlicet omnes aut Graios esse*, etc. A. M.

9. *Non Graecos minus barbaros, quam Romanos, puto.* Romanos priscos contra Graecorum calumnias negat fuisse barbaros Dionysius lib. I, cap. 4, 5, 90, IV, 26, VII, 70, 72. Lege etiam Catonem apud Plinium lib. XXIX, cap. 1. Graecos Cicero pro Flacco cap. 11, haud minore severitate damnat. A. M.

sensus tui. — Cuius, inquit ille, sensus? — Scip. Si quando, si forte [1] tibi visus es irasci alicui. — Lael. Ego vero saepius quam vellem. — Scip. Quid? tum, quum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? Lael. Non mehercule, inquit; sed imitor Archytam illum Tarentinum, qui quum ad villam venisset, et omnia aliter offendisset, ac iusserat, Te, te infelicem,[2] inquit villico, quem necassem iam verberibus, nisi iratus essem. — Optime, inquit Scipio. Ergo Archytas iracundiam, videlicet dissidentem a ratione, seditionem quamdam animi movere [3] ducebat, eam consilio sedari volebat. Adde avaritiam,

XXXVIII. 1. *Si quando, si forte tibi visus es irasci alicui.* Ita in codice repetitur *si*. Num dicendum *ecquando forte?* A. M. — *Si quando (si forte) tibi visus es irasci alicui.* Proclive est elicere alterutrum, vel *si quando*, vel *si forte*. Posterius eiecit Steinack. ego prius abiectum malebam vel deletum alterum *si*. Nunc nihil muto. Sentio enim cum Cr. qui humanitatis vel urbanitatis esse me monuit additum illud *si forte*. Laelius enim quum propter animi continentiam et moderationem Sapiens fuerit cognominatus, ita eum interrogat Scipio, ut ipse memor illius continentiae esse videatur: *Si quando tibi visus es irasci alicui: quod an umquam factum sit, ipse noveris: sed si forte factum est, quaero ex te*, etc. Igitur parentheseos signis, non uncinis, coërcui illas voces, quas eodem fere modo intellexerunt Censor, quem laudavi, Ienensis 1823, 34, et Lehnerus. In seqq. cur post *iratus* Schutzius posuerit semicolon, non assequor. Ma. — Quid proclivius quam talia typothetarum mendis adscribere? *Typ.*

2. *Te, te infelicem.* Alterum *te* additum fuit secunda manu; auget autem minarum emphasim. Prima manus scripserat *a te*. Ambrosius habet *o te infelicem*. Lactant. *miserum te*. Differt autem a Tullio Ambros. in posterioribus, Lactant. in prioribus. Lactant. certe et Hieron. videntur ipsum Tullii politicum locum exscribere. A. M.

3. *Seditionem quamdam animi movere ducebat.* A. Maius *movere* pro *vere*; ego autem ad voc. *seditionem*, neque vero ad *ducebat*, respiciens, coniiciebam *commovere*, ut est ad Atticum lib. II, ep. 1, p. 588 ed. Ern. min. *saepe item seditione commota*. Heinr. plane abiecit illud artificiose conglutinatum *movere*. Ego vero a Reisigii partibus stare malui, qui ita in editione horum fragmentorum et rell. a Maio repertorum Halensi pag. 361: » Maii ratio duobus offendit generibus. Primum enim illo pacto nihil est praecipui in sententia, quae tamen tamquam singularis Archytae nominatim tribuitur. Deinde locutio corrupta: neque enim latine dicitur *hanc rem veram esse duco*, sed *hanc rem veram duco*; (servarunt tamen

adde imperii, adde gloriae cupiditatem, adde libidines; et illud vide, si in animis hominum regale imperium sit, [4] unius fore dominatum, consilii scilicet: ea est enim animi pars optima; consilio autem dominante, nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum. — LAEL. Sic, inquit, est. — SCIP. Probas igitur animum ita affectum? — LAEL. Nihil vero, inquit, magis. — SCIP. Ergo non profecto probares, si, consilio pulso, libidines, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia. — LAEL. Ego vero nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem. — SCIP. Sub regno igitur tibi esse placet omnes animi partes, [5] et eas regi consilio? — LAEL. Mihi vero sic placet. — SCIP. Cur igitur dubitas,

Martyni-Laguna et Schutzius in Epp. ad Famil. lib. IV, 7, scriptionem: *et non aliena esse ducerem a dignitate.* Dedit idem Goerenz. ep. Cic. de Fin. lib. I, 21, 71: *quod nullam eruditionem esse duxit*; et Bardili in Cornel. Nepot. cap. 13, 4, *patriaeque sanctiora iura... esse duxit.* Eadem constructio infra ter in eodem capite redit lib. III, cap. 9. MA.) quoniam *duco* non asciscit infinitivum: quo quidem in genere identidem est peccatum et aliis etiam in locis menda corrigenda sunt. Quam ob rem statuendum est Maium perperam composuisse veteris scripturae reliquias, veramque rationem hanc esse, ut *mi* correctio mendosae *mo* syllabae (in *animo*, ut est a prima manu) habeatur, atque oratio restituatur haec: *iracundiam... seditionem quamdam animi vere ducebat.* Itaque etiam sententia Archytae insignior redditur et exquisitior u. Noli vero patrocinari voci, quam A. Maius concinnavit, scribendo: *iracundiam..., seditionem,... movere* (vel *commovere*) *dicebat*, ut ego apud Ciceronem de Legg. I, 17, 47, scripsi *ficta esse dicimus*, ubi Victor. Sturm. Dav. Ernest. Wagn. et Schutz. dederant *ficta esse ducimus*; sententia enim tum ea esset: *commovet iracundia seditionem animi.* Neque enim commovet seditionem iracundia, sed ipsa iracundia *est* seditio animi. MA.

4. *Et illud vide, si... regale imperium sit.* A. Maius ediderat: *et illud videre sit, in animis hominum regale si imperium est*: sed ipse in Addit. monet scribendum esse, ut nos edidimus. Lehnerus, servato altero *si*, scripsit: *et illud vide, in animis*, etc. Cr. et Cens. Gotting. 1824, 84, coniiciunt, *et illud vides in animis hominum regale si*, etc. Quod mihi admodum probatur: et est infra cap. 40, *ergo etiam illud vides.* Accedit, quod sonus suadet ponere *si* post *regale*. MA.

5. *Animi partes.* Sunt animi *vires*, quo sensu Graeci etiam dicunt τὰ τῆς ψυχῆς μέρη. CR.

quid de republica sentias? in qua, si in plures translata res sit, intelligi iam licet, nullum fore, quod praesit, imperium; quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest. [6]

XXXIX. Tum Laelius, Quid, quaeso, interest inter unum et plures, si iustitia est in pluribus? [1] — Et Scipio, Quoniam testibus meis [2] intellexi, Laeli, te non valde moveri, non desinam te uti teste, ut hoc, quod dico, probem. — Me, inquit ille, quonam modo? — Scip. Quia animum adverti nuper, quum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere, ut [3]

6. *Quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest.* His locis Cicero imitatur pressum illud genus Socraticorum apud Platonem et Xenophontem dialogorum. Socrates enim interrogando veritatem solebat elicere, et inductione et arguta conclusione plurimum uti, observante Tullio, Top. 10, et Lactantio Inst. VI, 17. A. M.

XXXIX. 1. *Si iustitia est in pluribus?* Quum in cod. a prima manu fuerit *si iustitia est omnium in pluribus*, coniiciat aliquis, scriptum fuisse a Cicerone: *si iustitia est omnino in pluribus*, ut *omnino* sit i. q. utique. Schutzius post *pluribus* distinctionem maiorem posuit. Mn. — Imitatur auctor Platonem Reip. lib. IV in fine, quo loco parum reip. et legum interesse dicitur, utrum plures an unus dominetur, dummodo is legibus iustis imbutus sit. Commemorato autem iustitiae nomine, videtur Cicero iam aucupari occasionem scribendi libri tertii, in quo Laelius pro Iustitia disputaturus est. A. M.

2. *Quoniam testibus meis.* Id est, *quando quidem testimoniis meis.* Docent grammatici, ablativum instrumenti in hominibus poni non solere, non igitur dici, *domimus servo extinctus est*, sed vel *a servo*, vel *fraude servi*. Attamen quamvis sit rarior iste ablativus, non quidem omnino exemplis destituitur, v. c. apud Nostrum de Offic. I, 39, 139, *neo domo dominus, sed domino domus honestanda est*: ubi sine dubio oppositionis elegantioris causa ita loquitur. Mn.

3. *Valde interdicere, ut uni dicto audiens esset.* Nihil monent editores; sed tamen haec constructio ita singularis est, ut viro cuidam docto de vitio etiam suspecta fuerit. Quum enim et sententia, et ratio grammatica postulare ei videretur: *interdicere, ut ne cui nisi uni dicto audiens esset:* investigavit loca, quibus post interdicere positum esset *ut*. Vnum reperit in Or. pro Caecina 8, 23: *His rebus ita gestis... praetor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut, unde deiecisset, restitueret.* Sed facile apparet *ut* pendere a *tantum*, quod dicitur pro *nisi ea addita*. Alterum apud Caesarem de Bell. Gall. V, 58, 4: *Praecipit atque interdicit... unum omnes petant Inducmarum; neu quis quem prius vulneret, quam il-*

uni dicto audiens esset. — Lael. Quippe villico. — Scip. Quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis? — Lael. Immo vero unus, inquit. — Scip. Quid? totam domum num quis alter, praeter te, regit? — Lael. Minime vero. — Scip. Quin tu igitur concedis idem in republica, singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos? — Lael. Adducor, inquit,[4] et propemodum assentior.[5]

XL. Et Scipio, Tum magis assentiare,[1] Laeli, si, ut omittam similitudines, uni gubernatori,[2] uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis, ad maiora pervenero. — Lael. Quaenam ista sunt? — Scip.

*lum interfectum viderit.* Hoc vero loco dici potest a *praecipit* pendere *petant*, ab *interdici* autem *neu* (i. e. neve) *vulneret*. Neque tamen de lectionis veritate dubitandum, nam plane eadem, qua nostro loco, constructione usus est Cicero in orat. pro Caecina 28, 80: *Praetor*, inquit, *interdixit, ut, unde deiectus esset, ea restitueretur*: ubi *interdixit* idem significat, quod *edixit*. Ad *uni* intelligendum: *neque vero pluribus*. Mn. — *Interdicere*. Ego intelligo *vetare*, et, propter illud *nidde*, locum per ἀντίφρασιν accipiendum puto. Est facetum genus loquendi. Cr.

4. *Inquit*. Cod. *Igitur*. Sed supra iam *inquit* in *igitur* mutaverat librarius. I. V. L.

5. *Et propemodum assentior*. Hinc illud venustum Lycurgi dictum ad garrulum, qui, ut democraticam faceret Spartam, suadebat; tu vero prior, inquit Lycurgus, democratiam domituae esse iubeto. A. M. — Haud dubie, ait Wolf. lectio ita emendanda: *Adducor igitur ut propemodum assentiar*. Particulas *et* atque *ut* saepe inter se permutari, notum est. Quod autem Maius et Schutz. *igitur* in *inquit* mutatum volunt, hoc non plane necessarium videtur quum *igitur* in interrogatione positum, apte in responsione repeti possit. Mn. in Add.

XL. 1. *Assentiare*. Cod. *adsentiar*. Malet fortasse aliquis *adsentiere*. A.M. — A. Maius edidit *assentiare*, quem sequuti sunt editores reliqui. Mn. — *Assentiero* scripsi ex sententia Cr. in schedis. Solet enim Noster iungere futurum exactum futuro vel praecedenti vel subsequenti. V. c. de Senect. 6, 18, *de qua* (*Carthagine*) *vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero*: de Orat. lib. II, cap. 65, 261: *Vt sementem feceris, ita metes*. Mn.

2. *Vni gubernatori, uni medico*. Gubernatoris medicique similitudinibus varie multumque utitur Plato in Politico, in Rep. et in Leg. Sic et Horatius Ep. lib. II, epist. 1, 114; Symmachus Ep. lib. IV, epist. 7, lib. X, epist. 2. A. M.

Quid? tu non vides, unius importunitate et superbia Tarquinii, nomen [3] huic populo in odium venisse regium? — LAEL. Video vero, inquit. — SCIP. Ergo etiam illud vides, de quo progrediente oratione futura [4] me dicturum puto, Tarquinio exacto, mira quadam exsultasse populum insolentia [5] libertatis:

3. *Nomen... regium.* Fortasse legendum *regum*: conf. infra cap. 42, ubi est *regum* a prima manu, a sec. *regium.* Cr. — Ad rem conf. de Fin. lib. III, cap. 22, 75: *Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius; qui nec se, nec suos regere potuit.* Mn. — Cicero de Legg. lib. III, cap. 7: *Regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni quam regis vitiis repudiatum est.* Confer tamen nosmet inf. A. M.

4. *De quo progrediente oratione futura me dicturum puto.* Sic cod. aut *ventura.* Malim ego *plura.* I. V. L.— Haec stare non posse viderunt, quotquot hunc locum attigerunt viri docti. Minime placet A. Maii suspicio, *futura.* Quid enim sibi vult *progrediens oratio futura?* Ciceronem certe talis elegantia non redolet. Zachariae l. c. p. 263, coniecit: *de quo progr. or. satis me dicturum puto.* Censor Ien. 1823, 34, vult: *de quo progr. or. iterum me dicturum puto.* Cr. in schedis pro *ventura* coniecit vel *multa*, vel *plura*, vel *ultro*, vel *ultra*, id est, porro. Postremum ideo etiam, quia infra II, 11, consimili errore est *aduitum* pro *adultum. Vltra* dicit, i. e. in lib. II, ubi haec uberius exponit Scipio. Mn. — Edidit autem Mos. *quo progrediente oratione venturum me puto*, his adnotatis: Ita mihi propius ad Ciceronis manum accessisse videor, deletis verbis *de* et *dicturum*, quae adscripta videntur fuisse ad explicandam lectionem *quo... venturum.* Illa autem glossa, recepta ab homine religiosiore quam doctiore, turbas fecit. Quam saepe autem Cicero progrediente oratione dicat: *venio nunc*, etc. non est, quod exemplis allatis doceam. Ita dixit in Epp. ad Fam. lib. III, cap. 5: *Veni in eum sermonem, ut dicerem*, etc. (conf. etiam Cicer. pro Roscio Am. 30, 83, *Venio nunc eo.* Cr.) Vocabulum *de* post *vides* etiam ita ortum esse potest, ut aliquis, qui imperativum mallet, scribe-
*de*
ret *vides.* Mn.

5. *Mira quadam... insolentia libertatis.* Si *insolentia* est i. q. *desuetudo*, ut est apud Ciceronem de Inv. I, 2, 2, *primo propter insolentiam reclamantes*: de Or. I, 22, 99, *sed... istius disputationis insolentia, atque earum rerum... inscitia*: si, inquam, est i. q. *insuetudo* (ut Spartiani vocabulo utar), adiectivum *mira* ei non admodum accommodatum est. Quid enim minus mirum, quam populum, qui semper sub regibus fuerit, insuetum esse libertatis? Desidero igitur: *mira quadam exsultasse populum licentia, insolentia libertatis*, id est, ob libertatis insuetudinem. Si *insolentiam* dices esse i. q. *arrogantiam* et *superbiam*, tum conveniet *mira.* Sed praestare videtur prior explicatio. Ad rem conf. Ciceronem de Legg. lib. III, cap. 7, 15, p. 408 ed. nostr. et Cr. Mn.

tum exacti [6] in exsilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum annui consules, tum demissi populo fasces,[7] tum provocationes omnium rerum, tum secessio [8] plebei,[9] tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia. — Lael. Est, inquit, ut dicis. — Est vero, inquit Scipio, in pace et otio: licet enim lascivire, dum nihil metuas, ut in navi, ac saepe etiam in morbo levi. Sed ut ille, qui navigat, quum subito mare coepit horrescere,[10] et ille aeger, ingravescente morbo, unius opem implorat: sic noster populus in pace et domi imperat,[11] et ipsis ma-

6. *Tum exacti in exsilium.* Heinr. correxit *eiecti*, nimirum quia modo praecessit *Tarquinio exacto*, ne idem vocabulum statim recurreret. Et solet Noster de exsilio uti verbo illo, v. c. de Orat. lib. III, cap. 3, 11: *C. Cotta... eiectus est e civitate*: in Catil. orat. II, cap. 6, 12: *Sunt... qui dicant, a me in exsilium eiectum esse Catilinam.* Sed nolui violentius agere. Mr.

7. *Tum demissi populo fasces.* Locum e lib. I de Republ. citat Nonius voc. *demittere*, quo loco male editiones habent *dimissi*; in Plantiniano autem exemplari meo viri docti manu corrigitur *demissi*. Sed tamen mendum *dimissi* retinent constanter Nonii codices Vaticani. A. M. — (Liv. II, 7: *Consul (P. Valerius, an. V. C. 245)... vocato ad concionem populo, submissis fascibus in concionem descendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse imperii insignia; confessionemque factam, populi, quam consulis, maiestatem vimque maiorem esse.* Mr.)

8. *Secessio.* Quum a prima manu scriptum fuerit *secessionem*, a Cicerone profectum videri potest *secessiones*. Fuerunt enim tres, temporibus non nimium distantes; neque etiam Noster de brevi temporis spatio se loqui significat. Primam secessionem fuisse constat ann. V. C. 260, alteram V. C. 303, tertiam an. V. 466, de qua vide Freinshemii Supplem. Liv. in locum lib. XI, cap. 26, ibiq. laud. De omnibus vide Car. Sigonii Fastos consulares et in eos Comment. pag. 39, 60, 166 ed. Henr. Steph. 1568. Mr.

9. *Plebei.* Cod. *plebie*, mox factum *plebi*; erat autem illa metathesis pro *plebei*. A. M. — A. Maius edidit *plebei*, quod tulissem in formula *tribunus plebei*: in sermone Ciceronis continuo et polito servandum non fuit: praesertim quum *plebie*, ut scriptum est a prima manu, ortum esse possit ex *plebis* aeque ac ex *plebei*. Mr.

10. *Horrescere.* Locum e lib. I de Rep. citat Nonius voc. *horrendum* et *horridum*. A. M.

11. *Imperat, et ipsis magistratibus.* Aliter distinxit Mos. cuius haec est ad h. l. annotatio. Ita distinxi cum Steinackero, quamquam hic et h. l. et post singula quatuor verba sequentia semicola posuit. Reliqui editores iunxerunt *magistratibus minatur*; nobis concinnius loqui videbatur Noster, dicens,

gistratibus minatur, recusat, appellat,[12] provocat; in bello sic paret, ut regi:[13] valet enim salus plus quam libido. Gravioribus vero bellis etiam sine collega omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim suae potestatis indicat. Nam dictator quidem ab eo appellatur, quia dicitur:[14] sed in nostris libris[15] vides eum, Laeli, magistrum populi appellari.[16] — Lael. Video, inquit. — Et Scipio, Sapienter igitur illi vete[17] . . . . . .

*populus . . . et ipsis magistratibus imperat, quibus parere deberet.* Noli vero offendi verbis *et ipsis*, nimirum quod *et* pro *etiam* a Ciceronis loquendi more abhorreat. Vide modo quae monuimus ad Ciceron. de Nat. Deor. p. 810 ed. mai. et ibid. (lib. I, c. 5) p. 12 ed. nostr. min. Ma.

12. *Appellat.* Hoc quoque sensu hoc verbum plerumque cum accusandi casu iungitur, si significat *confugere, invocare.* Rarius est, quamvis hodie usitatius, quod legitur in edd. vett. in oratione pro Quint. 20, 64, *cuius procurator a praetore ad tribunos appellare ausus sit*: ubi nunc pleraeque *ad* omittunt. De sensu iuridico verborum *appellandi* et *provocandi* vide quod supra laudavimus, Lexicon Iuridicum ex Brisson. Hotman. Pratei. Cuiac. (Gen. 1615) p. 122 et 943. Ma.

13. *In bello sic paret, ut regi.* Ius Romanum Quintil. decl. CCCXLVIII profert: *Imperator in bello summam habeat potestatem.* Conf. Sallustium, Catilin. 29; Livium, lib. III, cap. 4; Caesarem, Bell. Civil. lib. I, cap. 4. Eamdem obedientiam fuisse Athenis in belli Persici terrore docet Plato, Leg. III, p. 698 seqq. generatimque Atheniensium morem parendi rectoribus in periculo, resistendi eisdem in securitate notat Polybius lib. VI, cap. 44. Lege etiam Augustinum Civ. Dei, V, 12. A. M.

14. *Quia dicitur.* Sic apud Longum, p. 2234, *Oriens consul magistrum populi dicat.* Haud recte autem Eusebius Chron. lib. I, cap. 47 (an potius interpres Armenius?) vocem *dictator* explicat *eloquens.* Sed recte Plutarchus in Marcellum 24, Varro de Ling. Lat. lib. IV, cap. 14, Suetonius Iulius 77, a *dicendo* repetunt. Paullus *magisterare* docet esse *imperare.* De nomine dictatoris sapienter more suo disputat Dionysius lib. V, cap. 73. Fallitur sane Isidorus Orig. lib. IX, cap. 3, dum ei magistratu tribuit quinquennalem potestatem, quae non fuit nisi semestris. Eleganter denique Iuvenalis X, 109, Iulium Caesarem dictatorem, seu populi magistrum, circumlocutione petita e ludo, definit: *ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites.* A. M.

15. *In nostris libris.* Nempe *auguralibus*, teste Seneca ep. CVIII, qui hunc locum Ciceronis legebat. Dicit autem Scipio *nostris*, quia tum ipse, tum Laelius in collegio augurum fuerunt. (Conf. supra testimonia, p. 52 seqq. A. M.)

16. *Magistrum populi appellari.* Sic Cicero ait etiam Leg. III, 3; Fin. III, 22. Ergo propinquius videtur accersi

XLI. . . . iusto quidem rege[1] quum est populus orbatus,

*Pectora dia*[2] *tenet desiderium*,

sicut ait Ennius, post optimi regis obitum;

*simul inter*
*Sese sic memorant, O Romule, Romule die,*[3]
*Qualem te patriae custodem di genuerunt!*
*O pater! o genitor! o sanguen dis oriundum!*

vox dictator a *dictando*, quod facit magister, quam a *dicitur*. A. M.

17. *Sapienter igitur illi vete* . . . . Leg. *veteres*. Desiderantur pag. duae. A. M. — In hac, quae sequitur, lacuna operis nostri haec periisse videtur sententia: animum populi numquam a regio imperio plane fuisse abalienatum, eiusque rei, praeter alia, indicium illud fuisse, quod vel libera republica is, qui summi magistratus (eo forte exstincto) vices gereret, et novo vel creando, vel dicendo praeesset, *interrex* appellaretur. Cn.

XLI. 1. *Iusto quidem rege*. Haud scio, an revertatur Scipio ad veterum populorum nominatimque Romanorum testimonium, qui unius imperium praeoptaverunt. Sane, ut est apud Dionysium lib. II, cap. 3 seqq. quum Romulus populum rogavisset, regnone an libera rep. uti vellet, populus regi parere maluit. Rursus, ut dicitur in lib. II de Rep. erepto e vivis Romulo, idem populus non patrum, sed regiis auspiciis gubernari se voluit. Itaque in hac brevi lacuna videtur sermo fuisse de praestantia regii dominatus, quo illa simplicitas vetustiorum hominum carere noluerit; cuius rei desiderium in obitu praesertim principis palam fiebat. Lege ex gr. de desiderio populorum in obitu Theodorici regis Cassiodorum, Var. VIII. A. M.

2. *Pectora dia*. Pro *dia* Mos. admittit *dura*, cuius haec est annotatio. *Dura* scripsimus cum Steinackero, ut dudum in schedis nostris correxeramus, his verbis additis: *dia*, ait A. Maius, recte a poëta dicitur. At quomodo recte dictum esse potest, quod ne explicari et intelligi quidem potest? *Dia pectora* quomodo populi romani pectora recte appellentur, non video. Melius certe conveniret hominibus Romuli aetate viventibus. *Pectora dura tenet desiderium*. Videlicet ut a Virgilio Aeneid. IX, 468, vocantur *Aeneadae duri*, i. e. minime molles: et a Porcio Licinio Romani *Romuli gens fera* vocantur. Vide Gell. N. A. lib. XVII, cap. 21, ib. Gron. p. 799 seqq. Et loquuntur hi versus de Romanis tempore belli Punici secundi: *Poenico bello secundo musa pinnato gradu Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram*. Ma.

3. *Romule die*. Hellerus in Progr. laud. p. 11, Animatam, ait, dei effigiem regem dixit vetus ille, quisquis fuit, gnomicus poëta: τὶχὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ (ed. Brunckio-Schaefer, pag. 304): nomen deorum ad reges translatum fuisse refert Cicero de Rep. lib. I, cap. 41, quod

Non heros,[4] nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt, denique ne reges quidem; sed patriae custodes, sed patres et deos.[5] Nec sine causa. Quid enim adiungunt?

*Tu produxisti nos intra luminis oras.*

Vitam, honorem, decus sibi datum esse iustitia regis existimant.[6] Mansisset eadem voluntas in eorum posteris, si regum similitudo permansisset: sed vides unius iniustitia concidisse genus illud totum reipublicae.[7] — LAEL. Videō vero, inquit, et studeo cursus istos mutationum[8] non magis in nostra, quam in omni republica noscere.

XLII. Et Scipio, Est omnino, quum de illo genere reipublicae, quod maxime probo, quae sentio, dixero, accuratius mihi dicendum de commutationibus rerumpublicarum;[1] etsi minime facile eas in ea repu-

cave cum servili ista sequioris aetatis adulatione confundas; cogitandum potius de antiquissima Indigetum Larumque veneratione, cuius dilucidum habemus exemplum Aeneam, post mortem Iovis Indigetis nomine cultum. Mn.

4. *Non heros.* Ita scripsi pro *eros* cum Villem. et rell. edd. Sed A. Maius scripsit *eros*, ut Bentleius in sua Terentii editione. Mn.

5. *Patres et deos.* De vetustissimo regum iure et honoribus lege sis Aristotelem Reip. I, 2, III, 14. A. M.

6. *Existimant.* Mos. *existimabant*, his adnotatis: Lectionem *existimant*, quae est in cod. a pr. manu, nihil offensionis habere existimat Lehnerus. Ego vero offenderer illa lectione, quia in eadem constructione de eadem re paullo superius dixit *appellabant*. Quod si vero ait proxime antecedere *adiungunt*; respondeo illud respondere verbo, quod est in versibus supp. *inter sese sic memorant*. Mn.

7. *Reipublicae.* Contradicit Orosius, lib. II, cap. 4: *Romani quanta mala per ducentos quadraginta et tres annos continua illa regum dominatione pertulerint, etc. Si unius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, servata regia dignitate melioribus.* A. M.

8. *Cursus istos mutationum.* Ita supra lib. I, cap. 29: *Mirique sunt orbes et quasi circuitus in rebuspublicis commutationum et vicissitudinum . . . . moderantem cursum.* Vide initium cap. proximi. Cr.

XLII. 1. *Rerumpublicarum.* Disputationis haec pars desideratur in mutilo codice Vaticano. Videtur autem eam auctor absolvisse in sexto, cuius vide Fragm. cap. 1. A. M.

Digitized by Google

blica futuras puto. Sed huius regiae prima et certissima est illa mutatio. Quum rex iniustus esse coeperit,[2] perit illud illico genus, et est idem ille tyrannus, deterrimum genus, et finitimum optimo: quem si optimates oppresserunt, quod ferme evenit, habet statum respublica de tribus secundarium; est enim quasi regium, id est patrium consilium populo bene consulentium principum. Sin per se populus interfecit, aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit et sapit, et sua re gesta laetatur, tuerique vult per se constitutam rempublicam. Si quando aut regi iusto vim populus attulit,[3] regnove eum spoliavit, aut etiam, id quod evenit saepius, optimatium sanguinem gustavit,[4] ac totam rempublicam substravit libidini suae[5] (cave putes autem[6] mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare, quam effrenatam insolentia multitudinem):

XLIII. Tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere latine potuero;

2. *Coeperit.* Edidit Mos. *coepit*, his ad lectionem suam allatis: Cod. et edd. omnes *coeperit.* Mihi vero nihil vero est similius, quam ortum esse hoc futurum exactum ex vocabulo statim subsequente *perit.* Perfectum autem indicativi sensus non patitur tantum, sed flagitat. Ita Noster ad Attic. VII, 7: *Nemini est . . . exploratum, quam ad arma ventum est, quid futurum sit.* Brut. 4, 16: *Ager . . . quum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet.* Mn.

3. *Attulit.* Cod. *attulerit.* Ego vero constructionem secum in concordiam redigendam duxi, quia sequitur *spoliavit . . . gustavit . . . substravit.* Heinrichius servavit *attulerit*, et tum correxit *spoliarit.* Mn.

4. *Gustavit.* Villem. ad hunc locum ita: » *Gustabi* (vult, credo, *gustabit*) forte legendum est (dicere debuit: legendum videtur) optimo dicendi more (?), quo saepe scribitur, *si fortuna dubitabit* et alia eiusdem modi. « Qua ratione hoc dixerit, ipse viderit. Mn.

5. *Substravit libidini suae.* Rem tragice canit Lucretius lib. V, v. 1140, ubi de politicis commutationibus: *regibus occisis, subversa iacebat Pristina maiestas . . . Sub pedibus volgi, magnum lugebat honorem.* A. M.

6. *Autem. Aut* pro *autem*, auctore Heinrichio, in textu admisit Moser.

nam difficile factu est: [1] sed conabor tamen. «Quum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt [2] libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam, sed nimis meracam [3] libertatem sitiens hauserit; [4] tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint, et large sibi libertatem

XLIII. 1. *Nam difficile factu est.* Notabile Tullii dictum de interpretando Platone; quamquam de Legg. II, 7, ait, genus orationis Platonicae imitari difficile, sententias interpretari perfacile. Iam totum hunc locum Tullius mira brevitate ac libertate latinum facit, prorsus ut in aliórum librorum interpretationibus solitus fuit, observante Hieronymo, ep. LVII, 5, et ad Os. Prolog. lib. III. Profecto suam libertatem ipse Cicero fatetur in fine opusculi de genere oratorum, eademque et in topicorum interpretatione utitur. — Verbo defendendus est Cicero contra A. Maium, qui eum sibi non satis constare existimat, quum de Legg. II, 7, dicat: *genus orationis Platonicae imitari difficile esse, sententias interpretari perfacile.* Atqui optime sibi constat Tullius, utroque enim loco idem dicit, videlicet *imitari*, i. e. *exprimere Platonicae orationis elegantiam difficile esse.* Sed in errorem abduxit virum doctissimum verbum *exprimere*, quod in loco libb. de Legg. laudato explicari credebat verbo *interpretari*, quum sit h. l. i. q. similitudinem alicuius rei reddere. Cuius usus apud Nostrum tot exstant exempla, ut centum etiam et amplius haud difficulter expromere possis, quale illud est de Orat. II, 22, 90: *Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat atque ita exprimat.* Infra in fine huius versionis, cap. 44, pr. laudat Laelius Scipionem, quod Platonis verba non interpretatus modo sit, sed *prorsus expresserit.* Mn.

2. *Exaruerunt . . , hauserit.* Ad h. l. Lehnerus: « *hauserit*, etsi praecessit *exaruerunt.* Vide cap. 42. » Ibi videlicet temporum σύγχυσιν, quam nos sustulimus, hoc loco excusatam existimabat. Ego vero, ut non tuli illam σύγχυσιν, ita nostro loco tempora aequata nolim. Vult enim: *quando exaruerunt* populi fauces libertatis siti, et *si forte*, illud quum acciderit, libertatem nimis meracam sitiens *hauserit*, tum, etc. Mn.

3. *Meracam.* Verbum *meracus* semel tantum, et comparativo gradu, in reliquis Ciceronis libris legitur de Nat. Deor. III, 31, 78: *ut, si medicus sciat eum aegrotum, qui iussus sit vinum sumere, meracius sumpturum . . . magna sit in culpa.* Mn.

4. *Libertatem sitiens hauserit.* Merito sic loquitur summus imperator Scipio; namque, ut ait Tacitus Hist. lib. IV, cap. 8: *imperatoribus egregiis modus libertatis placet.* Sic Quintius (Liv. lib. XXXIV, cap. 49) ad Graecos: *libertate modice utantur: temperatam eam, salubrem et singulis et civitatibus esse; nimiam, et aliis gravem, et ipsis, qui habeant, effrenatam et praecipitem esse.* Locutionem Tullii imitatur Augustinus, Civ. Dei I, 30, dum ait: *Populo romano inesse meraciorem dominandi libidinem.* A. Maius.

Digitized by Google

ministrent,[5] insequitur, insimulat, arguit; praepotentes,[6] reges, tyrannos vocat.» Puto enim tibi haec esse nota. — Lael. Vero mihi,[7] inquit ille, notissima. — Scip. Ergo illa sequuntur: «Eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo, et servos[8] voluntarios appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint; eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus:[9] ut necesse sit in eiusmodi republica plena libertatis esse omnia; ut et privata domus omnis vacet dominatione; et hoc malum usque ad bestias perveniat; denique ut pater filium metuat; filius patrem negligat; absit omnis

5. *Libertatem ministrent. Ministrandi* verbo quum alibi Noster non nisi proprie utatur, tenendum est eum in vertendis e graeco sermone locis nonnumquam sibi aliquid indulsisse, ut ad exemplum proxime accederet, quod ex sua persona loquens sibi non indulsisset; quod etiam de verbis *meraeam libertatem sitiens hauserit* et *populi fauces exaruerunt* intelligi volo. Mr.

6. *Praepotentes*. Vide satis liberam esse h. l. Ciceronis versionem. Sed sensum Platonis commode reddit. Ipsum illud esse *praepotentem* homini romano in vitio ponebatur. Quam in rem est locus de Fin. II, 18, 57: *Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam praepotentem: ut M. Crassus fuit; qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim quamvis vellet iustus, iniquus poterat impune.* Videlicet id ipsum, ut aliquis posset esse impune iniustus, invisum erat. Mr.

7. *Vero, mihi, inquit ille, notissima.* Lehnerus, obsequutus censori lenensi (1823, 34), dicenti *vero mihi* latinum non esse, inverso ordine dedit *Mihi vero.* Quod, si in codice repertum esset, lubens reciperem; nunc non plane necessarium puto. Distinxi post *vero*, ut haec vox simpliciter affirmet, ut est supra c. 37: *Vero, minus:* de Legg. I, 24 extr. *Vero: facis et merito:* conf. annott. nostras ad utrumque locum. Mr.

8. *Et servos voluntarios.* Hinc illud Coclitis ad proceres Etruscos Liv. II, 10: *servitia regum superborum, suae libertatis immemores.* A. M.

9. *Ferunt laudibus et mactant honoribus.* Haec, quae dudum ex Nonio nota sunt verba, plerumque ad librum sextum esse relata monet Sch. laudatque editionem suam t. XVI, P. II, p. 91. Neque vero hoc factum est in ed. Victoriana Roberti Stephani neque a Carolo Stephano, qui recte ea in fragmentis incertae sedis collocaverunt. Illud primi fecerunt Lambinus et A. Patricius. Mr.

pudor, ut plane liberi sint; nihil intersit, civis sit, an peregrinus;[10] magister ut discipulos metuat, et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros; adolescentes ut senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit, ut etiam servi se liberius gerant; uxores eodem iure sint, quo viri; quin tanta libertate canes etiam, et equi, et aselli denique liberi sint, sic incurrant, ut iis de via decedendum sit.[11] Ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur; ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si[12] minima vis adhibeatur imperii, irascantur, et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo domino sint. »

XLIV. Tum Laelius, Prorsus, inquit, expressa sunt a te, quae dicta sunt ab illo. — Scip. Atque ut iam ad

10. *An peregrinus.* Quam gravibus poenis excluderentur peregrini a civium iure et negotiis, docet Libanius in oratione Hyperidis pro Demosthene. Confer eumdem in Archidami et in ducis apologiis. A. M.

11. *Vt iis de via decedendum sit.* Similiter loquutus est Tullius in Or. pro Cluent. 59, 163: *sic hominem accipiemus, ut moleste ferat, se de via decessisse*: et pro Coelio 16, 38: *se nulla cupiditate ductum de via decessisse*: nusquam vero plane ut nostro loco. At ita dixit Plautus Trinumm. II, 4, 80 (v. 480): *decedam ego illi de via, de semita*: ante Bentleium erat etiam apud Terent. Heautont. Prolog. 31: *servo currenti in via decesse* (pro *decessisse*) *populum*. Ille vero rescripsit *dixisse*. Plautus in Amphitr. III, 4, 1 et 4 habet: *omnes de via decedite... ni decedat mihi*; et 7: *mi magis par est via decedere*. Ma. — Locum (omisso verbo *iis*) citat Fronto exempl. eloc. voc. *decedo* e Cicerone de Rep. sed sine libri nota. A. M.

12. *Vt, si minima vis.* Coniiciat fortasse aliquis *si vel minima vis adhibeatur*: ut est de Off. I, 41, pro *musicorum aures vel minima sentiunt*: praesertim quum vox *vel* facillime obliterari potuerit. Vid. modo Goer. ad Cic. de Fin. V, 24, 71, p. 622. Sed eodem, quo nostro loco, loquutus est modo Cic. de N. D. I, 10, 24, ut *vel* subaudiendum sit: *quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit*: ubi vid. Wyttenbachii explicationem ed. Cr. et nostr. mai. p. 725, ed. min. p. 20, ubi perperam verba *si significetur* vel spuria, vel corrupta censebat esse Davisius. Ma.

sermonis mei morem revertar: ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putarent, ait ille, ut e stirpe quadam, exsistere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute afficit. [1] Sic omnia nimia, quum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque [2] *id* in rebuspublicis evenit; nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem [3] cedit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus [4] gi-

XLIV. 1. *Servitute afficit.* »Servitute afficere aliquem« alibi quidem Cicero non dixit, neque, quod sciam, scriptores alii. Neque vero de eius dictionis probitate dubitandum est. Qui enim dicit *valetudine, desperatione affici*, is etiam, praesertim in versione, dicere potuit *servitute afficere*. Quod vero est de Or. III, 18, 68: *Q. Metellum... iam affectum senectute*, huc non pertinet: ibi enim *affectum* est i. q. *debilitatum*. Mr.

2. *Maximeque.* Videtur excidisse *id*. A. M. (Quod nos addidimus. Mr.)

3. *Servitutem cedit.* Cod. evidenter *cadit*; nisi est mendum pro *cedit*. Tacitus Annal. I, 4: *Pompeii potentia in Caesarem cessit*. A. M. (Tacit. Hist. I, 70: *Noricos in cetera victoria praemia cessuros*. Mr.) — Singularis certe est loquendi ratio *cadit mihi libertas in servitutem*, quare suspecta fuit A. Maio et Niebuhrio: Schutzius vero A. M. coniecturam *cedit* in contexta recepit. Neque vero nos idem faciendum censuimus. Quamvis enim legatur etiam apud Livium I, 52, 2: *quo ab Tullo res omnis Albana in Romanum cesserit imperium*: bene tamen monuerunt Lehn. et Cens. Lip. 1824, 7, nihil esse mutandum; Steinack. autem vocabulum *cedit* abhorrere ab hac sententia ait. *Cedere* enim *in aliquem* esse ita in aliquem cadere, ut is eius rei particeps fiat atque ea potiatur: defendi etiam posse lectionem *cadit* consimilium auctoritate locorum: v. c. ad Att. VIII, 3: *cadendum est in unius potestatem*. Dativum habet idem verbum in eadem epistola paullo inferius: *quoquo modo ea res huic quidem cecidit*. Sed fateamur quod verum est, insolentiorem esse nostri loci structuram, sed eam tamen, quam in versione facilius feras. Mr.

4. *Maxima libertate tyrannus.* Cod. habet *tyrannus*, neque editorum aliquis quidquam monuit: moti, opinor, capitis nostri principio, ubi est: *ex hac nimia licentia.., ut ex stirpe quadam, exsistere et quasi nasci tyrannum*. Quod ibi probe optimeque dictum est, nostro loco minime convenit. Primum enim apud Plat. legitur h. l. οὐκ ἐξ ἄλλης πολιτείας τυραννὶς καθίσταται... ἐκ τῆς ἀκροτάτης ἐλευθερίας δουλεία πλείστη τε καὶ ἀγριωτάτη. Opponuntur igitur τυραννὶς et δουλεία, neque vero τύραννος et δουλεία.

gnitur, et illa iniustissima et durissima servitus. Ex hoc enim populo indomito, vel potius immani, deligitur aliqui [5] plerumque dux contra illos principes, afflictos iam et depulsos loco, audax, impurus, consectans proterve bene saepe de republica meritos, populo [6] gratificans et aliena, et sua: cui quia privato sunt oppositi timores, [7] dantur imperia, et ea continuantur; [8] praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, [9] saepiuntur; postremo, a quibus producti sunt, exsistunt eorum ipsorum tyranni: quos si boni oppresserunt, ut saepe fit, recreatur civitas; sin audaces, fit illa factio, [10] genus aliud tyrannorum; eademque

Tum vero nemo facile credat, quod Plato concinne dixerit, a Cicerone inconcinne esse redditum. Neque vero mihi aliquis opponat, mox in loco Platonico sequi: ὅταν περ φύηται τύραννος. Haec enim non reddidit Cicero, certe non accurate; sed continentur quodammodo in sequentibus. In eodem vocabulo controversa est scriptio ad Att. VII, 5: *Ex victoria quum multa mala, tum certe tyrannis exsistet.* Ita est ex edd. quae nobis ad manum sunt, in edd. Cratand. Car. Steph. Boulierii, Lamb Sylburg. Godofr. Gryph. Graev. Verburg. Sed in edd. Victor. (Rob. Steph.) Ern. Bip. Schutz. scribitur *tyrannus*. Quae lectio, etiamsi vera est, ad initium capitis nostri, neque vero ad hunc, quem correxi, locum facit. Mn.

5. *Aliqui plerumque*. Obliterarunt priscam formam Villem. Heinr. Steinack. scribentes *aliquis*, illam tamen Steinack. in Add. restitui iussit laudans infra III, 16, *aliqui scrupus*, de Off. III, 7, 33, ubi vid. Beier. p. 236. Mn.

6. *Populo*, etc. Locum e lib. I de Rep. citat Fronto exemp. eloc. voc. *gratificor*. A. M.

7. *Sunt oppositi timores*. Cic. pro Quint. 14, 47: *minae iactentur, pericula intendantur, formidines opponantur. Opponantur* iungitur etiam cum *officere*: vid. Ruhnken. ad Rutil. Lupum I, 19, p. 165 ei. Opusce. II, p. 720. Cn.

8. *Continuantur*. Augustin. C. D. I, 31, de Romanis optimatibus loquens, et huc fortasse respiciens, ait, *donec continuatis honoribus ad potestatem regiam pervenirent*. A. M. — (Cogitabat autem de Caesare Cicero, cui paullo ante prorogatum fuerat imperium. A. M. in Add.)

9. *Vt Athenis Pisistratus*. Sic de Pisistrato narrat Plutarchus in Solone cap. 30. Ita Syracusis habuit custodes Dionysius nondum tyrannus, ut ait Aristoteles Reip. III, 15; denique Corinthi Periander, quem memorat Heraclides Ponticus in Politiis. A. M. — (Cf. Herodot. I, 50. Cn.)

10. *Fit illa factio*. Quae in bonis amicitia est, eam esse inter malos factionem, apophthegma Sallustii est in

oritur etiam ex illo saepe optimatium praeclaro statu, quum ipsos principes aliqua pravitas de via deflexit. Sic tamquam pilam rapiunt inter se reipublicae statum, tyranni ab regibus; ab iis autem [11] principes, aut populi; a quibus aut factiones, aut tyranni: nec diutius umquam tenetur idem reipublicae modus. [12]

XLV. Quod ita quum sit, [1] tribus primis generibus longe praestat, mea sententia, regium; [2] regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerumpublicarum modis. Placet enim esse quiddam in republica praestans et regale;

lug. 31. Sed enim id esse effatum non solum Sallustii, verum etiam Ciceronis scribit Io. Saresberiensis, Polycr. III, 12. A. M.

11. *Ab iis autem principes, aut populi.* Quum in cod. a pr. manu sit *aut*, a sec. *autem*, suspiceris Ciceronem scripsisse *ab iis autem aut principes, aut populi.* Voces *autem* et *aut* sese excipientes, et simillimis saepe compendiis scriptae, sese invicem extrusisse videri possunt. Saepissime vero *aut* post *autem* neglectum deprehendi monuit Goereuz. ad Cic. de Fin. III, 21, 69, ubi idem factum est in duobus codd. in verbis: *commoda autem aut incommoda*, etc. Mn.

12. *Idem reipublicae modus.* Huic similem disputationem de trium reip. generum commutationibus habet Polybius VI, 3, 7. Loquitur autem hic apud Tullium Scipio Polybii auditor. Plato vero Reip. VIII, p. 545 seqq. quatuor vitiosa genera politiae scribit, τιμοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα, *ambitiosorum*, *paucorum*, *plebis effrenatae*, *tyranni*. A. M. — (Τιμοκρατίαν malim interpretari *dominatum locupletium* potius quam *ambitiosorum*; quamquam hoc postremum habet vulgata Platonis interpretatio. A. M. in Emm.)

XLV. 1. *Quod ita quum sit, tribus.* Ita cod. sine praepositione *ex* vel *e*. A. M. — Mos. vero praepositionem *ex* addi vult, et sic sententiam suam confirmat: Ita cum Heinr. scripsi ex mente Cr. Neque enim satisfacere potest, quod ait Lehnerus *tribus primis* esse i. q. in tribus primis. Ita enim non facile aliquis intelligat, si dicitur *tribus primis generibus praestat regium*, fiet potius, quod accidit interpreti gallico Villem. qui vertit: *préférable aux trois autres formes.* Mn.

2. *Mea sententia, regium.* Homeri notissimum illud Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Sic diserte censet Plato (ut huius unicum locum laudem) in Politico pag. 302, non sine tamen optimis legibus μοναρχία ξυνχθεῖσα μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς, οὓς νόμους λέγομεν, ἀρίστη πασῶν. Apud Isocratem quoque in Nicocle monarchia ceteris politiae generibus studiose praefertur; itemque apud Plutarchum in brevi scripto de unius in rep. dominatione. De monarchiae praestantia totus est Stobaei sermo XLV. Sed cumulare de tam

esse aliud auctoritate[3] principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas[4] iudicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet aequalitatem[5] quamdam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem;[6] quod et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut

celebri re scriptorum testimonia, abutentis otio est. A. M.

3. Forte *auctoritati*, I. V. *Leclerc.* Ad hanc voc. sic Moser. *Auctoritati principum partum* (cod. *partium*). Ita dudum conieceram, antequam aliorum de h. l. sententiam vidi. In eamdem abeunt Sch. Lehn. Zach. et Birgerus Thorlacius in Progr. Solenn. Acadd. ad celebrandum Regis Fr. VI natalem, Havn. 1824, f. m. qui *principum* voce *optimatum* explicat. Heinr. dedit, ut A. M. ex cod. *auctoritate*, sed post *tributum* asteriscum, utpote corruptionis vel lacunae signum, apposuit. Steinackerus correxit, suffragante G. Hermanno: *auctoritate principum partitum ac tributum*, i. e. ait, divisum ac distributum, videlicet in aliis rebus principes debent habere imperii quamdam partem suam. Idque placet etiam Cr. in schedis, qui laudat Cic. Brut. 40, Orat. 4, Ern. Cl. Cic. v. *tribuere*; in primis autem de Or. III, 30, ubi est: *Eadem sunt membra in utrisque distributionibus, sed paullo secus a me partita ac distributa.* Accedit Steinackeri sententiae censor Lips. 1824 in-8, pag. 57; sed desiderat praeterea *auctoritati*. Mihi quidem non admodum placet A. Maii *partum* pro traditum, permissum, concessum: neque vero magis placet *partitum*, sive scribas *auctoritate*, sive *auctoritati*. Illud si tenes, interrogo, quid tandem *divisum* ac distributum in republica dici possit auctoritate principum? hoc si praefers, quaero, an dici possit dividi aliquid aut distribui auctoritati principum? Quare non possum quin apponam meam qualemcumque coniecturam posteriorem, cui nec plus, nec minus tribuo, quam valet: *esse aliud auctoritati principum partium attributum.* Similiter iunxit Noster or. pro Fontei. 6, 12: *aut cupido auctoritas attributa videatur*: ad cuius normam loci noster ita refingi posset: *esse aliquid auctoritatis principum partibus attributum.* Mr.

4. *Esse quasdam res servatas iudicio... multitudinis.* Legendum fortasse *esse quasdam res reservatas*, etc. Cic. pro Muren. 21: *eiusmodi candidatorum amici... suam operam et gratiam iudicio et accusationi reservant.* Conf. Schutz. Lex. Cic. in voc. Cr. — Cf. etiam Cic. Orat. 48, 160, ubi est: *usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Mr.

5. *Habet aequalitatem.* Omne ius atque omnem legum latorum conatum in eo versari, ut aequalitas commoditatum inter homines constet, utque infirmi mortales a potentiorum ditiorumque iniuriis tuti sint, pulchre docet Athenaeus XII, 12. A. M.

6. *Deinde firmitudinem.* Locum e I de Rep. citat Nonius voc. *firmitudo.* Sed enim Tacito Ann. IV, 33, mixta reip. forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenerit, haud diuturna esse posse videtur. A. M.

Digitized by Google

exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio; quodque ipsa genera generibus saepe commutantur novis: hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione reipublicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, [7] ubi in suo quisque est gradu firmiter collocatus, et non subest, quo praecipitet ac decidat.

XLVI. Sed vereor, Laeli, vosque homines amicissimi ac prudentissimi, ne, si diutius in hoc genere verser, quasi praecipientis cuiusdam et docentis, et non vobiscum simul considerantis esse videatur oratio mea. Quamobrem ingrediar in ea, quae nota sunt omnibus, quaesita autem a nobis iamdiu. [1] Sic enim decerno, sic sentio, sic affirmo, nullam omnium rerumpublicarum, aut constitutione, aut descriptione, aut disciplina [2] conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt. [3] Quam, si placet, quoniam ea, quae tenebatis ipsi, etiam ex me audire voluistis, simul et qualis sit, [4] et optimam esse, ostendam; expositaque ad exemplum nostra republica, [5] accommodabo ad

7. *Conversionis.* Quod vulgo dicunt *revolutionem reip.* Noster item *conversionem* dicit de Divin. II, 2, 6: *naturales esse quasdam conversiones rerumpublicarum.* Mr.

XLVI. *Quaesita autem a nobis iamdiu.* Recole cap. 21, ubi Laelius ait, Scipioni visum esse optimum statum civitatis eum quem romani veteres suis posteris reliquissent. A. M.

2. *Descriptione, aut disciplina*) *Descriptio* spectat ad distributionem partium cuique in republica tuendarum: *disciplina* ad mores. Cr.

3. *A maioribus reliquerunt.* Eiusmodi laudem romanae reip. institutis largiuntur duo quoque praestantissimi inter Graecos historici, Polybius VI, 4; et Dionysius passim, praesertim vero II, 7. Hunc autem politicum locum suum commemorat Cicero ipse de Leg. II, 10. A. M.

4. *Quam... qualis sit.* De hac constructione et similibus vid. Ruddimanni Inst. Gr. Lat. II, pag. 18 sq. Stalb. Mr.

5. Cod. *nostrae reip.* Sed ablativum casum scribendum esse censebat vir exquisite doctus; cuius egregio iudicio suffragari video, quae dicuntur a

eam, si potuero, omnem illam orationem, quae est mihi habenda de optimo civitatis statu. [6] Quod si tenere et consequi potuero, cumulate munus hoc, cui me Laelius praeposuit,[7] ut opinio mea fert, effecero.

XLVII. Tum Laelius, Tuum vero, inquit, Scipio, ac tuum quidem [1] munus. Quis enim te potius aut de maiorum dixerit institutis? quum sis clarissimis ipse maioribus;[2] aut de optimo statu civitatis? quem si habemus, etsi ne nunc quidem,[3] tum vero quis te possit esse florentior? aut de consiliis [4] in posterum providendis?[5] quum tu, duobus huius urbis terroribus depulsis,[6] in omne tempus [7] prospexeris. [8]

Scipione in secundo libro ante finem quaternionis XXIII. Itaque hanc scripturam, invito licet codice Vaticano et ipso Nonio, recipere haud dubitavi. A. M.

6. *De optimo civitatis statu.* Citat locum Nonius voc. *accommodatum*; sed cum varietate, nempe *expositamque* pro *expositaque*; *eam* pro *ad eam*: *potero* pro *potuero*. Codices Nonii Vaticani ab editionibus non discrepant. Sed tamen τὸ *ad eam* scribitur manu viri docti in meo Nonii exemplari Plantiniano, quam emendationem nunc Vaticanus de Rep. codex confirmat. A. M. (Praeter Non. citat hunc locum etiam Fronto exempl. eloc. voc. *accommodo*. A. M. in Emm.)

7. *Laelius praeposuit.* Recole c. 21. A. M.

XLVII. 1. *Tuum quidem munus. Vnius* addidi ex Heinrichii emendatione, quod facile potuit excidere ante vocem dissimilem quidem sensu, sed litterarum ductibus simillimam. A. M.

2. *Maioribus.* Seneca Controv. II, 9: *Aemiliorum et Scipionum familias adoptio miscuit.* Vtramque familiam copiose laudat Propert. IV, 12. A. M.

3. *Nunc quidem.* Subintellige *habemus.* Negat autem hac veluti parenthesi Laelius suo tempore statum esse optimum civitatis romanae, praesertim ob turbas Gracchanas. A. M.

4. *De consiliis .... providendis? Consilia providere* alibi non videtur dixisse Cicero, sed *consiliis providere* dixit ad Fam. VI, 10 extr. *Quae sunt in fortuna ... consiliis nostris providebuntur.* Saepius etiam *consilio providere*: semel etiam, Catil. II, 12, 26, *mihi .... consultum ac provisum est.* Mr.

5. *Providendis.* Subintellige *dixerit.* A. M.

6. *Depulsis.* Carthagine et Numantia. Iam eadem prope verba dicit de Scipione Cicero pro Mur. 28; in Cat. IV, 10; de Am. III (ubi loquitur idem, qui hic, Laelius); tum etiam Velleius II, 4; Augustinus C. D. I, 30, III, 21. A. M. — Supra etiam, initio lib. I, est ap. Nostrum *terrore Carthaginis.* Mr.

7. *Omne tempus.* Edidit Mos. *in omne tempus ei prospexeris* auctore Steinackero, laudatque similem locum in Catil. IV, 2, 3, *quare, P. C.*

Digitized by Google

## *Fragmenta incertae sedis.*

XLVIII. Sed quoniam plurima [1] beneficia continet patria, et est antiquior parens, quam is, qui creaverit; [2] maior ei profecto, quam parenti, debetur gratia. *Nonius*, V, 17. [3]

Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consiliis et disciplina. *Id.* XII, 30. [4]

Cognoscere [5] me hercle, inquit, consuetudinem istam et studium sermonis. [6] *Id.* IV, 109.

Profecto omnis istorum disputatio, [7] quamquam

*consulite vobis, prospicite patriae.* Steinackerus ex corrupto *esse* expiscatus est *ei*, quod recipere non dubitavit Moser.

8. *Prospexeris.* Liber explicit, relicto in pagina puro laterculo, in quo tamen exstant evanida (praeter literam M. praenomen Tullii, quae litera est in codice paullo evidentior) vestigia tituli, quem veteres calci librorum subdere solebant. Is autem titulus similis esse debuit titulo secundi libri qui perspicuus exstat in eiusdem libri calce. Hic fuit igitur subscriptus titulus M. TVLLI CICERONIS DE REPVBLICA EXPLICIT LIBER I. Constat hic liber quaternionibus XIII, et praeterea paginis tribus. Summa ergo paginarum CCXI. Desunt autem, ut suis locis notavimus, paginae LXXII; quarum tamen duas reparant huius libri fragmenta incertae sedis apud Nonium et Lactantium exstantia. Ergo huius primi libri tertiam omnino partem desideramus. A. M.— Villem. nulla addita ratione, ad finem primi libri aliquid deesse videri ait. Mn.

XLVIII. 1. *Sed quoniam plurima.* Scribit Mos. *plura*, quia et alius comparativus et *quam* sequitur.

2. *Qui creaverit.* Ita Heinr. pro *si qui curaverit*, ut est apud Nonium Marcellum. Mn.

3. Videtur fragmentum pertinere ad operis proœmium, in quo multa dicuntur de patriae caritate. Variat autem locus in Nonii editionibus, nempe *plura* pro *plurima*; *si qui creavit* pro *si quis*, *ut aiunt*, *curaverit*. Nos codicum lectionem constantem sequuti sumus. A. M.

4. Hic quoque locus fortasse pertinet ad proœmium, et quidem ad primam codicis lacunam, ubi commendaverat auctor rationem ac disciplinam civilem. A. M.

5. *Cognoscere me hercle.* Patricius ad h. l: Alias legitur *cognosce*. Quid, si *cognoscite*, ut sint haec Scipionis ad eos, qui audiebant? Mn.

6. *Sermonis.* Ita *sermonis* habent Nonii codices Vaticani sine varietate; at editiones dant *sermonemque*. A. M.

7. *Pr. omnis ist. disputatio*, etc. In Bünemanniana Lactantii editione hae praecipuae proferuntur loci huius varietates: *ipsorum* pro *istorum*; *ne tantum* pro *ne non tantum*; *ne nisi* pro *ne non*; *quantam* pro *quantum*; *otiis* pro *otii*. Item omittuntur voces *utilitatis* et *quamdam* in quibusdam exemplaribus. Confer etiam Patricii notas

uberrimos fontes virtutis et scientiae contineat; tamen collata cum horum actis perfectisque rebus, vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis, quantum oblectationem quamdam otii. *Lactantius*, III, 16. [8]

ad Tullii Hortensium. A. M. (Omisit hoc fragmentum hoc loco Heinr. sed reposuit idem ad calcem libri tertii post fragmentum ex Augustino contra Iulianum Pelag. lib. IV, §. 60. Mn) —Nos ex Lactantii editione Büneman-niana reliquas, quas omisit A. Maius, lectiones variantes exhibebimus. In edd. Iunt. Ald. Crat. Gryph. et Thomas. est *iustorum* pro *istorum*; pro *perfectisque* Isaeus (Venet. 1521) habet *perfidisque*. Complures libri habent *negotiis hominum quamdam oblectationem otii*. Priora ista sunt nihili; posteriorem scriptionem, quamquam eam non probaverim, adnotandam tamen censui, quum ex iis, quae adfert A. Maius, coniicias legi in libris MSS. quibusdam: *negotiis hominum quantam oblectationem otii*. Mn.

8. *Lactantius* III, 16. Tullii hunc locum videtur mihi Lactantius sumpsisse vel abs proœmio primi libri de Republica, et quidem ex parte deperdita ante nostrum primum fragmentum; vel certe ex proœmio libri de Rep. tertii. Coniecturis his utor: 1° quod Lactantius recitat hunc locum statim post alium proœmii lib. I de Rep. (quae verba retuli in notis ad cap. 2, p. 8); 2° quod fit manifesta contentio philosophorum cum viris politicis, ut in praedictis utrisque proœmiis. Credo igitur erravisse Patricium, qui verba haec Lactantii coniecturaliter posuit in Tulliani Hortensii fragmentis, quum antea incerti operis fuisse fateatur. Ego tamen id frustum sic huic operi politico vindico, ut a nullo Tulliani Hortensii fragmentorum sarcinatore accusari repetundarum aliquando velim. A. M.

Digitized by Google

# MONITVM

## AD LIBRVM II.

Initio secundi libri relictum fuit in codice spatium ad scribenda illuminatoris manu auro vel minio verba; vacui sunt nimirum versus tres, quorum fere quisque nec minus novem capere solet, nec plus undecim literis. Ego itaque ita supplevi, quum inferius, cap. 13, occurrat phrasis « studiis ut vidit incensos ». Particulam autem *igitur* tertia membri sede video capp. 2 et 11. Sed enim liceret quoque scribere: « Quum ergo omnes essent incensi cupi- »; vel « Quem quum omnes intuerentur incensi cupi- » (conf. Acad. IV, 19); vel paullo aliter, ut Ciceronis multae ad novum librum transitiones monebunt; v. gr. de Finibus II: « Hic quum uterque me intueretur, seseque ad audiendum significarent paratos ». Et IV: « Quae quum dixisset, finem ille; ego autem ». Et Nat. Deor. II: « Quae quum Cotta dixisset, tum Velleius ». Et III: « Quae quum Balbus dixisset, tum arridens Cotta ». Et de Or. III, 5: « Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur, et ibi magna cum audiendi exspectatione considitur. Tum Crassus ». Neque abhorret ab hoc more Virgilianum illud: « Conticuere omnes, intentique ora tenebant; Tum pater Aeneas ». Iam eiusmodi spatia, quibus initia librorum vel capita fuissent scribenda, saepe occurrunt in codicibus priscis. Sic in Ambrosianis palimpsestis desunt initia orationum de aere alieno Milonis, pro Archia, et Symmachi laudum in Gratianum: sic in membranis Palatinis initium pro Roscio; sic item in Veronensi Caii codice. Lege etiam L. Aretinum, ep. II, 10. Quin adeo defectum eumdem in codicibus quoque XV et XVI saeculi saepenumero videre est. Tantus fuit olim literis ornatioribus auspicandi libros amor! quod ubi factum est, tum alia labes eisdem saepe principiis accidit, furunculorum nimirum aut ineptorum hominum stulta aviditas, qui, praecisis iis literis vel icunculis, scripturam simul posticam comminuerunt; quam rem quum multi codices docent, tum in primis nobilissimi duo, Vaticanus nempe Virgilius et Homerus Ambrosianus. Sed tamen fieri potest, ut huius libri initium minio quidem vel succo quovis colorato scriptum olim fuerit (quod membranae sulci quidam mihi persuadent); id autem omne tincturae genus evanuerit, quum codex ob rescribendum elutus est. Quippe unum fere atramentum contra vim ablutionis utcumque manet incolume. Cuius rei certa exempla deinceps alibi prolaturus sum.

Digitized by Google

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO II.

.....[1] ditate audiendi, ingressus est sic loqui Scipio: Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi, maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque [2] iudicio, vel etiam meo studio, me totum ab

I. 1. *Vt omnes igitur vidit incensos cupi.* Hoc A. Maii supplementum recepit Villem. quasi essent verba Ciceronis; receperunt item Sch. et Lehn. Abiecit ea Steinack. Heinr. autem eorum loco scripsit iisdem literis, quibus contextum Ciceronis, *Hic quum omnes flagrarent cupiditate audiendi.* Respexit fortasse de Orat. I, 30, 134: *vos .... flagrare intelligo cupiditate*, ubi ex totius loci sententia subaudiendum est *audiendi*. In malam partem dicitur *cupiditate flagrare* in Verr. Act. II, lib. IV, 34, 75. Censor Lipsiensis (1824, 12, p. 90 sq.) hoc supplementum, quod ipse paullo longius esse fatetur, excogitavit: *Quum igitur omnium oculos in se videret coniectos avi-) ditate audiendi*: coll. de Orat. II, 4, 16, ubi est: *Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus te in illa longiore ac perpetua oratione audiendi*: et II, 7, 28: *Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt.* Poterat addere or. pro Cluent. 19, 54, et Epp. ad Brut. 9. Ad v. *ingressus est sic loqui* vid. quae annotavimus ad I, 46, post pr. Add. de Div. II, 1, 3: *de divinatione ingressi sumus his libris scribere.* Miro consilio Sch. post *Scipio* interrogandi signum posuit. Mr. — Ineptit interdum Moserus in istiusmodi cavillationibus. Iam ipse monuit in praefatione, Schützii editionem innumera festinationis vestigia prae se ferre. Quo vitio a nobis fere in primis Orationum voluminibus animadverso, sensimus caute ea editione esse utendum, ac duplicem speciminum collationem instituendam: quo factum est, ut interdum tum in distinctione, tum in contextus lectione ab ea editione recesserimus. *Typ.*

2. *Patris utriusque.* Paulli qui ge-

adolescentia dedidi;[3] cuius me numquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine usus reipublicae, quam et domi et militiae quum optime, tum etiam diutissime gesserat; et modus in dicendo, et gravitate mixtus lepos,[4] et summum vel discendi studium, vel docendi,[5] et orationi vita admodum congruens.[6] Is dicere solebat,[7] ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis sin-

nuit, et Scipionis Africano superiore geniti, qui adoptavit. Namque ipsi Scipioni superiori infensus fuit Cato, ut ait Liv. XXXVIII, 54; quem locum citat Quintilianus Inst. VIII, 6, confirmantque Plinius in praef. et Nepos. A. M.

3. *Adolescentia dedidi.* Hinc Cicero de Invent. I, 4 Scipionem dicit Catonis discipulum. Vicissim Cato quanti Scipionem faceret declaravit Homerico versu (Plut. in Cat. fin.) cuius interpretatio haec est in Livii epitome lib. XLVIII: *reliquos qui in Africa militarent, umbras militare: Scipionem vigere.* A. M. — Versus Homericus est Odyss. K, 495: Τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια, Οἴῳ πεπνύσθαι. τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν. Ma.

4. *Gravitate mixtus lepos.* Multos Catonis sales scribit in eiusdem vita Plutarchus. Adi et Macrobium, Sat. II, 1, 2, nec non Augustinum de doct. ch. II, 31. Catonis liber iocosorum ἀποφθεγμάτων memoratur a Tullio, Off. I, 29. Quare mendosus creditur Hieronymi locus ep. CXXX, 13, ubi ait Catonem, non secus ac illum Crassum, semel in vita risisse, Catonem imitatus videtur Scipio, cuius lepida dicta aliquot leguntur apud strategematum auctores, et Cic. de Or. 2; eaque collegisse videtur Polybius. Vide Suidam voc. παρέργως. (Scipionis lepida dicta colligit Pighius ad an. DCXI. A. M. in Add.)

5. *Vel docendi.* Namque opera Catonis didascalia fuerunt *de rhetorica, de medicina, de moribus, de liberis educandis, de re militari, de agricultura.* Plin. XIV, 3, ait a Catone praecepta data omnium rerum expetendarum. Apud eumdem, XXXV, 2, omnium bonarum artium magister dicitur Cato. A. M.

6. *Admodum congruens.* Sed enim Plinius VII, 27, Scipionem Aemilianum in cunctis Catoni praeponere non dubitat; quod iudicium sequitur Solinus cap. 7. Catonem et Scipionem exaequat Seneca ep. LXXXVII: *Catonem tam reip. profuit nasci, quam Scipionem; alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit.* Licet autem mirari tantam Scipionis cum Catone necessitudinem, quum ille optimates, hic populum studiosissime tueretur. A. M.

7. *Is dicere solebat.* Mortuus quippe Cato erat anno fere vigesimo ante hunc dialogum de rep. Disputatur enim anno 625; capta fuit Carthago anno Varroniano 608; Cato a Velleio I, 13, dicitur mortem obiisse ante triennium, quam Carthago deleretur. A. M.

Digitized by Google

guli fuissent fere,[8] qui suam quisque[9] rempublicam constituissent legibus atque institutis suis; ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus; Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo,[10] tum Clisthenes, tum multi alii; postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius: nostra autem respublica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate. Quamobrem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi originem;[11] libenter enim etiam verbo utor Catonis. Facilius autem, quod est propositum, consequar, si nostram rempublicam vobis et nascentem, et crescentem, et adultam, et iam firmam atque robustam ostendero,[12] quam si mihi aliquam, ut apud Platonem Socrates, ipse finxero.

8. *Singuli fuissent fere.* Cod. sec. manu *quorum* hab. at pr. *qui* (Videtur retineuda scriptura primae manus *qui*. A. M. in Emm.)

9. *Qui suam quisque rempublicam constituissent.* Ita iubente A. Maio in Add. et ratione ipsa, praeeuntibusque Heinr. Steinack. et Lehn. rescripsimus. Constans autem hic est Ciceronis usus, ut scribitur Epp. ad Fam. I, 9, prope fin. *Ego, quid ad te quisque tuorum . . . scribat, nescio*, qui locus ad Nostri normam scribendus esset: *qui quid ad te quisque de suis rebus scribant, nescio*, neque vero *quorum quid ad te quisque de suis rebus scribant, nescio*. Mn.

10. *Tum Solo.* Solonis nomen hoc uno loco in Ciceronis, qui nunc exstant, libris nominandi casu legitur. Hanc vero eius formam Ciceronianam esse, neque vero *Solon*, recte suspicatus est K. L. Schneider. Gr. Lat. (Formenl. I, p. 276) laudans I. F. Gronov. ad Senec. Agamemn. v. 514, p. 581 ed. Schroeder. et Iacob. Gron. ad Tacit. Ann. III, 26, p. 292 Oberl. Moser.

11. *Populi originem.* Significat Catonis Origines. A. M.

12. *Robustam ostendero.* Ciceronis exemplo, qui hoc in opere romanam historiam a primordiis contexuit, impulsum se dicit Atticus (Brut. 5) ad

II. Hoc quum omnes approbavissent: Quod habemus igitur institutae reipublicae tam clarum, ac tam omnibus notum exordium, quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? qui patre Marte natus (concedamus enim famae hominum,[1] praesertim non inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae,[2] bene meriti de rebus communibus ut genere etiam putarentur, non solum esse ingenio divino[3]), is igitur, ut natus sit[4] cum Remo

annales suos conscribendos: *nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmet ipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus.* Desiverat autem Atticus in ipso huius operis de Rep. natali anno; siquidem Tullius docet (Orat. XXXIV) Atticum annorum septingentorum memoriam suo libro colligavisse. A. M.

II. 1. *Famae hominum.* Quod dicit *famam hominum*, circa finem capitis dicit *fabulas*. Eodem sensu dixit *hominum fama* de Off. III, 5, 25. Commode laudat Villem. Livium in Praef. 7: *si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo romano, ut, quum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiuntur.* Mn.

2. *A maioribus proditae*) *Prodere* proprium est Nostro de rebus, quae fama vel usu, vel scriptis ad posteros traduntur: cuius usus quum multa sint exempla, unum apponere sufficit ex Or. pro Mil. 30, 83: *Maiorum nostrorum sapientia, qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia ... nobis, suis posteris prodiderunt.* Mn.

3. *Esse ingenio divino.* Servius ad Aen. VI, 322: *multi ad gloriam generis simulant se numinum filios; ut Romulus ex Marte, Alexander ex Iove Hammone.* Confer et Livii proœmium. Hanc autem famam Romuli Remique Marte seu genio natorum docte ventilat Dionysius, I, 77. Varro item apud Augustinum C. D. III, 4, disserit, utile esse, ut se homines diis genitos mentiantur. Id tamen iure meritoque piae respuunt aures. A. M.

4. *Is igitur, ut natus sit cum Remo fratre, dicitur*) *Vt* pro *ubi, postquam* positum satis frequens est; v. c. Brut. 5, 19: *Nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus.* Quod vero praecipiunt Grammatici (Ruddimann. Inst. Gr. Lat. II, p. 314), tale *ut* indicativum petere, id ita verum est, nisi sit oratio obliqua, ut hoc loco: *is, ut natus sit ... dicitur ... iussus esse*: plane ut est Epp. ad Fam. V, 2: *Illud dico, me, ut primum in concione provinciam deposuerim, statim ... cogitare coepisse.* Et mox: *perhibetur, ut adoleverit ... praestitisse.* Mn.

Digitized by Google

fratre,[5] dicitur ab Amulio rege Albano, ob labefactandi regni timorem, ad Tiberim exponi iussus esse; quo in loco quum esset silvestris belluae sustentatus uberibus,[6] pastoresque eum sustulissent, et in agresti cultu laboreque aluissent; perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate[7] tantum ceteris praestitisse,[8] ut omnes, qui tum eos agros, ubi hodie est haec urbs, incolebant, aequo animo illi libenterque parerent.[9] Quorum copiis quum se ducem praebuisset, ut iam[10] a fabulis ad facta veniamus, oppressisse Longam Albam, validam urbem

5. *Cum Remo fratre.* Altum deinde apud Ciceronem de Remo silentium est, sive ne cogatur divum Romulum criminari de fraterna caede, sive ob eius rei controversiam. Nam de obitu Remi multiplex sententia legitur, super qua disserit Augustinus C. D. III, 6. Alii quippe a Romulo vel eius iussu caesum aiunt; alii a Celere, sed inscio Romulo; alii ob muros despectos; alii in acie. Egnatius autem historicus apud Aur. Victorem orig. Rom. narrat Remum non modo non esse occisum, sed etiam ulterius a Romulo vixisse. Servio Virgilius, aeque ac mihi Cicero, videtur eadem reticentia studiose usus. Namque ad Aen. I, 276: *Romulus mavortia condet moenia*, adnotat Servius: *bene Romulum solum ait, dissimulans de parricidio.* (Cicero tamen de Off. III, 10, Romulum parricidii accusat. A. M. in Add.)

6. *Sustentatus uberibus.* Locutionem imitari videtur Propertius III, 9, 51: *Eductosque pares silvestri ex ubere reges.* A. M.

7. *Animi ferocitate*) *Animi ferocitate praestare* alibi Noster, ut existimo, non dixit, quum et *ferocitatem* soleat in vitiis ponere, et *praestare* nonnisi fere de virtutibus dicat. Sed egregie h. l. iunguntur haec verba, quum ipsa ferocitas regalis cuiusdam animi quasi signum et indicium esset. Ma.

8. *Ceteris praestitisse.* Hoc politici homines primum aiunt et antiquissimum dominandi ius, praecellentem scilicet corporis et animi vim. Dionys. I, 5. Victor autem Orig. Rom. 21: *Romulum a virium magnitudine appellatum; nam graeca lingua ῥώμην virtutem dici, certum est.* A. M.

9. *Libenterque parerent.* Ovid. Fast. III, 61: *Omnibus agricolis armentorumque magistris Iliadae fratres iura petita dabant.* A. M.

10. *Vt iam a fabulis.* In cod. est *ut et iam*, ut dedit A. Maius et post eum Sch. quamquam nusquam dixit Cic. *et iam* pro *etiam iam*, et neque sic intellectum illud *et* locum habet. Lehnerus coniunctim scripsit *etiam*, quod otiosum est. Sine dubio δεύτεραι A. Maii φροντίδες erant σοφώτεραι, dicentis: immo *et* delere praestaret. Et deleverunt ante nos Heinr. et Steinack. Plane geminus est Nostro locus de N. D. I, 14, 36: *Zeno autem*, ut

et potentem[11] temporibus illis, Amuliumque regem interemisse fertur.

III. Qua gloria parta, urbem auspicato condere, et firmare dicitur primum[1] cogitavisse rempublicam. Vrbi autem locum, quod est ei, qui diuturnam rempublicam serere[2] conatur, diligentissime providendum, incredibili opportunitate[3] delegit. Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque

*iam ad vestros, Balbe, veniam, naturalem legem divinam esse censet.* Mr. — De hoc vocabulo (*fabulis*) eiusque significationibus disputavit Wyttenbachius in Philomath. t. III, p. 302 sq. Infra cap. 10 dixit Noster: *antiquitas accepit fabulas, fictas etiam nonnumquam incondite.* Quod dicit *ad facta*, indicat, ipsum historiam romanam, qualis sub regibus fuisse traditur, veram esse credidisse vel certe pro instituti sui ratione, ut de vera historia, de iis rebus loqui. Ad v. *validam urbem* conf. Div. I, 15. Cr.

11. *Potentem temporibus illis.* Cod. *vel*; sed deinde videtur factum *et*. — *Et potentem.* Quum in cod. scriptum fuerit *vel potentem*, suspiceris utrumque vocabulum glossam esse v. *validam* ideoque eiiciendum. Vtrumque si servaveris, *validam* de urbe intelliges loco operibusque munita. Fieri etiam potest, ut scriptum fuerit *ut temporibus illis*, i. e. pro temporum illorum ratione. Cr.

III. 1. *Dicitur primum.* Non erat, quod omitteret hanc vocem Villem. in versione: significat enim, eum de hoc potissimum et primum post Amulium interfectum cogitavisse, neque de expeditionibus bellicis aliisque de rebus gerendis. Cr.

2. *Rempublicam serere.* Facit huc locus de Legg. I, 6, 20; *Serendi etiam mores*; ad quem locum vide, quae annotavimus in ed. nostr. et Cr. p. 51. Mr.

3. *Incredibili opportunitate.* Vbertatem certe, quam in primis urbano situi decernit Aristoteles Reip. VII, 5, negatam prope romano solo aiunt quidam apud Tullium in Rul. II, 35, et apud Dionys. VIII, 8. Contra tamen, et vere, Plutarchus, Romul. cap. 1, agri romani bonitatem experimento cognitam ait. Nostra etiam aetate nusquam hic ager adversus cultores ingratus est. Sed enim Tullii hunc de rep. locum videtur Strabo, lib. V, p. 351, studiose refutare, dum ait situm urbi condendae non delectu sed necessitate fuisse captum (quod fatebitur ipse Cicero, cap. 11); quippe qui neque natura munitus esset, neque aliis tunc uteretur commoditatibus: κτίσαι τὴν Ῥώμην ἐν τόποις οὐ πρὸς αἵρεσιν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἀνάγκην ἐπιτηδείοις· οὔτε γὰρ ἐρυμνὸν τὸ ἕδαφος, κ. τ. λ. Idem nihilominus Strabo, p. 359 sqq. late narrat innumeras commoditates, quae romanae urbi paullatim accesserunt a vicinis regionibus et ab industria potentiaque civium, ita ut in orbe nihil esset Roma melius aut felicius. Qua in sententia potissimum licuit quoque Propertio de Roma canere III, 22, 18: *Natura hic posuit quidquid ubique fuit.* A. M.

Digitized by Google

facillimum,[4] ut in agrum Rutulorum Aboriginumve procederet; aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis rex Ancus coloniam deduxit,[5] urbem ipse conderet: sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse opportunissimos situs maritimos[6] urbibus eis, quae ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii. Primum quod essent urbes maritimae non solum multis periculis oppositae, sed etiam caecis.[7] Nam terra continens adventus hostium non modo exspectatos, sed etiam repentinos, multis indiciis, et quasi fragore[8] quodam, et sonitu ipso ante denuntiat: neque vero quisquam potest hostis advolare terra, quin eum non modo esse, sed etiam quis, et unde sit, scire possimus. Maritimus vero ille[9] et navalis hostis ante adesse potest, quam

4. *Copiisque facillimum.* Locum e II de Rep. citat Fronto exem. eloc. voc. *admovit*, omissis tamen verbis *illa manu copiisque* tam in codice Mediolanensi, quam in quatuor Vaticanis. A. M.

5. *Ancus coloniam deduxit.* Liv. I, 33: *Silva Maesia Veientibus adempta usque ad mare imperium prolatum, et in ore Tiberis Ostia urbs condita.* Mr.

6. *Situs maritimos.* Vtrum urbs, quae conditur, ad mare sit admovenda, necne; deque maris utilitatibus ac detrimentis, dubitanter scribit Aristoteles Reip. VII, 5, 6. Minime dubius est Plato, qui Leg. IV, civitatem a mari submovet stadiis octoginta, deque situs mediterranei commoditatibus, maritimique damnis disserit: quam Platonis sententiam prae oculis Tullium habuisse vix dubito. Distat autem a mari Roma stadiis circiter CXX. A. M.

7. *Sed etiam caecis.* Ita etiam passive utuntur Graeci verbo τυφλός. Cic, de Lege agr. II, 14: *Cur hoc tam est obscurum atque caecum?* de Or. II, 87, 357: *Res caecas et ab adspectus iudicio remotas.* Cn. — *Caeca pericula* alibi non dixit Cicero: sed Propert. II, 27, 6, habet: *Et maris et terrae caeca pericla viae.* Apud Plut. in Pyrrho 15, est θάλασσα παίουσα πρὸς χωρὶς δύσορμα καὶ τυφλά. Mr.

8. *Et quasi fragore.* Substantivum *fragor*, quo, ut poëticae magis, quam pedestri orationi conveniente (quamquam eo usi sunt Quintilianus etiam et Plinius in Epistolis), alibi non usus esse videtur Cicero, excusat addito *quasi*. Eo semel, et nonnisi in exemplum exornationis, quae fit quasi imitatione soni, usus est Auct. ad Herenn. IV, 31, 42: *Postquam iste in rempublicam fecit impetum, fragor civitatis in primis est auditus.* Mr.

9. *Maritimus vero ille.* Noli litem movere verbo *ille*, quia de *maritimo hoste* nondum sermo fuerit; unde aliquis fortasse coniiciat *maritimus vero*

quisquam venturum esse suspicari queat; nec vero quum venit, prae se fert, aut qui [10] sit, aut unde veniat, aut etiam quid velit; denique ne nota quidem illa, pacatus an hostis sit, discerni ac iudicari potest.

IV. Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac mutatio [1] morum: admiscentur enim novis sermonibus [2] ac disciplinis, et importantur non

*idem*, ut intelligas: idem vero hostis, (qui terra continenti adveniens facile potest animadverti, ideoque non ita periculosus est), si mari et navibus advenit, formidolosior est, quia ante adesse potest, quam quisquam venturum esse suspicari queat. Neque etiam *ille* delendum. Est elegans dictio, et locus ita intelligendus: si vero alius hostis non terra, sed mari navibusque appropinquat, ante adesse potest, etc. vel: si vero is, qui hostis urbem adoriri vult, maritimus est et navalis, ante adesse potest, etc. Ca.

10. *Aut qui sit.* Heinr. et Steinack. primae manus lectionem *quis*, restituerunt; videlicet (ita certe opinor) ut Cicero secum in concordiam redeat, qui paullo superius scripsit *quis et unde sit.* Sed salva res est: et supra *quis* scripsit, quia requiritur pronomen interrogativum, neque fuit causa scribendi *qui*: hoc loco *qui* interrogative posuit pro *quis*, ut saepius fecit ante *s*, ut vitetur concursus literae sibilae auribus ingratus. Ita dixit Epist. ad Famm. V, 12 (Mart. Lagun. 13): *Neque enim tu is es, qui, qui sis, nescias*: Ad Att. III, 10: *Non possum... non sentire qui sim*: in Qu. Caecil. Divin. 6, 20: *Te non novimus, nescimus, qui sis.* Qua de re dudum praecepit Cortius ad Sallust. Catil. 44, 5, p. 266, brevius Drakenborch. ad Liv. 7, 9, p. 80 ed. Stuttg. Ma.

IV. 1. *Mutatio morum.* Mos. anteponit *demutatio*, qui sic ad h. l. Non dubitavi restituere post Heinr. Stein. et Lehnerum hanc primae manus scriptionem, ut sit mutatio in peius. Et eodem sensu verbo *demutandi* utitur Plaut. Trinumm. 74 (I, 2, 36): *Aut si demutant mores ingenium tuum, neque eos antiquos servas, ast captas novos*: ib. 1113 (IV, 5, 19): *neque demutavit animum de firma fide.* Ma.

2. *Sermonibus* Qui admiscetur novis sermonibus, eum mores saepe suos corrumpere putant philosophi, grammatici autem etiam linguam. Atqui mixtio cum extraneis sermonibus non corruptelam sed proprietatem fecisse Atticae linguae videbatur Xenophonti, reip. Ath. cap. 2, cuius verba propter controversias in Italia renatas de linguae patriae puritate atque originibus, audire par est. Loquitur autem Xenophon de utilitatibus quas Athenienses e commercio cum omni populorum varietate capiebant, inter quas linguae patriae perfectionem recenset: ἔπειτα φωνὴν τὴν πᾶσαν ἀκούοντες, ἐξελέξαντο τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς· καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται, Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων. Quamquam reapse Xenophon toto illo opusculo Athenienses irridet: quare et de atticismi praestantia ironice loqui videtur. Romanorum item

merces solum adventitiae, sed etiam mores; ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. Iam qui incolunt eas urbes, non haerent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius; atque etiam quum manent corpore, animo tamen excurrunt et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio [3] civium, quod, mercandi cupiditate et navigandi, et agrorum et armorum cultum reliquerant.[4] Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus suppeditantur mari, quae vel capiuntur, vel importantur; atque habet iam [5] amoenitas ipsa vel sumptuosas, vel desidiosas [6] illecebras multas cupiditatum. [7] Et

lingua videbatur Dionysio I, 90, propter commercia et commigrationes multum adscivisse praesertim ex Aeolica dialecto. A. M.

3. *Error ac dissipatio.* Singulari haec verba sensu et alibi non obvio ponuntur a Nostro; ita tamen, ut recte ita dici dubium esse non debeat. Simili sensu dixit *erratio* de Vniv. 6, et *dissipatum* sensu consimili *oratorem* in Bruto 59, 216, Mn. — Idcirco Lycurgus Lacedaemoniis mari interdixerat, ut ait Plutarchus in institutis Laconicis t. VI, p. 890. Isocrates autem or. soc. c. 33, Lacedaemonios maris imperio ita esse corruptos docet, ut ob id terrae quoque imperium amiserint. A. M.

4. *Agror. et armorum cultum reliquerant.* Armorum, ait, cultum reliquerant, quia mercenariis copiis utebantur. Ca. — Corinthiorum prae reliquis Graecis studium navigandi antiquissimum, primamque adeo triremem ab iisdem aedificatam, observat Thucydides I, 13. De Carthaginiensibus autem sic Afer Augustinus in ps. XLVII, 6: *manifestum est, quod primordia regni Carthaginis navibus floruerunt, et ita floruerunt, ut inter ceteras gentes excellerent negotiationibus et navigationibus.* A. M. — Sch. correxit *culturam*, nihil monens, sed motus, opinor, eo, quod Cic. plerumque de *agrorum cultura* loquitur. Sed qui potuisset Noster iungere *culturam armorum*?

5. *Iam.* Sic MS. Vatican. Maius e coniectura dedit *etiam.*

6. *Vel sumptuosas, vel desidiosas.* Quid sibi volunt *illecebrae desidiosae?* nonne agitant et stimulant potius, neque quiescere sinunt, neque ipsae quiescunt? Ita mihi aliquis persuadere studebat, ut rescriberem: *vel sumptuosas, vel deteriores etiam.* Sed quamquam hoc non displiceret, si esset in codice, tamen nihil violentius agendum. Patrocinium loci suscipit Auct. ad Herenn. IV, 32, 43: *aut si, quod facit, ab eo (nominetur), quod fit, ut, quum desidiosam artem di-*

quod de Corintho dixi, id haud scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere. Nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est; [8] nec praeter Phliuntios [9] ulli sunt, quorum agri non contingant mare: et extra Peloponnesum Aenianes, et Dores, et Dolopes soli absunt a mari. Quid dicam insulas Graeciae? quae, fluctibus cinctae, natant paene ipsae simul cum civitatum institutis et moribus. Atque haec quidem, ut supra dixi, veteris sunt Graeciae. Coloniarum vero, quae est deducta a Graiis in Asiam, Thraciam, Italiam, Siciliam, Africam, praeter unam Magnesiam, quam unda non alluat? Ita barbarorum agris quasi attexta quaedam videtur ora esse Graeciae. Nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea mari-

*cemus, quia desidiosos facit; et frigus pigrum, quia pigros facit.* Mn. — Adde Cic. Agrar. II, 32: *inertissimum et desidiosissimum otium.* Var. proœm. R. R. II, 1, p. 244 Schneideri: *Viri magni nostri maiores... qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiosiores putabant:* ubi alii libri *desidiores.* Cn.

7. *Cupiditatum.* Intellige praesertim ambubaiarum Corinthiarum famosum collegium, de quo Strabo VIII, p. 581, aliique auctores. A. M.

8. *In mari est.* Cicero ad Att. VI, 2: *Peloponnesias civitates omnes maritimas esse, Dicaearchi tabulis credidi. Is multis quidem nominibus Graecos in eo reprehendit, quod marc tam sequati sint.* Ex unde Cicero disputationis huius materiam sumpsit, teste ipso ibidem: *atque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli.* Negaverat autem Atticus Arcadas mare contingere; quod secus tamen aliquando fuit, quum Triphyliae potiebantur regionis maritimae. A. M.

9. *Phliuntios.* Cod. mendose *Philuntios.* Immo vero scribi debuit *Phliasios;* sic enim emendavit suam hanc lectionem librorum de Rep. Cicero ipse ad Atticum scribens VI, 2: *Phliasios dici sciebam; et ita fac habeas, nos quidem sic habemus. Sed primo me ἀναλογίᾳ deceperat,* Φλιοῦς, Οποῦς, Σιποῦς; *quod* Οποῦντιοι, Σιποῦντιοι. *Sed hoc continuo correximus.* In codice tamen Vaticano manet prior Tullii scriptura (praeter vitiosam metathesim); quod nobile documentum est Tullii libros politicos statim omnibus viguisse (ut ait Coelius ep. VIII, 1), ideoque distractis exemplaribus, ne ipsius quidem auctoris emendationes potuisse recipi. Ceteroqui gentile Φλιούντιος est apud Stephanum Byz. qui addit et Φλιούσιος atque Φλιάσιος. *Phliasios* scribit ipse Cicero Tusc. V, 3; et sic graeci vulgo auctores habent. A. M.

Digitized by Google

timi, praeter Etruscos[10] et Poenos; alteri mercandi causa, latrocinandi[11] alteri. Quae causa perspicua est malorum commutationumque Graeciae, propter ea vitia maritimarum urbium, quae ante paullo[12] perbreviter attigi. Sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et, quod ubique gentium est, ut eam urbem, quam incolas, possit[13] adnare; et rursus, ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere.

10. *Etruscos et Poenos.* Quod si A. Maius recte explicuit hunc locum, acerbius et fere dixerim iniustius de Etruscis Noster iudicat. Opes enim Etruscorum et imperium maritimum non praedonum tantum speciem referunt. Vide modo Herodot. I, 166; Euseb. Chron. p. 36; in primis Liv. I, 2, V, 31. Sed de toto loco res nondum ad liquidum perducta est, etiam quod ad Poenos attinet, qua voce etiam Phoenices significari arbitratur A. Maius. Cr. — Fuisse tamen eam, quam dicit A. Maius, re vera Ciceronis sententiam, patet ex loco Servii, quem laudat, quemque nos h. l. adscribemus: *Maeoniae provinciae brevitas dum duos fratres, Lydum et Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus, partem Italiae tenuit et Tyrrheniam appellavit. Hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortensio docet, quum captivos novis poenis affligerent, occisorum eos religantes cadaveribus: quod Virgilius dat Mezentio, sciens lectum esse de gente Tyrrhenorum.* Quod vero ad Etruscorum historiam attinet, collecta reperies pleraque omnia ex veteribus scriptoribus in tertio volumine addendorum ad Historiam universalem (quae germanice prodiit Halis Saxonum undeoctoginta voll.), pag. 43-180. Inde etiam patet Ciceronis iudicium iusto acerbius esse. Sed iniquius iudicare solitos esse Romanos de Etruscis aeque ac de Carthaginiensibus, notum est. Est vero h. l. chiasmi genus, quum verbum *mercandi* ad *Poenos*, *latrocinandi* ad *Etruscos* trahendum sit. Similis est ap. Sallust. Catil. 14: *quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat*; ubi *manus* referendum ad *sanguine*, *lingua* ad *periurio*: ubi vid. Cort. p. 96 sq. Mr.

11. *Latrocinandi.* Latrones intellige Etruscos; nam Poenorum navigationes supra dixit auctor. Quin adeo voce *Poenos* etiam *Phoenicas* significari a Tullio arbitror. Etruscos seu Tyrrhenos diu piraticam exercuisse docuerat in Hortensio Cicero, teste Servio ad Aen. VIII, 479, qui locus ex Augustino inter operis fragmenta translatus est. Eorumdem piraticam commemorat etiam Strabo V, p. 354, τῇ θαλάττῃ κατὰ λῃστείαν ἐπίθεντο. A. M.

12. *Ante paullo.* Solet alibi Cicero dicere, ut alii scriptores, *paullo ante*, sed similiter ut nostro loco dixit de Senect. 2, 6: *si... ante multo a te didicerimus.* Mr.

13. *Possit.* Locum e II de Rep. citat Fronto exem. eloc. voc. *adnare.* At in editis fragmentis citatur e I

V. Qui potuit igitur divinitus[1] et utilitates complecti maritimas Romulus, et vitia vitare? quam quod urbem perennis amnis, et aequabilis, et in mare late influentis posuit in ripa,[2] quo posset urbs et accipere ex mari, quo egeret, et reddere, quo redundaret; eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet,[3] sed etiam invectas acciperet ex terra: ut mihi iam tum divinasse ille videatur, hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram; nam

perperam. Editiones item habent *possis* pro *possit*; quae etsi lectio videri poterat probabilis, tamen a Frontonis codicibus cunctis exploditur, tum, quod magis interest, a Ciceronis de Rep. codice Vaticano. Codicum Frontonis varietates sunt, 1° *ut ad eam urbem, ad quam incola possit adnare*; 2° in alio codice τὸ *possit* corrigitur in margine *possis*, quae coniectura deinceps ab editoribus fragmentorum recepta fuit. A. M.

V. 1. *Divinius* anteposuit Mos. qui sic ad h. v. Ita primo statim adspectu corrigendum esse existimavi, idemque fecisse postea deprehendi Schutzium, Steinack. et Zachar. in libro, quem laudavimus p. 140, qui laudat Cic. Parad. I, 4 (quos numeros operarum errore ita positos existimo), ubi Cicero adiectivi *divinus* comparativo usus sit. Eo usus est de Finn. V, 11, 33: *maior aliqua causa atque divinior*: sed alio plane sensu. Ad nostrum proxime accedit de Divin. I, 28, 58: *Quid hoc somnio dici divinius potest?* Hunc sensum (videlicet *divinandi*) huic vocabulo nostro loco inesse patet etiam ex eo, quod mox dicit: *ut mihi iam tum divinasse videatur*. Ma.

2. *Posuit in ripa*. De hoc Tullii loco loquitur Servius ad G. II, 157: *Fluminaque antiquos subterlabentia muros, quod laudat etiam Cicero in libris de Republica*. De commoditate Tiberis portusque Ostiensis legatur Cassiodorus Var. VII, 9. Contrarium facit Dionysius in editione mea Mediolanensi XII, 21, dum Veiorum situm eo nomine laudat, quod is a flumine abesset unde aura rigidior matutina valitudini noxia ferri posset, οὔτε ποταμοῦ τινος πλησίον ὄντος ψυχρὰς ἴωθεν ἀνιέντος αὔρας. Sed etiam Aristoteles Reip. VII, 11, cupiditatem prae se fert, ut condendae urbis situs maris aeque ac terrae, si fieri potest, commoditatibus fruatur. A. M.

3. *Absorberet*. Ita (*absorberet*) evidenter codex, sine ulla emendatione. Vt corrigam *a mari subveheret* moneor; meliore equidem et plane verisimili locutione, indice etiam Rutilio Numatiano I, 153, qui Tullii hanc sententiam exprimere videtur de navigatione Tiberis loquens: *placidis commercia ripis... devehat hinc ruris subvehat inde maris*. Attamen ego miror, qui fieri possit, ut amanuensis tantam invexerit varietatem, nempe

Digitized by Google

**hanc rerum tantam potentiam non fermè facilius alia [4] in parte Italiae posita urbs tenere potuisset. [5]**

**VI. Vrbis autem ipsius nativa praesidia, quis est tam negligens, qui non habeat animo notata planeque cognita? cuius is est tractus [1] ductusque muri, quum Romuli, tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex omni parte arduis praeruptisque montibus, ut unus aditus qui esset inter Esquilinum**

*absorberet* pro *subveheret*. (*Absorberet* videtur quaedam vitiosa metathesis ex *subveheret*. A. M. in Em.)— *Mari arcesseret*. Recipere ausus sum meam qualemcumque emendationem, quum Niebuhrii, viri ill. correctionem multo (fortasse iusto) audaciorem receperint Heinr. (scribens *ab mari subveheret*), Sch. (*a mari subveheret*) et Lehn. (*mari subveheret*). Qui omnes certe in eo verum viderunt, in scriptore, proprietatis ita studioso, quique a verborum tumore ita est alienus, *absorberet* ferri non posse. Sed ne latine quidem dicitur *aliquid mari absorbere*. Ex poëtae (Rutilii) autem versu pentametro, qui versus verborum liberum delectum valde coërcet, prosae orationis scriptorem non correxerim. Ego, dum melius aliquid afferatur, meum iudicium sequutus sum, motus loco ipsius Ciceronis ad Fam. VII, 23: *Sed tamen... certiorem velim me facias, ubi sint, quando arcessantur, quo genere vecturae*. Mn.

4. *Facilius alia*. Cod. *ulla*; sed fortasse emendatum *alia*. Censeo scribendum *alia ulla*. A. M.

5. *Tenere potuisset*. Nunc primum deprehendimus ingens Livii plagium (monet censor Gottingensis 1824, 44, non statim plagii arguendum fuisse Livium, quum ipse Noster initio cap. 6 dicat: *quis est tam negligens, qui non habeat animo notata planeque cognita?* Mn.), qui Tullianam hanc urbani situs descriptionem tacite sibi quodammodo vindicavit in oratione quam a Camillo dictam confinxit lib. V, 54: *non sine causa dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiae medium, ad incrementum urbis natum unice locum*. Iam vero quae Cicero dicit de Romae commodo situ ad retinendum summum imperium, eadem observat Strabo VI, p. 438, de ipsius Italiae situ ad orbis regimen apto. A. M.

VI. 1. *Cuius is est tractatus*. Cod. sine ulla litura *tractatus* pro *tractus*. — Quod ait A. Maius in notula critica *tractatus* esse positum pro *tractus*, inde aliquis coniiciat eum utrumque probum existimasse, quum tamen nonnisi *tractus* stare possit. Illud servarunt Villem. et Lehn. Hic vero addit: Equidem mutare quidem nolui, persuasum vero habeo, non diu locum suum retenturum esse hoc vocabulum, cuius significatio h. l. ne-

Quirinalemque montem,[2] maximo aggere[3] obiecto, fossa cingeretur vastissima;[4] atque ut ita munita arx circumiectu arduo et quasi circumciso saxo niteretur,[5] ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis atque intacta permanserit. Locumque delegit et fontibus[6] abundantem, et in regione

cessaria cur substantivo frequentativo tribueretur, nulla sane ratio, nulla excusatio fuit. Quod Niebuhrius in Ind. Lat. ait: *quaerendum tamen potius, quam immutandum esse censeo*: id eo valet, ut ne quid temere agatur: sed re cognita iudicium ferendum et exsequendum est. *Tractatus* nusquam eo sensu ponitur, quem h. l. habere debet, sed *tractus* et alibi et apud Livium III, 28, 1: *Contemplatusque, qui tractus castrorum, quaeque forma esset.* Legitur *arborum tractus* apud Corn. Nep. Milt. 5, 3. Cicero de Or. II, 13, 54, de *tractu orationis* loquitur. *Ductus macularum* est apud Plinium Hist. Nat. lib. XXXVII, cap. 12, pag. 795 Hard. Ma. — Codicum aperta menda haud tanti puto esse facienda, quum nemo nesciat quam facillime in huiuscemodi ab amanuensibus antiquis et hodiernis typothetis peccari soleat. Nullus dubito quin *tractus* sit legendum; et sic reposui. *Typ.*

2. *Quirinalemque montem.* En aggeris uterque terminus. Videtur ergo falli Nardinius de Roma vetere lib. I, 7, qui aggerem ultra Esquilinum producit. Iam hoc uno orientali latere Romam perviam dicit etiam Dionysius IV, 54, ceteroqui tutam et imperviam. A. M.

3. *Maximo aggere obiecto.* Nempe aggere Servii Tullii, cuius reliquiae tractusque adhuc visuntur; quique olim in deliciis fuisse videtur Horatio poëtae ad inambulandum: Sat. I, 8, 15. Opus Servio reapse regi tribuitur a Livio I, 44, et a Strabone V, pag. 358. Plinius tamen III, 5, Tarquinium Superbum facere videtur auctorem aggeris; cuius auctoritati minime adhaerent antiquarii; sartumque potius existimant aut altius exaggeratum id munimentum a Tarquinio, quam conditum. Mediae huic sententiae favet Dionysius IV, 54. Consule Cl. Antonii Nibbi tractatum perutilem *de maenibus Vrbis.* Maximus autem iure dicitur a Cicerone praedictus agger; ait enim Dionysius IX, 68, longum fuisse stadia septem, crassum pedes quinquaginta. Muros praeterea turresque superpositas fuisse aggeri docet Strabo loco citato. Denique cis Tiberim nihil sublimius esse Servii Tullii aggere demonstravit Ioannes Brocchus, nobilissimus physicus, proposita urbanarum altitudinum tabula pag. 211, nupero in opere de natura soli romanae urbis. A. M.

4. *Vastissima.* Lata nimirum pedes plus centum, alta triginta. Dionys. IX, 68. A. M.

5. *Saxo niteretur.* Peracute observat Aristoteles Reip. VII. 11, acropolim convenire monarchiae et oligarchiae; solum aequum democratiae; neutrum horum aristocratiae, sed locum firmum atque munitum. Item Pollux IX, 5, 40, acropolim appellat *βασιλεῖον ἢ τυραννεῖον.* A. M.

6. *Et fontibus.* « Totaque nativo

pestilenti[7] salubrem: colles enim sunt, qui quum perflantur ipsi, tum afferunt umbram vallibus.[8]

VII. Atque haec quidem perceleriter confecit: nam et urbem constituit, quam e suo nomine Romam iussit nominari; et ad firmandam novam civitatem novum quoddam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes regni ac populi sui magni hominis, et iam tum longe providentis, sequutus est, quum Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset, Consualibus[1] rapi

moenia fonte sonant» ait Rutilius in magnifica illa Romae laudatione I, 104. Fontium Romanorum salubritatem cultumque iis adhibitum commemorant Frontinus aquaed. 1, et Varro LL. V, 3. Fontes hi fere fuerunt: *muscosus apud templum Fortunae*, Plut. de fort. R. t. VII, p. 279. *Ad Ianum geminum* sive *Tarpeius*, Varr. LL. IV, 32, et Ovid. Metam. XIV, 786, *Camoenarum* seu *Egeriae*, Symmach. ep. I, 21; Liv. I, 21; Plut. Num. 13. *Mercurii*, Ovid. Fast. V, 673. *Esquilinus*, Prop. IV, 8, 1. *Palatinus*, Prop. IV, 10, 25. *Vaticanus*, Prudent. hymn. in SS. Petr. et Paul. *Silvani*, descript. reg. XIII. *Pici et Fauni*, reg. XIII. *Lollianus*, reg. XII. *Scipionum*, reg. IX. Fuit et *nympharum Ianiculensis* teste quadam inscriptione. A. M.

7. *Et in regione pestilenti.* De romano aëre, qui semper gravis morbosusque habitus fuit, multi exstant tractatus, quos inter excellit eruditionis copia Francisci Cancellarii liber, viri nostra aetate doctissimi. Et quidem plerasque soli huius pestilentias nihil aliud fere fuisse quam febres, verissime docuit vir arte medica simul ceteraque doctrina valde conspicuus, amicus meus, Iosephus de Matthaeis in praeclaro commentario de febre Romanorum dea: cui nihil profecto addiderim, nisi quod Augustinus C. D. III, 12, ait, febrem esse deam civem romanam. Febris dea Romanum Caesarem Claudium, quicum tot annos vixerat, in caelum comitata est fano suo relicto, ut ludibundus ait Seneca in ἀποκολοκυντώσει. A. M.

8. *Vallibus.* Cicero tamen in Rulliana II, 35, paullo aliter de urbani soli commoditatibus et specie loquitur. Ad umbrae urbanae salubritatem quod attinet legatur Tacitus Annal. XV, 44. A. M.

VII. 1. *Consualibus.* Cod. *consulibus* sine ulla emendatione. Sed mendum apertissimum est vel dormitantis vel ineruditi librarii. Eum siquidem raptum contigisse feriis Consualibus plerique omnes auctores tradunt. Consus est *Neptunus* Dionysio II, 31; at Caec. Cypriano de idolor. vanitate II, 5, est *deus fraudis seu consiliorum.* Vtramque sententiam refert Servius ad Aen. VIII, 636, nec non Tertullianus de Spect. cap. 5. A. M. — *Rapi*

iussit, easque in familiarum amplissimarum matrimoniis collocavit. Qua ex causa quum bellum Romanis Sabini intulissent, praeliique certamen varium atque anceps fuisset, cum T. Tatio rege Sabinorum foedus icit, matronis ipsis, quae raptae erant, orantibus: [2] quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit, sacris communicatis, [3] et regnum suum cum illorum rege sociavit. [4]

*iussit.* Sabinas raptas mense post Vrbem conditam quarto ait Fabius apud Plutarchum in Romulo 14; sed enim peccare Fabium satis coarguit Dionysius II, 31, scribendumque demonstrat non *mense* sed *anno quarto*; idque eruitur ex rebus etiam apud Livium narratis, et diserte adfirmat Eutropius miscellus. Martio autem mense raptas Sabinas putat Servius ad Aen. VIII, 636, quoniam eo mense fiebant Consualia. Tertullianus sacrum ad Consi aram fieri solitum narrat mensibus iulio et septembri. In calendario Capranicorum, mense augusto; in Amiternino, mense decembri fit id sacrificium. A. M.

2. *Orantibus.* Non recte ceperunt hunc locum, qui *orantibus* idem esse censuerunt, quod *rogantibus, precantibus,* quod fecerunt interpres gallicus, et uterque germanicus: videlicet quia plerumque narratur, matronas illas in mediam utriusque populi se coniecisse et obiecisse aciem, precandoque effecisse, ut pugnantes a certamine desisterent et pacem inirent: ut narrat Livius I, 13; Flor. I, 1, ubi vides in ed. Begeri (itemque in Hauisii Scriptt. Hist. Rom. tom. II, pag. 12) nummum maximi moduli, in quo iste mulierum interventus conspicitur. *Orantibus* id vult, eas colloquii et conciliationis utriusque populi, oratione habita ab Hersilia, causam fuisse; quod item conspici poterat ex seq. v. *oratrices pacis.* Mn. — Ennii locus ex illius deperdito opere, quod *Sabinae* inscribebatur, hic apud me est: *Vt Sabinis Ennius dixit: quam spolia generi detraxeritis, quam inscriptionem dabitis?* quae videntur Sabinarum orantium verba. Certe haec particula titulum Enniani operis Macrob. Sat. VI, 5 (qui aliud citat fragmentum) cognitum, sed mox abs H. Columna (Ennii ed. Hessel. pag. 188) temere abolitum, sine ulla dubitatione confirmat. A. M.

3. *Sacris communicatis.* Quos deos Romanis constituerit Romulus, quos Tatius addiderit, narrat Augustinus C. D. IV, 23. A. M.

4. *Cum illorum rege sociavit.* » Hac tamen lege recepti in urbem Sabini sunt, post Sabinarum raptum, et factum inter Romulum et T. Tatium foedus, ut in omnibus essent cives romani, excepta suffragii latione: nam magistratus non creabant «. Servius ad Aen. VII, 709. Fides sit penes auctorem. Rem aliam mentione dignam Romae in Tatii regno peragi coeptam scribit Symmachus ep. X, 35, nempe *strenarum usum*, qui adhuc laudabiliter in urbe viget ad indigentis plebis semestre solatium. A. M.

VIII. Post interitum autem Tatii quum ad eum potentatus[1] omnis recidisset, quamquam cum Tatio in regium consilium delegerat principes, qui appellati sunt propter caritatem patres; populumque et suo et Tatii nomine et Lucumonis,[2] qui Romuli socius in Sabino praelio occiderat, in tribus tres, curiasque triginta descripserat, quas curias earum nominibus nuncupavit, quae ex Sabinis virgines raptae, postea fuerant oratrices[3] pacis et foederis: sed quamquam ea Tatio sic erant descripta vivo, tamen, eo interfecto, multo etiam magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.

IX. Quo facto primum vidit iudicavitque idem, quod Spartae Lycurgus paullo ante viderat,[1] singulari

VIII. 1. *Ad eum potentatus.* Ita Cod. pr. manu; tum sec. refectum est *dominatus*: laevo, ut censeo, consilio et nimia castigandi libidine: nam *potentatus* generosior vox est, eaque praeter alios utitur Lactantius Inst. VI, 17, Ciceronis pedissequus; eamdemque revocari vult in usum Vorstius de lat. negl. IV, 1. A. M.

2. *Lucomonis*) *Rhamnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati; Lucerum nominis et originis causa incerta est.* Ita Livius I, 43. (Cf. Infr. II, 20. Cr.). Rei memor Horat. A. P. 342, vigilanti verbo Romanos designavit: *celsi praetereunt austera poëmata Rhamnes.* Sed enim Luceres a Lucumone appellatos sine dubitatione aiunt hic Cicero; tum Varro LL. IV, 9; Propertius IV, 1, 29; Victor in Romulo; ne alios auctores frustra nominem. Festus tamen nomen trahit a Lucero Ardeae rege. A. M.

3. *Oratrices. Oratores* quid significet, vid. ap. Festum h. v. Quod vero alibi voce *oratrix* Noster non utitur, ideo ea non suspecta esse debet, nam est in scriptore ante Ciceronem, Plauto, Mil. Glor. IV, 2, 80, et apud Quintilianum, qui Ciceronem unice amplectebatur (Inst. Or. II, 14). Mr. — Sabinae priore capite *orantes*, nunc *oratrices*; quae duo vocabula fortasse synonyma sunt. Etsi autem plerique historici preces Sabinarum tumultuarias fuisse tradunt, tamen Appianus de reb. Ital. cap. 5, legationem Sabinarum ad Tatium non secus ac Veturiae ad Coriolanum videtur innuere. Ita fere loquitur etiam Dionysius III, 1. Feminarum oratricium exemplum aliud suppeditat Pausanias V, 16, nimirum apud Eleos publica auctoritate lectarum, quae pacem inter populos dissidentes sanxerunt. A. M.

IX. 1. *Ante viderat.* Nempe ante annos circiter quadraginta, ut est apud Eusebium Chron. lib. II; ubi tamen videsis, quae in editione Mediolanensi ad Abrahami annum 1221 adnotantur. A. M.

imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. Itaque hoc consilio et quasi senatu [2] fultus et munitus, et bella cum finitimis felicissime multa gessit; et quum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare cives non destitit. Tum id quod retinemus hodie magna cum salute reipublicae, [3] auspiciis plurimum obsequutus est Romulus. [4] Nam et ipse, quod principium reipublicae fuit, urbem condidit auspicato, et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi essent in auspiciis, ex singulis tribubus singulos cooptavit augures: [5] et habuit plebem in clientelas principum descriptam; quod quantae fuerit utilitati, [6] post videro:

2. *Quasi senatu.* Cur *quasi senatu?* An quia nonnulli, ut est apud Servium ad Aen. I, 426, *senatus nomen* a Bruto coepisse aiunt? Lactantius Inst. II, 6, imitatur ea, quae dicit Cicero de Romuli senatu. A. M.

3. *Salute reipublicae.* De lege Aelia et Fufia a Clodio sublata cogitabat sine dubio Cicero haec scribens. Multus autem honor auguriis tribuitur; nam et Scipio et Laelius et Scaevola interlocutores, et ipse Cicero auctor operis in augurum collegio fuerunt. De prioribus recole prosopographiam in praefatione, de postremo Plutarchum in Cicerone cap. 36. Curiosam apud Romanos auspiciorum observationem docent Plutarchus in Marcell. 4, 5; Strabo XVII, p. 1168; Plinius X, 21, aliique auctores. Omnes magistratus fieri auspicato iubet lex apud Cic. Leg. III, 3. Ceterum auguria valde irridet Plin. XXVIII, 2, lusaque docet Dionys. II, 6; neglecta denique Arnob. II, p. 91; sed adhuc observata Salvian. de G. D. VI, 2. A. M.

4. *Obsequutus est Romulus.* Sive animi supestitione, sive astu politico. Sic Lycurgus Lacedaemoniis non ante leges tulit, quam eas fore utiles, Delphico oraculo confirmatum est. Xenoph. reip. Lac. c. 8; Plut. Lyc. 29; Dionys. II, 61. Ad v. seq. *auspicato* sic loquitur Cicero etiam de Divin. I, 2: *Principio huius urbis parens Romulus, non solum auspicato urbem condidit, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur.* A. M.

5. *Cooptavit augures.* Proprium in hac re est *cooptandi* verbum: vid. Philippic. 13, 5, 12: *auguratus locum, in quem ego eum ... cooptabo.* Ms. — Livius X, 6: *inter augures constat, imparem numerum debere esse, ut tres antiquae tribus suum quaeque augurem habeant.* Falso autem dici videtur apud eumdem Livium IV, 4, augures Romulo regnante nullos fuisse. Confer tamen Lydum m. R. I, 45. A. M.

6. *Fuerit utilitati.* Ita Cod. sec. manu; at pr. *quante fuerit utilitate.* A. M.

multaeque dictione [7] ovium et boum [8] (quod tum erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo pecuniosi et locupletes vocabantur [9]), non vi et suppliciis coërcebat. [10]

X. Ac Romulus quum septem et triginta regnavisset annos, [1] et haec egregia duo firmamenta reipublicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consequutus, ut quum subito sole obscurato [2] non comparuisset, deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionem nemo umquam mortalis assequi potuit sine eximia virtutis gloria. [3] Atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui dii

7. *Multaeque dictione.* Villem. scripsit *mulctaeque*; sed nos servavimus codicis scriptionem, quam habent membranae veteres et lapides fere omnes. Ma.

8. *Ovium et boum.* Haud sine causa verborum ordinem servat Cicero. Quippe ait Plinius XVIII, 3, *cautum est, ne bovem prius quam ovem nominaret, qui indiceret multam.* Ibidem Plinius Tullianum hunc locum illustrat: *locupletes dicebant loci, hoc est, agri plenos. Pecunia a pecore appellabatur. Multatio quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur.* Confer Ovidium Fast. V, 281. A. M.

9. *Locupletes vocabantur.* Locum hunc ex Tullio nominatim, sed libere, citat Hieronymus, comm. ad. Eccles. cap. 5: *Tullius pecuniosos primitus eos dictos refert, qui plura habuissent pecuia, id est, pecora; ita enim antiquitus appellabant.* Verba vero Hieronymi exscribit Isidorus, Orig. X, 240. A. M.

10. *Suppliciis coërcebat.* Aliter Plutarchus, Romul. 26, 27, qui Romulum extremo tempore tyrannum fastuque et ferocitate elatum describit, contradicente tamen Appiano apud Photium, cod. LVII. A. M.

X. 1. *Regnavisset annos.* Sic passim historici scribunt XXXVII, et ipse Plutarchus in Numa, cap. 2; qui tamen in Romulo fin. scribit XXXVIII. Romulus ergo anno aetatis LV, vel ut ait Plut. LIV, obiit; siquidem is vulgo dicitur Romam simul regnumque suum occoepisse annos natus XVIII, qua super re nullam esse historicorum dissensionem ait Dionysius II, 56. A. M.

2. *Sole obscurato.* Solis hunc defectum legebat in libris de Rep. Seneca ep. CVIII. A. M.

3. Verba *tantum ... gloria.* in libris de Rep. legebat Augustinus C. D. III, 15. Huc idem Augustinus respicit etiam XVIII, 24. Consonat sibi Tullius in Cat. III, 1: *illum, qui hanc urbem condidit, Romulum ad deos immortales benivolentia famaque sustulimus.* Hanc fuisse complurium deorum apud ethnicos originem sapienter observat Augustinus serm. CCLXXIII, 3, et C. D. II, 5, 15; tum Lactantius, de ira Dei, cap. 11, et

ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum saeculis fuerunt, ut fingendi proclivis esset ratio, quum imperiti facile ad credendum impellerentur; Romuli autem aetatem, minus his sexcentis annis,[4] iam inveteratis literis atque doctrinis, omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus.[5] Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiadis septimae, in id saeculum Romuli cecidit aetas, quum iam plena Graecia poëtarum et musicorum esset; minorque fabulis, nisi de veteribus rebus, haberetur fides. Nam centum et octo annis, postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias; quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo[6] constitutam putant. Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati triginta annis anteponunt fere.[7] Ex quo intelligi potest, per-

Inst. Div. I, 45 (ubi nominatim citat libros Tullii de Rep.), et VII, 14. A. M.

4. *Minus his sexcentis annis.* I. e. ante hos sexcentos annos, non plenos illos; nam erant aliquanto minus annis sexcentis, videlicet inde ab anno, quo habiti finguntur hi sermones de republica, qui est 625 a. V. C. retro numerati ad mortem Romuli erant 588. Conf. quae ad similem structuram monuimus ad I, 37, *his annis quadringentis*, qui locus nostro ita geminus est, ut noster nonnisi addito *minus* differat; quod intelligendum est, quasi in parenthesi additum sit numero, iusto maiori. Mn.

5. Locum hunc ex voce *magis*, usque ad v. *cernimus*, citat Augustinus C. D. XXII, 6, sine ulla varietate. A. M.

6. *Ab eodem Lycurgo*, De Lycurgo iuniore laudat Kobbius Marshami canon. chronic. (ed. 1696, 4), p. 450. Adde Simsonii Chronic. tom. III. p. 40 ed. Oxon. 1651. Mn. — Hoc in errore versatus est Aristoteles, teste Plutarcho Lycurg. cap. 1, quo loco haec controversia ventilatur. De Lycurgo autem iuniore, qui primum agonem cum Iphito instituit, legatur Euseb. Chron. I, 32. A. M.

7. *Anteponunt fere.* Intelligit Apollodorum. Complures ac varias de Homeri aetate sententias Veterum acervaverunt Suidas voc. Ὅμηρος, et Eusebius Chron. II, ad Abrahami annum 915. Apud Gellium XVII, 21, Nepos Homerum vixisse dicit ante Romam conditam annis circiter centum et sexaginta; quo fit, ut is prorsus congruat cum Cicerone, siquidem Olympiadis septimae annus secundus Romae natalis fuit. Namque ab Homero

Digitized by Google

multis annis ante Homerum fuisse, quam Romulum: ut iam doctis hominibus, ac temporibus ipsis eruditis, ad fingendum vix cuiquam esset locus.[8] Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam nonnumquam incondite; haec aetas autem iam exculta, praesertim eludens omne, quod fieri non potest, respuit[9] . . . . . immortalitate creditum, quum iam inveterata vita hominum, ac tractata esset, et cognita. Sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii

ad Lyc. anni 30; ab hoc ad I Ol. anni 108; ab Ol. I ad septimam dimidiam anni 26; ergo 164. Conferatur Cicero etiam Tusc. I, 1. Item Heynius ad Apollodori fragmenta pag. 1086. A. M.

8. *Cuiquam esset locus.* Hoc est codicis folium postremum, cuius nonnisi frustum intimum superest lacerae membranae. Quum autem cuiusque paginae sint duo latercula, folii vero latercula quatuor, hoc quidem in folio nihil reliquum est praeter primi quartique laterculi partes dimidiatas a vertice ad imum. Sed enim prior folii pagina ferme tota suppletur feliciter ab Augustino locum citante, C. D. XVIII, 24, XXII, 6, quo postremo capite, ne interpolationem aliquam suspicemur, ait Augustinus se verba Ciceronis prout scripta sunt inserere. Desideramus itaque particulam laterculi secundi, laterculum tertium, et quarti dimidium; supputatis autem spatiis constat ereptas nobis esse literas circiter CCXXX. En autem hiatum codicis. P. 301, laterc. 1, *te Ho . . . fuisse . . . Romu . . . ut iam . . . . homi . . . ac tem . . . ipsis er . . . ad fin . . . vix cui . . . esset lo . . . . antiqu . . . nim r . . . fabula . . . etiam n n . . . numqu . . .* P. 302, laterc. 2, *. . . us ne . . . etc.* ut scribimus in textu. Iam vero paginae 301 supplementa Augustiniana, quia certissima sunt, eodem genere literarum excudo; supplementa autem paginae 302 literis inclinatis exaro, quia sunt coniecturalia, etsi vix dubia. A. M. (Legit Moser *quidquam esset loci.*)

9. *Respuit.* Hic MS. Vaticani hae tantum comparent reliquiae: *us . . . no . . . . . us ut di . . . nt quidam . x filia quo . . . . ille mor . . . . odem. . . . . no na . . . . moni . . . . . ympia . . . . xta et quin . . . . esima . . . . acilius . . . . . legi pos . . . . . m de Ro . li*, et quae sequuntur. Quibus sic a Maio et Niebuhrio suppletum est: *v . . . eodem nomine alius nepos eius*, ut dixerunt quidam ex filia, *quoniam* ille mortuus eodem *est anno*; natus *Simonides Olympiade sexta* et quin*quage*sima: *quo facilius intelligi possit tum* de Romuli. « Haec addit Maius ad v. *Simonides*. Quum ego hanc lacunam ill. Niebuhrio considerandam obtulissem, is e superstitibus elementis *moni* exsculpsit *Simonides*; quo supplemento nihil ego vidi verius aut doctius. A. M. (Desiderantur literae pl. m. 230, i. e. hui. ed. versus prope septem. A. M.)

atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio,[10] homini agresti,[11] crederetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent: qui impulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in concione dixisse fertur, a se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur; eum sibi mandasse, ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum fieret; se deum esse, et Quirinum[12] vocari.

XI. Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum, neque ut in cunabulis vagientem relictum; sed adultum iam et paene puberem?[1] — Tum Laelius, Nos vero videmus; et te quidem ingressum ratione ad disputandum nova,

10. *Proculo Iulio.* Villem. ad h. l. adnotat, Ciceronem in libris de Legg. (videlicet I, 1) irridere hanc de Proculo Iulio narrationem eamque conferre cum fabula ista de Orithya a Borea rapta. Memorabile vero illud potissimum videri, quod hoc loco Italiae populos iam multo cultiores contendat Cicero temporibus istis, quam plerumque credantur fuisse. Historiarum quidem libros favere opinioni communi: sed magnifica illa et immensae molis aedificia et opera, quae manifesto antiquiora sint romana republica, temporibus adscribenda videri, quibus minime impotens et inculta fuisse potuerit ea gens, cui originem debeant. Mr.

11. *Homini agresti.* Aliter rem narrat Plutarchus in Romulo, c. 28. Iulium videlicet Proculum fuisse unum ex iis, qui Alba Romam commigraverint, virum inter patricios primae nobilitatis, moribus probatissimis, Romuloque ipsi fide et familiaritate coniunctissimum; eum in concionem prodiisse et ad religiosissima sacra iure iurando concepto speciem sibi in via oblatam enarravisse. Sed operae pretium est totum conferre Plutarchi locum. Ma.

12. *Quirinum.* Sive a *curi* hasta, sive a *κοίρανος*, sive a *κύριος*. Postremam originem tuetur Lydus m. R. I, 5, qui testibus confirmat, Romulum et eius aequales haud ignaros fuisse linguae Aeolicae. Erudite Lactantius, Inst. I, 21: *Solent mortuis consecratis nomina immutari, credo ne quis putet eos homines fuisse. Nam et Romulus post mortem Quirinus dictus est.* (Vide Symbolicam II, p. 893 sq. Cr.)

XI. 1. *Paene puberem.* Contra Senecam in opere, quod videtur historicum, apud Lactantium VII, 15, ait: *populi romani infantiam fuisse sub Romulo: pueritiam sub ceteris regibus, etc.* Senecam hunc alii philosophum intelligunt, alii Annaeum Florum. Lege Bünemannum ad Lactantium. A. M.

quae nusquam est in Graecorum libris. Nam princeps ille,[2] quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo; praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus.[3] Reliqui disseruerunt, sine ullo certo exemplari formaque reipublicae, de generibus et de rationibus civitatum.[4] Tu mihi videris utrumque facturus: es enim ita ingressus, ut, quae ipse reperias, tribuere aliis malis, quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere; et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt;[5] et disputes non vaganti oratione, sed defixa in una republica. Quare perge, ut instituisti: prospicere enim iam videor te reliquos reges persequentem,[6] quasi perfectam rempublicam.

2. *Nam princeps ille.* Plato scilicet, quem quod admiratione commotus saepius fortasse laudet, excusari se petit Cicero, Leg. III, 1. A. M.

3. *Et a moribus.* Cod. pr. manu *a maioribus*; sec. *moribus*, sine praep. quam ego retineo. Nam sic eam retinet Cicero hac de re loquens iisdem prope verbis de Or. I, 52, 224: *a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant.*—Plato remp. suam, tamquam picturam, sibi ad oculorum veluti oblectationem confinxit. Athen. XI, 15. Pergit ibidem Athenaeus dicere Platonis remp. et leges vel eo maxime nomine parum videri laudabiles, quod iis nulla gens apud se locum concesserit. Sic de Platonica rep. loquitur etiam Polybius VI, 47. Plotinus remp. Platonis in Campania instituere frustra meditatus est, ut narrat in eius vita Porphyrius. A. M. (Cap. 12, pag. 114, in Fabr. B. Gr. vol. IV. Nimirum Πλατωνόπολιν condere voluit. Ca.).

4. *Rationibus civitatum.* Sic facit Aristoteles, cuius opus politicum per omnia rerump. genera late vagatur. Hunc praecipue puto intelligi a Cicerone. A. M.

5. *Necessitate facta sunt.* Recole dicta cap. 3. Cicero enim ibi dixit situm urbis sapienter a Romulo sponteque electum; haud equidem veritatem sequutus, sed ne omitteret occasionem tradendi praecepta politica de situ urbi novae captando. Quare et hanc obiectionem auctor irrefutatam, tamquam foveam, praetergreditur; astu scilicet oratorio, ne malam causam tuendo faciat peiorem. A. M.

6. *Reliquos reges persequentem.* Mos. distinctionem ponit post *videor*, et coniicit *persequente* pro *persequentem*, quod hab. cod. Heinr. et Stein. sola distinctione minore posita post *persequentem* nihil mutarunt. Sch. ut A. Maius plane non distinxit. Lehn. coniecit *video* pro *videor*, ut (ait) hoc

XII. Ergo, inquit Scipio, quum ille Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari, patriciosque eorum liberos, tentaret post Romuli excessum, ut ipse gereret [1] sine rege rempublicam, populus id non tulit; desiderioque Romuli postea regem flagitare non destitit: quum prudenter illi principes novam et inauditam ceteris gentibus interregni ineundi [2] rationem excogitaverunt, ut, quoad certus rex declaratus esset, nec sine rege civitas, nec diuturno rege esset uno, nec committeretur, ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad obtinendum munitior. Quo quidem tempore novus ille populus vidit tamen id, quod fugit Lacedaemonium Lycurgum, qui regem non deligendum duxit (si modo hoc in Lycurgi potestate potuit esse), sed habendum, qualiscumque is foret, qui modo esset Herculis stirpe generatus: nostri illi etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem, quaeri oportere. [3]

XIII. Quibus quum esse praestantem Numam Pompilium [1] fama ferret, praetermissis suis civibus, regem

sit τὸ ἐφεξῆς: *video enim, te iam prospicere reliquos reges, quasi persequentem* (i. e. *persequendo*) *perfectam rempublicam.* Quae ratio aliquanto videtur contortior. Mn.

XII. 1. *Vt ipse gereret.* Ita Cod. sec. manu; at pr. fecit *regeret*, quam emendationem haud recipio: prior enim scriptura et latino sermoni satis congruit, et elegantior est quam *regeret sine rege.* Eamdem tamen scripturae varietatem apud Augustinum observabimus in huius libri fine A. M. — Ita sine ullo verbo. De re confer Cic. de Or. I, 9, et Tusc. IV, 1. A. M.

2. *Interregni ineundi.* Vid. Liv. VI, 1: *interregnum initum*: ad quem locum vid. interprr. in ed. Drakenb. Stuttg. tom. III, P. II, p. 17 sq. Conf. Liv. V, 17: *ut... auspicia de integro repeterentur et interregnum iniretur.* Vid. Cr. Antt. Romm. p. 177 sq. Mn.

3. *Quaeri oportere.* Sic de Romanis apud Livium IV, 3, loquitur Canuleius tribunus, et sic Rutilius in Itiner. I, 14. A. M. (Sed vide tamen infra c. 17 pr. notam A. M. Cn.).

XIII. 1. *Numam Pompilium.* Si Servium audias ad Aen. VI, 809, proprium nomen fuit *Pompilius*, cui

alienigenam, patribus auctoribus, sibi ipse populus adscivit; eumque ad regnandum, Sabinum hominem, Romam Curibus accivit. [2] Qui ut huc venit, quamquam populus curiatis eum comitiis [3] regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit; hominesque romanos instituto Romuli bellicis studiis ut vidit incensos, existimavit, eos paullum ab illa consuetudine esse revocandos.

XIV. Ac primum [1] agros, quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus, [2] docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos, colendis agris, abundare commodis omnibus; amoremque eis otii et pacis iniecit, quibus facillime iustitia et fides convalescit, et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenditur. [3] Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inventis, [4] ad pristinum numerum duo augures addidit, [5] et sacris e principum

postea accessit agnomen *Numa* ἀπὸ τῶν νόμων, ab inventione et constitutione legum. De virtute Numae satis hic Tullius; ad sapientiam quod attinet, Tullius idem, Or. III, 51, eum vocat *doctissimum*. A. M.

2. *Romam Curibus accivit.* Praeter Numae virtutem, illae quoque causae eum ad regnum vocaverunt, quod Sabinis, iam inde ab Tatio Romae incolis, Sabinus rex erat concedendus; quodque Numa Tatii filiam habebat in matrimonio. Plut. Num. 2. Quin progenie formaque regia erat. Dionys. II, 58. Anno aetatis XL regnum adiit, natus scilicet cum ipsa Roma. Dionys. ibidem; Dio Frag. XX; Plut. Num. 3. A. M.

3. *Curiatis eum comitiis.* Conf. Cr. Antt. Romm. p. 111 sq. 120, et de lege curiata ib. p. 112 ibiq. laudd. Mn.

XIV. 1. *Ac primum.* Nonius, qui hunc locum e II de Rep. citat voc. *viritim*, habet *primus*. A. M.

2. *Divisit viritim civibus.* Nimirum egenis illis et novitiis, qui nihil a Romulo acceperant. Dionys. II, 62. A. M.

3. *Frugum defenditur.* Hac de causa Numa *Termino* et *Fidei* fana et sacra constituit, Plutarch. Num. 16; Dionys. II, 74, 75. Fides in Capitolio vicina Iovis erat. Cic. Offic. III, 29. A. M.

4. *Maioribus inventis.* Puta ad fulminum curationem; qua super re vide Plutarchum Num. 15; Livium I, 20. Tum morem romanum dandi operam, ut priora auguria posterioribus confirmarentur, attingit Servius ad Aen. II, 691. A. M.

5. *Augures addidit.* Quinque nimirum evaserunt augures, servato numero impari. Recole cap. 9. A. M.

numero pontifices quinque praefecit;[6] et animos propositis legibus his, quas in monumentis[7] habemus, ardentes consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit; adiunxitque praeterea flamines,[8] salios,[9] virginesque vestales;[10] omnesque partes religionis statuit sanctissime. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem,[11] apparatum perfacilem esse voluit. Nam quae perdiscenda, quaeque observanda essent, multa constituit, sed ea sine impensa: sic religionibus colendis operam addidit, sumptum removit.[12] Idemque mercatus, ludos, om-

6. *Pontifices quinque praefecit.* Si Livium consulas X, 6, quatuor tantum fuisse videbuntur veteres illi Numae pontifices; quorum numerus duplicatus est Valerio et Apuleio coss. adsumptis de plebe totidem. Sylla demum pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim. Liv. epit. LXXXIX. Lydus I, 45, quatuor scribit pontifices a plebe creatos. A. M.

7. *Monumentis habemus.* Numae leges commemorantur infra lib. V, 2. Insuper a Gellio IV, 3; Servio ad Aen. VI, 860; Festo voc. *pellices*; Aurelio Vict. in Numa; Augustino C. D. lib. II. cap. 16. Eae leges fuerunt in iure civili Papiriano Dig. I, 2, 2. A. M.

8. *Praeterea flamines.* De tribus a Numa institutis flaminibus vid. quae collecta sunt in Rosini Corp. Antt. Romm. p. 209 seq. Sed plures etiam ibidem enumerantur flamines p. 212, v. c. *Volcanalis*, *Volturnalis*, *Furinalis*, *Floralis*, *Falacer*, *Pomonalis*, *Virbialis*, *Carmentalis*, rell. Mr. — Flamines tres, Dialem, Martialem, et Quirinalem. Augustin. Civit. D. I, 15. A. M.

9. *Salios.* Salios Martis sacerdotes duodecim, Aur. Vict. in Numa. Quin Salias quoque virgines commemorat Festus; saliare autem Numae carmen Horatius Epist. II, 1, 86. A. M.

10. *Virginesque vestales.* De Vesta et Vestalibus exstat singularis Iusti Lipsii liber, qui est in Vesaliensi operum eius editione tom. III, p. 1069-1116, in Plantiniana tom. III, Part. II. Fusius item et docte disputatur de eadem re in Hofmanni Lexico universali tom. IV, pag. 613-615; apud Rosinum l. c. p. 216 sq. nunc vero in primis Creuz. Symb. et Myth. II, p. 622-639 ibiq. laudd. Mr. — Quatuor fuisse institutas a Numa Vestales, quibus postea duae accesserint, nempe a Prisco rege, ait Dionysius II, 67, et III, 67. A. M.

11. *Diligentiam difficilem.* Tertullianus Apol. cap. 21: *Numa Romanos operosissimis superstitionibus oneravit.* A. M.

12. *Sumptum removit.* Cic. Leg. II, 8, ex duodecim tabulis: *ad divos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento*; quam doctrinam pergit idem Cicero sapienter explicare cap. 10 et 16. Rei meminit etiam Parad.

Digitized by Google

nesque conveniundi causas[13] et celebritates invenit;[14] quibus rebus institutis, ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam[15] immanes ac feros. Sic ille quum undequadraginta annos[16] summa in pace concordiaque regnavisset (sequamur enim potissimum Polybium[17] nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior), excessit e vita, duabus praeclarissimis ad diuturnitatem reipublicae rebus confirmatis, religione atque clementia.[18]

I, 3. Adi praeterea Tertullianum Apol. cap. 25. Vnam excipit Cicero stipem ad Matris magnae cultum; verum Dionysius II, 19 observat hanc ipsam non a civibus, sed a Phrygibus colligi Romae solitam. Cur autem ea stips quaereretur, docet Ovidius Fast. IV, 350. Quia tamen sine sumptu sacra curari nequeunt, Romulus ante Numam ex aerario publico pecuniam ad id conferri iusserat, ut ait Dionysius II, 23. Numae Postumia lex erat *vino rogum ne respergito*, Plin. XIV, 12, id quod ab eo statutum propter parsimoniam est. A. M.

13. *Mercatus... causas.* Nundinarum auctorem, non Numam, sed alii Romulum, alii Servium Tullium faciunt apud Macrobium Sat. I, 16. Apud Servium ad G. I, 275, *Varro dicit antiquos nundinas feriatis diebus agere instituisse, quo facilius commercii causa ad urbem rustici commearent* A.M.

14. *Celebritates invenit.* Cur antiqui legumlatores voluptates in festa contulerint, sapientem causam tradit Athenaeus, Noctt. Att. lib. VIII, cap. 16, nempe ut modeste et pudice homines genio indulgerent. A. M.

15. *Studiis bell. iam.* Ita Cod. sec. manu; at pr. *tam*. A. M. — Restituit Steinack. lect. primae manus *tam*, sine dubio existimans velle nostrum significare Numam homines *tam* immanes et feros, quales eos fuisse sciamus, ad humanitatem et mansuetudinem revocasse. Sed ego ab hac sententia recessi, admonitus a Cr. exeunte cap. 12 dici: *hominesque romanos institutis Romuli bellicis studiis ut vidit incensos*. Ad rem cf. Liv. I, 19. Mn.

16. *Vndequadraginta annos.* Dionysius I, 75, et II, 76, Livius I, 21, Solinus cap. 2; Eutropius I, 2; Rufus cap. 2 regnantis Numae annos scribunt tres supra quadraginta. Verum Eusebius et Cassiodorius in chronicis et historia miscella duos detrahunt, Polybius autem quatuor; cuius postremae sententiae, annorum nempe XXXIX, meminit Augustinus C. D. III, 9, Ciceronis locum, ut puto, respiciens. A. M.

17. *Potissimum Polybium.* Regum romanorum historiam videtur Polybius sexto libro praelibavisse, si certe vera est inscriptio *sexti libri* in Valesianis excerptis, ubi Tarquinii Prisci res attinguntur. A. M.

18. *Religione atque clementia.* Cod. *religionem atque clementiam*. A. M.

XV. Quae quum Scipio dixisset, Verene, inquit Manilius, hoc memoriae proditum est, Africane, regem istum Numam Pythagorae ipsius discipulum, an certe Pythagoreum fuisse? [1] Saepe enim hoc de maioribus natu audivimus, et ita intelligimus vulgo existimari: neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus. — Tum Scipio, Falsum est enim, [2] Manili, inquit, id totum; neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum: [3] ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum facta [4] esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus. Nam [5] quartum iam annum regnante Lucio Tarquinio Superbo, Sybarim, et Crotonem, et in eas Italiae partes Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium, et Pythagorae declarat adventum. Ex quo intelligi, regiis annis dinumeratis, potest, anno fere

XV. 1. *Pythagoreum fuisse.* Quare Manilius Aemilianum de Pythagora rogitat? idcirco fortasse, quia nonnulli existimabant (Plut. Num. 8, et Fest. voc. *Aemiliam*) gentem Aemiliam a Mamerco, cognomine Aemilio, Pythagorae filio, genus ducere. A. M.

2. *Falsum est enim.* Hic superponitur in codice *enim* posteriore manu (quod recipiendum est. A. M. in Emm.)

3. *Absurdeque fictum.* Fabulam non hic solum, verum etiam de Or. II, 37; Tusc. I, 16, IV, 1, refutat Cicero, et praeterea Dionysius II, 59; Livius I, 18, et XL, 29; Plutarchus Num. 1; Gellius XVII, 21. Erroris fontes fuerunt, 1° quia Numa suscepit imperium Olympiade, qua vicit Pythagoras Laco: quum autem Olympionicae in Graecia essent eponymi, ut Romae consules, quumque nomen congrueret, famosior philosophus Olympionicae aetatem occupavit. Quid quod Samius quoque Pythagoras quidam inter celebriores Olympionicas ponitur apud Eusebium Olympiade XLVIII? 2° Quia Pythagoras Italiam, ubi regnavit Numa, incoluit. 3° Quia Pythagorae Numaeque leges atque sapientia inter se conspirare visae sunt. A. M.

4. *Quae non solum facta.* Ita Cod. pr. manu; at sec. *falsa*. Scilicet emendator ignorabat, recte et eleganter dici *non solum sed*, omisso *non*; quam particulam Cicero et Caesar fere non ponunt. A. M.

5. *Nam.* Nullus dubito, quin ea, quae sequuntur, a Polybio sint, quem auctorem sequitur Cicero in rebus romanorum regum scribendis. A. M.

Digitized by Google

centesimo et quadragesimo post mortem Numae primum Italiam Pythagoram attigisse: neque hoc inter eos, qui diligentissime persequuti sunt temporum annales, ulla est umquam in dubitatione versatum. — Dii immortales! inquit Manilius, quantus iste est hominum, et quam inveteratus error! [6] Ac tamen facile patior, non esse nos transmarinis, nec importatis artibus eruditos, sed genuinis [7] domesticisque virtutibus. [8]

XVI. Atqui multo id facilius cognosces, inquit Africanus, si progredientem rempublicam, atque in optimum statum naturali quodam itinere et cursu venientem videris; quin hoc ipso sapientiam maiorum natu [1] esse laudandam, quod multa intelliges etiam

6. *Inveteratus error!* Antiquissimus sine dubio error; namque apud Eusebium Chron. I, 5, 9, eum sequitur Polyhistor cum Beroso nec non Abydenus, apud quos Pythagoras floruit sub Senecherimo et Ezechia regibus, id est Numae aetate. Errorem (quamvis meliora, ut puto, edoctus) poëtica licentia retinet Ovidius Fast. III, 153, nec non Metam. XV, ut Numam scilicet Pythagorae praeceptis imbutum canere possit. Eamdem opinionem sequi videtur Hieronymus contra Iovin. II, 38, cuius loci sententia frustra torquet Vallarsium. Neque abludit Augustinus ep. CII, 13. Sed contra Clemens Strom. I. Rursus idem Augustinus ep. CXXXVII, 12, a veritate recedit, quum ait: » Pherecydes Assyrius (l. *Syrius*, ex insula Syro. Cic. Tusc. I, 16, 38. Mn.) Pythagoram Samium ex athleta in philosophum vertit «. Eruditi enim ab hoc etiam Samio Olympionica philosophum discernunt. A. M.

7. *Sed genuinis.* Videlicet voce *genuinus* alibi non ita usus est, ut sit, i. q. γνήσιος vel *proprius*, *patrius*, sed modo dixerat *dentes genuini*, quos Graeci κραντῆρας et σωφρονιστῆρας appellant: qua de re diximus in Indice ad Cr. nostramque ed. Cic. de Nat. Deor. maiorem p. 823, et accuratius etiam in ed. min. ad II, 54, 134, p. 160. Mn.

8. *Domesticisque virtutibus.* Haec sententia Catonis senioris est, apud Plutarch. in eius vita 22, 23. A. M.

XVI. 1. *Sapientiam maiorum natu.* Coniecit I. V. L. *natus*. *Natu*, quod hab. Cod. respuit Mos. dicens: Si h. l. *maiores natu* ponuntur pro *maioribus*, exemplum admodum singulare est, neque Ciceronianum: deinde illo etiam loco possunt *maiores natu* intelligi, qui cum Iphicrate vixerunt quidem, neque vero aetatis eiusdem, sed aetate provecti essent. Ego vero loco supervacaneae illius vocis (*natu*) desidero vocem, quam Noster verbo *maiorum* alibi apponere solet, videlicet *nostrorum*, quae si forte aliquando

aliunde sumpta, meliora apud nos multo esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent, atque ubi primum exstitissent; intelligesque, non fortuito populum romanum, sed consilio et disciplina confirmatum esse,[2] nec tamen adversante fortuna.

XVII. Mortuo rege Pompilio, Tullum[1] Hostilium populus regem, interrege rogante, comitiis curiatis creavit; isque de imperio suo, exemplo Pompilii, populum consuluit curiatim. Cuius excellens in re

compendio fuit scripta NORV v. *noru*, facile transire potui in NATV v. *natu*, quod tam saepe voci *maiores* additum legerat librarius. Noster Parad. I, 1: *In quo equidem... maiorum nostrorum saepe requiro prudentiam*: et alia est eorum locorum ratio, quibus *maiores*, non addito possessivo, universe ponitur, v. c. de Off. I, 33, 121. A. M.

2. *Sed consilio et disciplina confirmatum esse, nec*, etc. Haud incommode laudat ad h. l. Villem. locum Bossuetii ex libro qui inscribitur, *Discours sur l'histoire universelle*, cuius nos verba hic repetemus; *De tous les peuples du monde le plus fier et le plus hardi, mais tout ensemble le plus réglé dans ses conseils, le plus constant dans ses maximes, le plus avisé, le plus laborieux, et enfin le plus patient a été le peuple romain. De tout cela s'est formée la meilleure milice et la politique la plus prévoyante, la plus ferme et la plus suivie, qui fût jamais.* Mn.

XVII. 1. *Tullum Hostilium.* Cur Tullus sit rex creatus, causam silet Cicero aliique vulgo auctores, seu veteres seu recentiores. Sed tamen egregia Dionysii varia lectio Tullum, ni fallor, declarat Romuli nepotem, natum scilicet e filia Hersiliae (quae quidem Hersilia Romuli uxor existimatur fuisse). Nimirum apud Dionys. III, 1, ubi vulgatus textus matrem Tulli dicit *Hersilii filiam*, vel ut quaedam exemplaria *Servilii*, prisci interpretes Lapus atque Gelenius legebant *Hersiliae filiam*, eamque diserte lectionem tuetur in notis Portus, citato alio Dionysii loco I, 45, ubi Hersilia venisse Romam cum filia dicitur. Si ergo Hersilia fuit Romuli uxor, utique huius filia Romuli saltem privigna fuit, si ea forte ante nuptias matris cum Romulo nata erat: ergo Tullus ex hac natus, Romuli nepos appellandus est. Pater autem Tulli Hostilius fuit, avus paternus ille Hostus a Romulo corona donatus, ut ait Plin. XVI, 4. En itaque quo iure Tullus romanum sceptrum adeptus est. Profecto, etsi romani reges suffragiis legebantur, nihilominus plerumque rationem cognationis in iis creandis habitam esse videmus (praeter quam in Prisco Tarquinio, qui parvulis Anci liberis regnum praeripuit). Numa quidem maritus Tatiae ex rege Tatio genitae. Tullus, ut dixi, Romuli nepos. Ancus natus e Numae filia. Servius Prisci gener. Denique Superbus soceri Servii regnum invasit. A. M.

Digitized by Google

militari gloria, magnaeque exstiterunt res bellicae. Fecitque idem et sepsit de manubiis [2] comitium et curiam; [3] constituitque ius, quo bella indicerentur; quod per se iustissime inventum sanxit fetiali religione,[4] ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur. Et ut advertatis animum, quam sapienter iam reges hoc nostri viderint, tribuenda quaedam esse populo (multa enim nobis de eo genere dicenda sunt), ne insignibus quidem regiis Tullus, nisi iussu populi, est ausus uti. Nam ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire [5] liceret [6] . . . . . [7]

2. *Sepsit de manubis.* Cod. pro *manubiis.* Ob has fortasse Tullus dicitur *dives* apud Hor. Od. IV, 7, 15. A.M.

3. *Comitium et curiam.* Eam scilicet, quae dicta est *curia Hostilia.* A.M. (Conf. Creuz. Antt. Romm. pag. 19. Ms.)

4. *Fetiali religione.* Consentit Livius I, 24. Verum Servius ad Aen. X, 14, ius fetiale institutum Romae ab Anco Martio dicit, qui id a gente Aequiculana arcessiverat. Conf. eumdem Servium etiam, Aen. VII, 695. Cum Servio Aurelius Victor cap. 5, conspirat. Dionysius autem II, 72, collegii fetialium institutionem repetit a Numa. A. M.

5. *Fascibus anteire.* Macrobius Sat. I, 6: *Tullus Hostilius, debellatis Etruscis, sellam curulem lictoresque et togam pictam atque praetextam, quae insignia magistratuum Etruscorum erant, primus ut Romae haberentur instituit.* Confer Plinium IX, 39, et Diodorum V, 40. Sed Dionysius III, 61, 62, lictores cum fascibus primum praeisse Tarquinio Prisco scribit de senatus populique, quem rex consuluerat, sententia: quamquam eum morem antiquiorem, et quidem ab ipso Romulo usurpatum, a quibusdam (quos inter est Livius I, 8) credi fatetur Dionysius. A. M.

6. Desiderantur paginae duae. Cetera, quae in lacuna perierunt, de his imperii ornatibus facile sarcit Dionysius loco praedicto. Atque oppido pauca brevi hoc in hiatu amisimus, praesertim si in eum incidunt verba ab Augustino servata. Hoc igitur spatio nihil fere dicere auctor potuit, nisi Tulli regis insignia eiusque interitum: quibus peroratis, alius nescio quis (num Laelius? Confer finem capitis 11) interloquitur, Scipionis sermoni plaudens, ut in proximo folio videre est. A. M.

7. Hic mihi videbatur collocandum fragmentum ab Augustino C. D. III, 15, servatum, cui sic praefatur: *de Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo rex fuit, qui et ipse fulmine absumptus est, dicit in eisdem (de Rep.) libris Cicero*: propterea et istum, *etc.* Ceterum hic Ciceronis locus videtur aliquantum ab ipso Augustino interpolatus, saltem quod attinet ad flexiones grammaticas. Iam

Propterea[8] et istum non creditum inter deos receptum tali morte, quia fortasse, quod erat in Romulo probatum, Romani vulgare noluerunt, si hoc et alteri facile tribueretur. *Augustinus*, *de Civ. Dei*, III, 15.

XVIII. . . . .[1] enim serpit, sed volat in optimum statum instituta tuo sermone respublica. — Scip. Post eum Numae Pompilii nepos ex filia[2] rex a populo est Ancus Marcius constitutus: itemque de imperio suo legem curiatam tulit. Qui quum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem. Atque idem Aventinum et Coelium montem adiunxit urbi;[3] quosque agros ceperat, divisit; et silvas maritimas omnes pu-

vero praedicto genere mortis periisse Tullum aiunt Livius I, 31; Plinius II, 53, XXVIII, 2; Victor; Eutropius; Valerius M. IX, 12, 1; Appianus apud Photium Cod. LVII. Dionysius autem III, 35, more suo varias eius interitus famas narrat. A. M.

8. *Propterea*, etc. Omiserunt hoc fragmentum pro suo consilio Heinr. et St. Schutzius id laudasse satis habuit; Lehnerus recepit, bene hic ab A. Maio collocatum esse iudicans. Cuius nos sententiae accedimus. Ma.

XVIII. 1. Maius supplet *neque*. I. V. L.

2. *Post eum Numae Pompilii nepos ex filia.* Numae filia, quae peperit Ancum regem, memoratur a Plutarcho in Numa cap. 21; a Dionysio II, 76, III, 35; a Livio I, 32, et ab Hieronymo in Chron. Anci origini Sabinae favet apud Probum ed. Gotof. p. 1398, Varro, qui *Ancum* praenomen a Sabinis translatum putat. (Sancus praecipuus Sabinorum deus. Lactant. Inst. I, 15. A. M. in Add.) — Hunc autem Ciceronis locum legebat Seneca ep. CVIII. A. M.

3. *Adiunxit urbi.* De Aventino consentiunt Dionysius III, 43, et Livius I, 33. Victor autem et Eutropius non solum Aventinum, verum etiam Janiculum urbi adiectum ab Anco aiunt. Sed enim Coelium Dionysius III, 1, et Eutropius, a Tullo adiunctum narrant, quod apparet etiam ex Livio I, 33. Unus Strabo lib. V, p. 358, Coelium ab Anco adiectum dixerat, uti nunc demum confirmat Cicero. Ceterum in his grandis est dubitatio, siquidem nonnulli apud Servium Aen. VI, 784, septem colles ab ipso Romulo inclusos muro dictitant; quod tamen est incredibile et absurdum: quamquam gravissimus auctor Varro apud eumdem Servium, Aen. VII, 657, Aventinum certe traditum Sabinis a Romulo susceptis ait. Coelius *mons*, non *collis*, constanter appellatus videtur a scriptoribus, quos inter est M. Aurelius ep. ad Front. II, 1. A. M.

Digitized by Google

blicavit,[4] quas ceperat; et ad ostium Tiberis[5] urbem condidit, colonisque firmavit. Atque ita quum tres et viginti regnavisset annos,[6] est mortuus. — Tum Laelius, Laudandus etiam iste rex; sed obscura est historia romana; siquidem istius regis matrem habemus, ignoramus patrem.[7] — Scip. Ita est, inquit; sed temporum illorum tantum fere regum illustrata sunt nomina.

XIX. Sed hoc loco primum videtur insitiva quadam disciplina doctior facta esse civitas. Influxit[1]

4. *Maritimas omnes publicavit.* Victor de Anco : *silvas ad usum navium publicavit.* Quod autem Cicero ait *maritimas*, id probat, silvam Maesiam, de qua Livius I, 33, non fuisse in mediterraneis, ut Cluverius putavit, sed propius mare circa ostia Tiberis, ut rectius in annot. geogr. affirmavit Holstenius. A. M.

5. *Tiberis urbem.* Ostiam scilicet, quae fuit instar navalis Romanorum, ut ait Dionysius III, 43; quale nonnullas mediterraneas Graeciae urbes percommodum habuisse observat Aristoteles Reip. VII, 6. Fossis etiam circumdatam ab Anco Ostiam ait Festus voc. *Quiritium.* A. M.

6. *Viginti regnavisset annos.* Ciceronis sententiam, qui Ancum regnavisse dicit annos tres et viginti, confirmat Eusebius Chron. lib. II, cum Samuele Aniensi, Chron. lib. I, 6. Iam quod idem Eusebius Chron. I, 46, scribit annos xxxiii, id mendum codicis Armenii est, a quo decussim merito demas. Dionysius autem I, 75, III, 45; Livius I, 35, atque Eutropius annos scribunt xxiv. A. M.

7. *Ignoramus patrem.* Haec in libris de Rep. legebat Seneca ep. CVIII. A. M. — Plutarchum in Numa si sequaris (XXI, 2, 3) haec efficitur progenies :

*Marcius*, homo Sabinus, Numae fautor, Hostilii in regno capessendo rivalis, Romae senator.
|
*Marcius*, eius filius et ipse Romae habitans — *Pompilia*, Numae filia, uxor.
|
*Ancus Marcius*, rex Rom. Ca.

XIX. 1. *Influxit enim*, etc. Monet ad h. l. Villem. illud ipsum, quod fatentur romani historici, quintum Romae regem fuisse hominem graecum, favere opinioni eorum, qui recenti tempore Romam coloniam graecam esse contenderint. Nihil tamen ea sententia profici, quum Roma iam ante hunc regem Corinthium habuerit opera magnifice exstructa, quae artium culturam haud mediocrem prodere videantur. Ancum Marcium, constat inter omnes, aquae ductum illum, ab ipsius nomine appellatum, exstrui iussisse, qui per complura saecula Romam advexerit aquam perennem eamque abundantem, Tiberina multo limpidiorem et salubriorem : qua de

enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. [2] Fuisse enim quemdam ferunt Demaratum Corinthium et honore, et auctoritate, et fortunis facile civitatis suae principem; qui quum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non potuisset, fugisse cum magna pecunia dicitur, ac se contulisse Tarquinios [3] in urbem Etruriae florentissimam. Quumque audiret dominationem Cypseli confirmari, [4] defugit patriam vir liber ac fortis, et adscitus est civis a Tarquiniensibus, atque in ea civitate domicilium et sedes collocavit. Vbi quum de matrefamilias Tarquiniensi duo filios procreavisset, omnibus eos artibus ad Graecorum disciplinam eru [5] . . . . . .

XX. . . .[1] facile in civitatem receptus esset; propter

re exstat Plinii testimonium, Histor. Nat. XXXI, 24. Mn.

2. *Disciplinarum et artium*. Notanda est haec artium et disciplinarum graecarum apud Romanos origo; quamquam infra de Rep. III, 3, docebimus, graecam sapientiam ante Scipionem et Laelium vix Romae esse gustatam. (De graecis artificibus, qui cum Demarato Tarquinios venerunt, lege Plinium H. N. XXXV, 3 et 12. A. M. in Add.)

3. *Tarquinios*. Hodie *Corneto*. Vid. *Micali, Italia avanti il dominio dei Romani*, ibiq. Tab. LI. Ca. — Ipsa Tarquiniorum rudera hodieque a Cornetanis dici *la Tarquinia* dicit L. Holstenius, a rusticis *la Turchina*. Dionysio Halic. dicitur haec urbs οἱ Ταρχύνιοι, Straboni et Stephano Byz. (ubi vid. Holst.) ἡ Ταρχυνία, Ptolemaeo Ταρκουῖναι, ubi sunt, qui legant Ταρκουίνιοι, quia Romanorum plerumque sequitur scriptionem Ptolemaeus. Minus bene, ut videtur, Heinr. in seqq. post *florentissimam* et *collocavit* sustulit distinctionem maiorem. Mn.

4. *Cypseli confirmari*. Tyrannidem quippe Cypselum annis xxx tenuisse docet Aristoteles Reip. V. 12; annis autem xxvm Eusebius Chron. lib. II. A. M.

5. Desiderantur paginae duae. A.M. — Idem supplet eru*dïit*.

XX. 1. Hoc loco Ciceronis quidem verba amisimus, haud tamen Tarquinii historiam, quam abunde supplent Dionysius III, 46-48, et Livius I, 34; nempe quod Demarati uterque filius, Aruus et Lucumo, uxores duxerint nobiles feminas Tarquinienses; quodque pater itemque maior natu filius obierint, totumque patrimonium ad minorem natu Lucumonem devenerit; qui, quum ab indigenis nullo satis digno pro tantis opibus honore adficeretur, Tanaquilla uxore hortante, Romam cum ingenti comitatu gran-

Digitized by Google

humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, usque eo, ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnes cives opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam, benignitas. [2] Itaque, mortuo Marcio, cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius: sic enim suum nomen ex graeco nomine [3] inflexerat, ut in omni genere huius populi consuetudinem videretur imitatus. Isque ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum; et antiquos patres maiorum gentium appellavit; quos priores sententiam rogabat: a se adscitos, minorum. [4] Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus: nec potuit Titiensium, [5] et Rhamnensium, et Lucerum mutare, quum cuperet,

dique re bona commigravit, non sine auspice regni aquila, quae Tarquinio apicem imposuit; quod ceteroqui prodigium irridet Cicero Leg. I, 1, et indignum historia existimat. Tanaquillam seu Caiam Caeciliam utrum laudaverit Cicero, incertum est; quae certe optimae uxoris apud Romanos exemplum habita fuit. Lege Probum de nom. imp. ed. Gotof. p. 1400; necnon Hieronymum contr. Iovin. I, 49, a quo Tanaquilla dicitur notior marito suo. A. M.

2. *Benignitas.* Quem laudat A. Maius Polybium 10, p. 455 Schwgh. eum potissimum h. l. sequitur Tullius. Ad Livii I, 54, quod laudat A. Maius, adde c. 35, ubi, quibus artibus Anci filios regno privarit Tarquinius, narratur. Regni autem eius initium cadit in Olymp. XL, 2, V. C. 139, ante Chr. n. 615. Larcheri Chronol. pag. 609. Cr.

3. *Ex graeco nomine.* Dionys. Halic. III, 48, p. 542 Reisk. ἐξομοιοῦσθαι καὶ κατὰ τοῦτο αὐτοῖς βουλόμενος Λεύκιον μὲν ἀντὶ Λυκόμωνος τίθεται τὸ κοινὸν ὄνομα, Ταρκύνιον δὲ τὸ συγγενικόν, ἐπὶ τῆς πόλεως, ἐν ᾗ γενέσεώς τε καὶ τροφῆς ἔτυχεν. Cr.

4. *Minorum.* Hic quoque magna controversia est, nam Tacitus Annal. XI, 25, familias maiorum gentium a Romulo, minorum a Bruto appellatas existimat. P. Victor region. II minorum gentium institutionem conferre videtur in Tullum Hostilium; Servius ad Aen. I, 426, in Servium Tullium. Sed cum Cicerone satis consentiunt Dionysius III, 67; Livius I, 35; Aur. Victor denique cap. 6, qui hunc Ciceronis locum presse imitatur. A. M.

5. *Titiensium.* De re conf. supra II, 8. Cr.

nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius[6] non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis assignandis et alendis, orborum et viduarum tributis, fuisse quondam diligentes.[7] Sed tamen, prioribus equitum partibus, secundis additis, ∞ ac cc fecit equites; numerumque duplicavit, postquam bello subegit[8] Æquorum magnam gentem, et ferocem, et rebus populi romani imminentem. Idemque Sabinos quum a moenibus urbis repulisset, aequitatu fudit, belloque devicit.[9] Atque eumdem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt,[10] fecisse accepimus; aedemque in Capitolio Iovi optimo maxi-

6. *Navius.* Nevii, seu Navii gloriam praedicat Dionysius III, 70. A. M.

7. *Fuisse quondam diligentes.* Aptе mentionem Corinthi in Tarquinii institutionibus facit Cicero; indidem quippe fuit Tarquinii pater, unde et instituta deportavisse credendus est. Non est autem, cur miremur Corinthiorum in orphanos viduasque duritiam; nam et Dionysium Siculum narrat pseudo-Aristoteles Oecon. II, ed. Casaub. p. 286, reditus orphanorum, donec tutela exissent, sibi vindicavisse; et Livius I, 34, lege Servii Tullii ait ad equos alendos viduas fuisse adtributas, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. Sed enim orphanorum viduarumque tributum clementior Publicola remisit. Plut. in eius vita cap. 12. A. M.

8. *Postquam bello subegit.* Mirum est, quod apud alios rerum romanarum scriptores nihil de hoc Tarquinii Prisci bello cum *Aequis*, quos bello hic subactos ab eo ait Cicero, relatum legimus. Sed quum Aequi potuerint Sabinis adnumerari, quod hic de Aequis narratur, ad Sabinos non semel ab illo rege victos (ut est apud Dionys. Halic.) potest referri, quamquam hic ab iis distingui videntur. Mr. — *A. Poirson, Hist. Rom.* t. I, p. 49, conj. *Etruscorum.* I. V. L.

9. *Belloque devicit.* Tusciae praeterea populos a Prisco devictos narrant Flor. I, 5, et Oros. II, 4: veteres Latinos Livius I, 38, et Victor. c. 6. A. M.

10. *Lud. maximos, qui Romani dicti sunt.* Ascon. Pedian. ad Cic. or. in Verr. Act. I, 10, 31, *Romani*, sit, *ludi* sub regibus instituti sunt, *magnique* appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo *magnos ludos* dictos putant, quod *Conso*, consiliorum secretorum deo, id est Neptuno, Larium regi et rerum conditarum, et diis *magnis*, id est, Laribus urbis Romae, dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virgilius: *magnis Circensibus actis*: nam et magni et Circenses iidem sunt. Sed plura de his ludis vide apud Rosinum l. c. p. 341 ed. Amstel. 1685. Mr. — De his Tarquinii ludis Livius I, 35: *solemnes deinde annui mansere ludi*,

Digitized by Google

mo, bello Sabino, in ipsa pugna vovisse faciendam,[11] mortuumque esse, quum duodequadraginta regnavisset annos.

XXI. Tum Laelius, Nunc fit illud Catonis certius, nec temporis unius, nec hominis esse constitutionem reipublicae: perspicuum est enim, quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. Sed sequitur is, qui mihi videtur ex omnibus in republica vidisse plurimum.[1] — Ita est, inquit Scipio. Nam post eum Servius Sulpicius[2] primus iniussu populi regnavisse traditur: quem ferunt ex serva Tarquiniensi natum,[3] quum esset ex quodam regis cliente conceptus. Qui quum famulorum numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii,[4] quae

*Romani magnique varie appellati.* Hi fiebant mense septembri, teste Amiternino kal. apud Fogginium. A. M.

11. *Aedemque... vovisse faciendam.* Cap. 24 legimus, eius demum filium votum patris Capitolii aedificatione persolvisse: ipse nonnisi Tarpeiae rupis verticem aequavit, locumque templo exstruendo assignavit. Conf. Dionys. Halic. III, 92. Mn. — Iacta etiam a Prisco Capitolii fundamenta aiunt Livius I, 38; Tacitus Hist. III, 72. A. M.

XXI. 1. *In republica vidisse plurimum.* Servii Tullii laudes magnificas habes apud Plutarchum de fort. R. t. VII, p. 278. Hic rex tanti Romae fuit, quanti fere postea Sixtus V. P. M. si tam remota tempora et mores inter se contendere licet. A. M.

2. *Sulpicius* codex; quamquam sec. manu expunctis literis videtur factum *Tullus*. Praenominis certe varietas explorata est; namque ab Eusebio Chron. I, 46-47, et in tabulis, itemque in scholio Sigonii ad Livium X, 46, dicitur *Servilius*, quae est derivatio a *Servio*. Sane et *Servius Sulpicius Galba* imp. dicitur *Servilius Sulpicius Galba* a Zonara XI, 13. Vtrum vero apud aliquem auctorem rex hic non *Tullus* seu *Tullius* audiat, sed *Sulpicius*, nondum equidem novi; factum tamen puto, quandoquidem in Coquaei adnotationibus ad Augustinum C. D. XVIII, 37, video diserte hunc regem dici *Servium Sulpitium*. — *Servius Tullius.* Ita cum Heinr. et Sch. necessario rescribendum fuit; quod vidit etiam Lehnerus. Nam quod in cod. est *Sulpicius*, id facile in calamum venire potuit homini, qui in historia romana toties *Servii Sulpicii* nomen legisset, quum plures eiusdem nominis variis temporibus fuerint viri celebres, a. V. C. 254, 397, 604, 710, 785. Mn.

3. *Tarquiniensi natum.* Locum in libris de Rep. legebat Seneca epist. CVIII. A. M.

4. *Non latuit scintilla ingenii.* Alludit Cicero ad fabulam flammae quae

iam tum elucebat in puero: sic erat in omni vel officio, vel sermone solers. Itaque Tarquinius, qui admodum parvos tum haberet liberos, [5] sic Servium diligebat, ut is eius vulgo haberetur filius: atque eum summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum erudiit. [6] Sed quum Tarquinius insidiis Anci filiorum interisset, Serviusque, ut ante dixi, regnare coepisset non iussu, sed voluntate atque concessu civium; quod, quum Tarquinius ex vulnere aeger fuisse, et vivere falso diceretur, ille regio ornatu ius dixisset, obaeratosque pecunia sua liberavisset; multaque comitate iussu Tarquinii se ius dicere probavisset: non commisit se [7] patribus, sed, Tarquinio sepulto, populum de se ipse consuluit; iussusque regnare, legem de imperio suo [8] curiatam tulit. Et primum Etruscorum iniurias bello est ultus; ex quo quum ma [9] . . . .

e capite dormientis pueri exarsit. A. M.

5. *Tum haberet liberos.* Immo vero Dionysius III, 65, masculini sexus liberos Tarquinio non fuisse ait; qui tamen sibi contradiceret IV, 4, ubi Tarquinium decessisse ait relictis duobus infantibus υἱοῖς (quae lectio confirmatur a Vaticanis codicibus); nisi ipse veram suam lectionem esse υἱωνοὺς *nepotes* ostenderet IV, 4, 6, 7 sqq. ubi contra Fabium aliosque historicos disputat, qui omnes (Pisone excepto) filios masculos Tarquinio Prisco concesserant; quibus cum historicis conspirat Cicero, nec non Livius I, 46, et Strabo V, pag. 336. Quamquam horum omnium auctoritas haud satis infirmat rationes, quas Dionysius pro sua sententia protulit. Mn.

6. *Graecorum erudiit.* Confer Livium I, 39. Adolescentis Servii Tullii strategema narrat Frontinus II, 8. A. M.

7. *Non commisit se patribus.* Patres infensos Servio fuisse, quum aliunde, tum etiam ex Paulo liquet: *patricius vicus Romae dictus eo, quod ibi patricii habitaverunt, iubente Servio Tullio, ut, si quid molirentur adversus ipsum, ex locis superioribus opprimerentur.* A. M.

8. *Legem de imperio suo curiatam tulit.* Copiose scribuntur haec a Dionysio IV, 8, 40. Sed contra omnino Livius I, 41: *Servius primus iniussu populi, voluntate patrum, regnavit.* Idem tamen Livius I, 46, narrat Servium, postquam usu haud dubium possederat regnum, et plebem agro donato illexerat, tulisse demum ad

XXII.[1] ..... duodeviginti censu maximo.[2] Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato, reliquum populum distribuit in quinque classes,[3] senioresque a iunioribus[4] divisit; eosque ita disparavit,[5] ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent; curavitque, quod semper in republica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi. Quae descriptio, si esset ignota vobis, ex-

populum, vellent iuberentne se regnare? omniumque consensu regem esse declaratum. A.M.

9. Desiderantur paginae duae. — Ex Dionysio IV, 29, supplendum videtur *ex quo quum magnam* (scribe *maximum agrum*: neque enim *magnum* divideretur, nisi post *g*. Confer p. 165, n. *b*. Quare τὸ *ma* non licet explere *magnum* aut *magnam*. A.M. in Emm.) *agri partem Caeretanis, Tarquiniensibus Veientibusque ademptam nactus esset, eam inter cives novissime adscriptos divisit.* Namque ipsum bellum Etruscum, etsi Dionysius in extremos, Livius tamen, I, 42, in primos Servii annos confert. Immo vero Victor ait, Etruscos saepe ab eo fuisse domitos. Agri ceteroqui publici inter cives divisi a Servio regnum adeunte meminit ipse Dionysius IV, 13. Reliqua pars lacunae occupatur initio describendi census ordinumque civilium. A.M.

XXII. 1. Supplet Maius, *scripsit centurias equitum.*

2. *Duodeviginti censu maximo. Deinde equitum.* Ad h.l. Franckius in libro De Tribuum, Curiarum atque Centuriarum ratione, p. 25 sq. haec coniecit: » Ego universam Ciceronis sententiarum seriem ita fere esse restituendam, certo affirmare ausim: *Universum populum non iam ut Romulus secundum gentes, sed, quoniam earum discrimen iam paene abolitum videbatur, e locis in tribus descripsit duodeviginti. Censu maximo deinde equitum magno numero separato, etc.*« Quae quidem probabiliter videntur disputata. Quod vero, ut probaret, *deinde* tertio loco stare posse, laudavit Liv. III, 55. *Per interregem deinde*, etc. poterat laudare Ciceronem ipsum ad Qu. Fr. III, 8: *Quas ad te deinde literas mittemus.* Ma.

3. *In quinque classes.* Non contradicunt sibi invicem Livius I, 43; Dionysius IV, 16-18, p. 676-682, VII, 59, p. 1449-1452, qui *sex classes* esse institutas civium narrant, et Cicero h.l. Sallust. de ord. Rep. II, 8, ipse Livius III, 30, aliique, qui *quinque* tantum nominant. Extrema enim classis ab his est omissa, quum neque tributa penderet, neque militaret, et una tantum centuria contineretur. Ma.

4. *A iunioribus divisit. Iuniores* appellavit Servius ab anno XVII usque ad XLVI; supraque eum annum *seniores*, ut ait Tubero apud Gellium X, 28. A.M.

5. *Disparavit.* Est graecum διέζευξε, i.q. distinxit, seiunxit. Caesar, B.G. VII, 28; Plaut. Rud. Prolog. V, 10. Ca.—Non legitur hoc verbum finitum in reliquis Ciceronis libris: semel autem *disparatus*, adiectivi vi, de Invent. I, 28, 42. Ma.

**plicaretur a me: nunc rationem videtis esse [6] talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXIX centurias habeat; quibus ex cent. quatuor centuriis [7] (tot enim reliquae sunt) octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum [8] neque excluderetur suf-**

6. *Nunc rationem videtis esse talem.* De hoc loco, paene desperato, litem ortam esse inter Niebuhrium et Steinackerum, eique liti se plures etiam viros doctos immiscuisse, nemo est, omnium, quibus quidem hae literae curae cordique sint, qui nesciat. Nos vero, quum de ea re loqui longum sit, disputationem de hoc loco in Excursum reiecimus, ad calcem operis appositum, in contextu vero servavimus lectionem sec. manus, quam exhibet A. Maius: non quod eam prae ceteris probaremus, sed quod nullam adhuc rationem excogitatam esse existimamus, quae nihil haberet dubitationis. Ma.

7. *Cent. quatuor centuriis.* Cod. sec. manu, *cent. quattor centuriis*; at pr. manu: *VIIII centurias*; *tot enim reliquae sunt*, sine illis verbis *habeat quibus ex cent. quattor centuriis.* Totum hunc vexatissimum locum Ill. Niebuhrius sic esse persanandum docte arbitratur: *ut equitum centuriae cum sex suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris* tignariis *est data*, LXXXVII *centurias habeant*: *quibus* XII *centuriae, tot enim reliquae sunt equitum, solae si accesserunt, etc.* Scilicet erunt tunc IC centuriae, oppositae reliquae multitudini XCVI centuriarum. Ma.

8. *Maior multitudo sex et nonaginta centuriarum.* Quo pacto 96? videtur Cicero dare secundae classi centurias 20; tertiae rursus 20; quartae item 20; quintae 30; quarum summa 90: quibus addit 6, nempe accensorum, velatorum, liticinum, cornicinum, proletariorum, et ni quis scivit; de qua postrema locum Festi mox proferemus. Apud Dionysium, lib. IV, 16-18, sic:

| | | | |
|---|---|---|---|
| II. | classis | cent. | 20 |
| | fabrum | cent. | 2 |
| III. | classis | cent. | 20 |
| IV. | classis | cent. | 20 |
| | tubicinum et cornicinum | cent. | 2 |
| V. | classis | cent. | 30 |
| VI. | classis | cent. | 1 |
| | | | 95 |
| I. | classis | cent. | 80 |
| | equitum | cent. | 18 |
| | | | 193 |

Igitur quinque priorum classium centuriae fuerunt 192, quarum dimidia pars 96: quamobrem ad obtinenda comitia opus erat centuriis 97. Itaque si prima classis centuriarum 98 conspirasset, res erat confecta: alioqui oportebat e sequentibus classibus tantum sumere donec centuriae 97 conspirarent. Quod si forte utrimque par numerus, nempe 96 consisterent, addebatur alterutri parti classis ultimae

fragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum. In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui quum locupletes assiduos appellaret ab aere dando; eos, qui aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum, praeter caput, attulissent, proletarios[9] nominavit; ut ex iis quasi proles, id est, quasi progenies civitatis exspectari videretur. Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur, quam paene in prima classe tota.[10] Ita nec prohibebatur quisquam iure suffragii; et is valebat in suffragio plurimum, cuius plurimum intererat esse in optimo statu civitatem. Quin etiam accensis, velatis, liticinibus, cornicinibus proletariis[11] . . . . . .

sive sexta, quae lancem inclinabat. A. M.

9. *Proletarios nominavit.* Accuratius Paullus apud Gell. XVI, 10: *qui in plebe romana non amplius quam mille quingentum aeris in censum deferebant, proletarii appellati sunt: qui nullo, aut perquam parvo aere censebantur, capite censi vocabantur. Proletariorum ordo honestior aliquanto et re et nomine, quam capite censorum fuit.* A. M.

10. *Quam paene in prima classe tota.* Quia nimirum in omni populo multo pauciores divites sunt egentibus aut tenuibus. A. M.

11. *Quin etiam accensis, velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis.* Niebuhrius suspicatur accensos et velatos ex proletariorum numero fuisse sumptos. In inscriptionibus, idem monet, ex imperatorum temporibus *accensus velatus* sine distinctione ut titulus vel centuriae nomen legitur. Steinack. autem (*Replik*, etc. p. 14) dicit se distinctionem inter utrumque vocabulum sublatam voluisse, id vero a correctore fuisse neglectum. Omnia loca, quibus *accensi* nominantur, qui erant in exercitu, quique item nominibus *Optionum*, *Adoptatorum*, *Adscriptivorum*, *Ferentariorum* appellantur, collegit Burchardus l. c. pag. 60 sq. Cens. Ien. l. c. p. 322, contra Steinack. recte monet, non debuisse eum irasci correctori, quod distinctionem non sustulerit, quae si absit seriore tempore, id factum esse ut in trita illa senatus allocutione *Patres conscripti*. *Accensos* idem monet Livio teste ex quinta classe fuisse sumptos. De *accensis* vid. Creuz. Antt. Romm. pag. 95. De *velatis* Festus in *velati* et *adscriptitii*, velatos esse dictos ait, quia vestiti inermes exercitum sequebantur. Ms. — Desiderantur paginae quatuor. — In lacuna periit reliqua census descriptio: tum aliae fortasse res a Servio gestae, et apud historicos celebratae; nempe quod urbis moenia pomoeriumque protulerit, aggerem fossamque fecerit, Quirinalem, Viminalem et Esquilinum incluserit,

XXIII. Statu esse optimo constitutam rempublicam, quae ex tribus generibus illis, regali, et optimati, [1] et populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum [2] ..... *Nonius*, IV, 292.

. . . .[3] sexaginta annis antiquior quod erat [4] XXXIX ante primam olympiadem condita. Et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. Itaque ista aequabilitas, atque hoc triplex rerumpublicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse. [5]

Dianae aedem celebrem in Aventino struxerit (aedem item Fortunae, Liv. X, 46), aes primus romanorum regum signaverit, mensuras et pondera constituerit. Quibus narratis videtur Cicero instituisse comparationem romanae reip. cum Lacedaemonia et cum Carthaginiensi. A. M.

XXIII. 1. *Optimati*. Neutro genere hoc adiectivum alibi non legi videtur: semel feminino, sed plurali numero (ut plerumque de viris usurpatur, qui sunt proceres civitatis) in loco Ennii, quem laudat Noster, Epp. ad Fam. VII, 6: *arcem altam habebant matronae opulentae, optimates*. Ma.

2. *Immanem ac ferum*. Locum a Nonio sumo, qui voc. *modicum* citat eum e lib. II de Rep. Videtur autem ad hanc sedem quadrare, in qua sermo est de triplici politiae genere. Quamquam et alibi non absurde poni posse videtur. De laudabili principis clementia Cassiodorus, Var. I, 30. A. M.

3. Quoniam hic sine dubio comparatur Carthaginis aetas cum Romae aetate, diciturque Carthago antiquior quam Roma, ausus sum addere *quinque* ad *sexaginta*. Quum enim supra Cicero dixerit Romam conditam anno secundo Olympiadis septimae, id est, anno sexto et vigesimo post coeptas Olympiadas; hic autem dicat Carthaginem conditam anno nono et trigesimo ante primam Olympiadem; sequitur, ut Carthago quinque et sexaginta annis sit Roma antiquior. Vtor autem locuplete sententiae auctore Velleio I, 6: *ante annos quinque et sexaginta quam urbs romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur*. Neque fere nisi paucis fortasse annis ab hac sententia recedunt prisci sculptores. Horum sententiae eo fere recidunt, ut Carthago annos prope 700 vixerit. A. M.

4. *Quod erat XXXIX*. Apud Dionysium I, 74, Timaeus Romam conditam dicit eodem tempore, quo Carthago, nempe anno, ut ipse putat, XXXVIII ante primam Olympiadem, ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ πρότερον ἔτει τῆς πρώτης Ολυμπιάδος. Id vero notare non fuit inutile, propterea quod Cicero scribit XXXIX, et aliter sentit de duarum urbium aetate. A. M.

5. *Populis fuisse*. Spartae statum civilem rege gemino, delectis proceribus, et potestate populari fuisse mixtum, nemo ignorat. Ad Poenos quod attinet, Cato apud Servium, Aen. IV, 682, ait: *de tribus partibus*

Sed quod proprium sit in nostra republica, quo nihil possit esse praeclarius, id persequar, si potero, subtilius, quod erit eiusmodi, nihil ut tale ulla in republica reperiatur. Haec enim, quae adhuc exposui, ita mixta fuerunt et in hac civitate, et in Lacedaemoniorum, et in Carthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo. [6] Nam in qua republica est unus aliquis perpetua potestate, [7] praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut tum fuit Romae, quum erant reges; ut Spartae, Lycurgi legibus; et ut sit aliquod etiam populi ius, ut fuit apud nostros reges; tamen illud excellit regium nomen; neque potest eiusmodi respublica non regnum et esse, et vocari. [8] Ea autem forma civitatis mutabilis maxime est hanc ob causam, quod unius vitio praecipitata in perniciosissimam partem facillime decidit. Nam ipsum regale genus civi-

*politiae, populi, optimatium, regiae potestatis, ordinatam fuisse Carthaginem.* Ad confirmandam romanae reip. et Carthaginiensis similitudinem valet etiam, quod Aristoteles, Reip. II, 11, Laconica instituta cum Punicis conspirare ait: quum autem constet Romana Laconicis saepe fuisse similia, sequitur, ut aeque fere ad Punica accesserint. A. M.

6. *Vt temperata nullo fuerint modo.* En subtilis, sed verissima, quam Cicero facit, distinctio reip. mixtae a temperata. Suum hunc de Rep. locum memorat Cicero, Leg. III, 5. Eximia vero laude romanam remp. mactat auctor, dum eam Laconicae Punicaeque contendendo praefert, quas duas ait omnium praestantissimas Isocrates in Nicocle, p. 39. Quin Varro apud Servium, Aen. VII, 176, docet, mores partim habuisse Romanos etiam a Cretensium republica, quam Aristoteles, Reip. II, 9, 10, et Plato in fine Minois, valde extollunt, et cum Laconica consentire demonstrant. A. M.

7. *Aliquis perpetua potestate.* Pergit sensim Cicero ad dicendum de Romanorum rep. libera: nam libertatis prope fundamentum est, ne magistratus aliquis perpetua potestate sit, sed ut invicem imperent atque obediant, ut ait Aristotel. Reip. VI, 2: ἐλευθερίας ἓν μὲν, τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. Quaestionem versat idem lib. IV, 15. A. M.

8. *Et vocari.* Stobaeus tamen, Serm. XLI, p. 267, docet, Laconicam quoque remp. satis fuisse temperatam: regibus enim erant oppositi ephori; his senatores; medii autem erant illi, qui hippagretae et cori dicebantur, quique in quamlibet partem imperium vergeret, ad contrariam sese adiungebant.

tatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliquis simplicibus longe anteponendum; si ullum probarem simplex reipublicae genus. Sed ita, quoad statum suum retinet: is est autem status, ut unius perpetua potestate et iustitia, omnique sapientia regatur salus, et aequabilitas, et otium civium. Desunt omnino ei populo multa, qui sub rege est, in primisque libertas; quae non in eo est, ut iusto utamur domino, sed ut nul*lo* [9] . . . . . .

XXIV..... ferebant. Etenim illi iniusto domino atque acerbo aliquandiu in rebus gerundis prospere fortuna comitata est. Nam et omne Latium bello devicit, et Suessam Pometiam, urbem opulentam refertamque, cepit; et maxima auri argentique praeda locupletatus, votum patris [1] Capitolii aedificatione persolvit;[2] et colonias deduxit;[3] et institutis [4] eorum, a quibus ortus erat, dona magnifica, quasi libamenta praedarum, Delphos ad Apollinem misit.

XXV. Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum atque circuitum [1] a primo discite agnoscere.

9. Desiderantur paginae duae. — Vtrum ad superiorem, an ad praesentem, pertineat lacunam Servii caedes, haud liquido constat: malim tamen id facinus in praesente collocare, quoniam hucusque sermo fuit de civitatum institutis variaque politia; quod argumentum apte connectitur cum Servii praedicto censu et descriptione civili. In hac ergo breviore lacuna transitum romanae civitatis narravit Cicero a iusto rege ad Tarquinium tyrannum. A. M.

XXIV. 1. *Votum patris.* Sive potius avi. Recole cap. 21. A. M.

2. *Aedificatione persolvit.* Tacitus Hist. III, 72, aliique passim historici. A. M.

3. *Et colonias deduxit.* Signiam et Circeios. Dionysius IV, 63; Livius I, 56. A. M.

4. *Institutis eorum.* I. e. ad consuetudinem, ex more eorum. Dixit Brut. 59, 213, *patrio instituto.* Vocem *libamenta* excusat addito *quasi*, quia ea improprie, ut dicunt, utitur. Proprie ea semel usus est de Legg. II, 12, 29: *ut sacrificiorum libamenta serventur*: ubi vid. Turneb. ed. nostr. et Cr. p. 644. Ma.

XXV. 1. *Motum atque circuitum.* Naturalem quamdam esse rerumpublicarum conversionem atque periodum contendit Plato, Reip. VIII, p. 546, a quo se hanc sententiam mutuari fatetur Tullius, de Divin. II, 2:

Digitized by Google

Id enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerumpublicarum, ut quum sciatis, quo quaeque res inclinet, retinere, aut ante possitis occurrere. Nam rex ille, de quo loquor, primum optimi regis caede maculatus, integra mente[2] non erat; et quum metueret ipse poenam sceleris sui summam, metui se volebat.[3] Deinde victoriis divitiisque subnixus exsultabat insolentia, neque suos mores regere poterat,[4] neque suorum libidines. Itaque quum maior eius filius[5] Lucretiae, Tricipitini filiae, Collatini uxori, vim attulisset, mulierque pudens et nobilis ob illam iniuriam sese ipsa morte multavisset; tum vir ingenio et virtute praestans, L. Brutus depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis iugum: qui quum privatus esset, totam rempublicam sustinuit; primusque in hac civitate docuit, in conservanda civium libertate esse privatum neminem.[6] Quo auctore et princi-

*a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerumpublicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis.* Verumtamen ea sententia Platonis minime placet Aristoteli, Reip. V, 12, qui et universam Platonis remp. legesque graviter accusat, Reip. II, 1, 2; nec non politicus Graecus Vaticanus. Sed enim Ciceronis quoque resp. vituperata fuit a Didymo, contra quem scripsit pro Cicerone Suetonius, ut diximus in praefatione. A. M.

2. *Integra mente.* Alio sensu dixit de Sen. 20, 72: *integra mente ceterisque sensibus*: ut Horat. Od. I, 34, 18; simili nostro or. pro Sulla, 34, 86: *vos, dii... testor, integro me animo... P. Sullae causam defendere.* Mos.

3. *Metui se volebat.* Lege Dionysium IV, 41, et Eusebium, Chron. lib. II. A. M.

4. *Mores regere poterat.* Impuros Superbi mores narrat Theophilus ad Autolyc. III, 27. A. M.

5. *Itaque quum maior eius filius.* Ita etiam Dionysius IV, 64: Σέξτος ὁ πρεσβύτατος τῶν Ταρκυνίου παίδων. Vix ergo audiendus Ovidius Fast. II, 691, a quo dicitur trium filiorum minimus. Ovidium tamen sequitur Eutropius I, 7. A. M.

6. *Privatum neminem.* Cicero ad Fam. XI, 7, iuniori Bruto, qui Caesarem percussit, scribens, rursus hanc immanem iniustamque sententiam prae se fert: *nullo publico*, inquit, *consilio remp. liberasti; quo etiam est res illa maior et clarior.* Confer etiam de Off. III, 4, 19. Tum Tusc. IV, 23,

pe, concitata civitas[7] et hac recenti querela Lucretiae patris ac propinquorum, et recordatione superbiae Tarquinii, multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exsulem et regem ipsum, et liberos eius, et gentem Tarquiniorum esse iussit.

XXVI. Videtisne igitur, ut de rege dominus[1] exstiterit, uniusque vitio genus reipublicae ex bono in deterrimum conversum sit? Hic est enim dominus populi, quem Graeci tyrannum vocant: nam regem illum volunt esse, qui consulit ut parens populo, conservatque eos, quibus est praepositus, quam optima in conditione vivendi. Sane bonum, ut dixi, reipublicae genus, sed tamen inclinatum et quasi pronum ad perniciosissimum statum. Simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque tetrius, neque foedius, nec diis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui, quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit?[2] Sed erit hoc de genere nobis alius

de Nasica loquens, qui Gracchum sine publica auctoritate interemit, ait, *numquam privatum esse sapientem*; stoice id quidem Cicero, vel potius quia memor fortasse erat priscae legis Publicolae, qua cautum fuerat, ut, qui tyrannidem affectaret, is indicta causa a quovis necaretur. Plut. in Public. 12. Ceterum ipse Cicero coniurationis in Caesarem non fuit particeps. A. M.

7. *Concitata civitas.* Locum citat Nonius voc. *urbs a civitate.* A. M.

XXVI. 1. *Ut de r. dominus.* Hinc Plinius Traianum laudans, cap. 2: *non de tyranno, sed de cive, non de domino, sed de parente loquimur.* Tum cap. 45: *sunt diversa natura dominatio et principatus.* Sed tamen optimi Caesares Traianus, Pius et Marcus *domini* nomen sine publica invidia admiserunt, ut patet e Plinii ac Frontonis epistolis. A. M.

2. *Societatem velit.* »Tyranno (ait Tacitus Annal. II, 42) aequa nedum infima insolita sunt«. Tyranni vitam,

aptior dicendi locus, quum res ipsa admonuerit, ut in eos dicamus, qui etiam liberata iam civitate dominationes appetiverunt.[3]

XXVII. Habetis igitur primum ortum tyranni: nam hoc nomen Graeci regis iniusti esse voluerunt; nostri quidem omnes reges vocitaverunt, qui soli in populos perpetuam potestatem haberent.[1] Itaque et Spurius Cassius, et M. Manlius, et Spurius Maelius[2] regnum occupare voluisse dicti sunt; et modo[3] . . . . . .

XXVIII. . . . . [1] Lacedaemone appellavit, nimis

commemorato ipso Tarquinio, graphice pingit Cicero de Am. 15. A. M. (Non est in loco Taciti *tyranno*, sed *regibus*. Ca.)

3. *Dominationes appetiverunt.* Plurali *dominationes* alibi non usus esse videtur Cicero: neque vero ideo scribendum *dominationem*. Pluralem habet Tacit. Annall. III, 26: *postquam... pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes*: et alibi. Ma.

XXVII. 1. *Potestatem haberent.* Graeci quoque, saltem antiquiores, regum nomine tyrannos vocitaverunt, vicissimque dixerunt tyrannos eos, qui iuste imperabant. Lege Suidam voc. τύραννος et βασιλεύς. A. M.

2. *Et Spurius Maelius.* De his tribus sermo est in or. pro domo 38, 101: *Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata. Ecquid aliud? aequum accidisse Maelio populus romanus iudicavit... Sp. Cassii domus ob eamdem causam eversa... M. Manlias... regnum appetisse est iudicatus: ergo eius domum eversam duobus lucis convestitam videtis.* Ad quem locum operae pretium est legere annott. Marchandi, Gesneri et F. A. Wolfii, cuius ed. vid. p. 245-247. Ma.

3. *Et modo.* Desiderantur paginae duae. Post *modo* A. Maius adiecit *Ti. Gracchus.* De quo additamento commentatores ipsos audiamus. Sine dubio sermo auctoris deflectebat ad Ti. Gracchum, qui turbulenta potentia regnare visus est, et cui obiectum tyrannidis affectatae crimen ait Plutarchus in Gracch. cap. 14, 17, 19. Atque in hac lacuna, non minus, quam apud Velleium II, 4, dixit, ut puto, Scipio Ti. Gracchum, si is occupandae reip. animum habuisset, iure caesum. Post Gracchi commemorationem videtur auctor in reliqua lacuna persequutus coeptum iam argumentum, academico scilicet more non definitivo; nempe quod libertas seu populi ius in regno sit adeo intutum, ut nullum perpetua potestate magistratum fieri expediat; siquidem nec senatus praesidium contra vim regiam satis validum esse videatur. A. M. (Supple h. l. ex conj. *regnavit paucos menses, aut certe opprimendae reipublicae animum habuit; quare et iure caesus videtur.* Cic. de Am. 12; Vell. Pat. II, 4. A. M. in Emm.)

XXVIII. 1. Videtur Maio ex coniectura supplendum: *concede consilium delectis viris, ut Lycurgus illis quos γέροντας* Lacedaemone appellavit.

is quidem paucos, XXVIII,[2] quos penes summam consilii voluit esse, quum imperii summam rex teneret: ex quo nostri idem illud sequuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum;[3] ut etiam Romulum patribus lectis fecisse diximus: tamen excellit atque eminet vis, potestas, nomenque regium. Imperti etiam populo potestatis aliquid, ut et Lycurgus, et Romulus; non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis, quum tantummodo potestatem gustandi feceris. Ille quidem semper impendebit timor, ne rex, quod plerumque evenit, exsistat iniustus.[4] Est igitur fragilis ea fortuna populi, quae posita est in unius, ut dixi antea,[5] voluntate vel moribus.

XXIX. Quare prima sit haec forma, et species, et origo tyranni, inventa nobis in ea republica, quam auspicato Romulus condiderit; non in illa, quam, ut perscripsit Plato, sibi ipse Socrates peripatetico illo in sermone depinxerit:[1] ut, quemadmodum Tar-

2. *XXVIII.* Cod. pr. man. XXXVIII; mox prior nota X fuit expuncta. Profecto Spartae senatores *viginti octo* fuerunt; cuius rei testes habemus Platonem Leg. III, p. 692; Aristotelem et Sphaerum apud Plutarchum, Lyc. cap. 5, Pausaniam III, 5. A. M.

3. *Nominaverunt senatum.* Γερουσίαν graece dicendum esse romanum senatum, eiusque ordinis naturam Romanos a Lacedaemoniis condidicisse ait Dionysius II, 12 14. A. M.

4. *Exsistat iniustus.* Consonat Plato in Politico p. 301, eaque sola de causa legem scriptam regiae auctoritati praelatam inter homines observat. A. M.

5. *Vt dixi antea.* Cap. 23, ut arbitror, vel in lacunis. — Ad haec non tantum conferendum, quod laudat A. Maius caput 23, sed etiam I, 41, 42. In fine huius capitis Cobbius puncta posuit, ut lacunam significaret. Vtinam vero per hos libros omnia tam bene cohaererent, quam haec cum sequentibus! MR.

XXIX, 1. *Illo in sermone depinxerit.* Idoneus Ciceronis locus ad definiendam historiae philosophicae quamdam controversiam. Peripateticorum nomen ortum traxisse a Platone ante Aristotelem perspicue docet Ammonius comm. 3d Porphyr. isagoges locum tertium; cuius verba quia prolixiora sunt, hic scribere nequeo; quamquam idem Ammonius rem brevius tradit etiam ad Arist. categ. non procul initio. Ammonio gravis nunc testis accedit Cicero, qui Socratis seu

quinius non novam potestatem nactus, sed, quam habebat,[2] usus iniuste, totum genus hoc regiae civitatis everterit; sit huic oppositus alter, bonus, et sapiens, et peritus utilitatis dignitatisque civilis, quasi tutor et procurator reipublicae; sic enim appelletur, quicumque erit rector et gubernator civitatis.[3] Quem virum facite ut agnoscatis: est enim, qui consilio et opera civitatem tueri potest. Quod quoniam nomen minus est adhuc tritum sermone nostro, saepiusque genus eius hominis erit in reliqua nobis oratione trac*tandum*[4] . . . . . .

Platonis sermonem appellat Peripateticum. Cur ergo Bruckerus Hist. phil. t. I, p. 788, testimonium Ammonii, quod nempe Academici quoque dicti sint Peripatetici, fundamento carere ait? Cur Ionsius de scr. phil. hist. I, 8, 1, ludere conatur Suidae auctoritatem, qui seniorem Aristotele Antisthenem appellat Peripateticum? A. M.

2. *Sed, quam habebat, usus iniuste.* Malis certe *ea usus iniuste*. Sed potest ad excusandam hanc negligentiam in subsidium vocari Philipp. II, 34, 87: *Caesari... Antonium...regnum detulisse, Caesarem uti noluisse*; ibi vero non debet dici, *regnum* trahendum esse ad utrumque verbum, vel ex voce *regnum* subaudiri debere *regno*: sed debet ex verbo *detulisse* intelligi *delato*. Ma.

3. *Gubernator civitatis.* Sapienter in his libris atque eleganter regia potestas (lib. I, 35, 41) cum patria, cuiusmodi romano iure erat, tutoris autem cum eius civis comparatur, qui liberae reip. praeest. Etenim tutori in caput pupilli nihil licebat, ac iudicio tenebatur infami, si fraudem commisisset; pater, quaecumque crudeliter aut avare fecisset, impunis fuit. A. M.

4. Desiderantur paginae duodecim. — Certe cap. 40 et 42 de hoc liberae reip. tutore ac rectore seu custode sermo erit, libro autem quinto potissimum. Suspicari etiam licet, Tullium in hac ampla lacuna de consule dixisse, qui regi Romae successit. Et sane consulis descriptionem alicubi in his libris ab auctore luculenter fuisse exornatam vel eo nomine arbitror, quod ipse sibi perfecti consulis gloriam semper vindicavit. Interim haud absimiles locutiones de consule notare licet in Tullio, v. gr. de Or. III, 4; ad Quir. p. red. cap. 5; pro Sext. 19; in Pis. 10. De consulis nomine lege Dionysium IV, 76; Cic. de Or. II, 39; Varr. apud Non. voc. *consules*, et L. L. IV, 14; Flor. I, 9; Hieronym. ad Isai. cap. 3, voc. *consiliarius*; Isidor. Orig. IX, 3; Lydum m. R. I, 30. Magistratuum certe romanae reip. praecipuorum descriptionem his libris exhibuerat Cicero, ut ipse ait Leg. III, 5, hac de re loquens: *atqui pleraque sunt dicta in illis libris, quum de optima republica quaereretur*. Nunc ea descriptio in mutilo codice Vati-

XXX. . . . [1] sas requisivit; civitatemque optandam magis quam sperandam, [2] quam minimam [3] posuit; non quae possit esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit. [4] Ego autem, si quo modo consequi potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima republica enitar, ut cuiusque et boni publici, et mali causam tamquam virgula [5] videar attingere. His enim regiis quadraginta annis et ducentis paullo cum in-

cano, paucis exceptis vestigiis, desideratur; supplendaque est ope praedicti libri tertii de Legibus. A. M.

XXX. 1. Supplet Maius: *Plato regionem sedesque civium aequis apprime partibus divisas requisivit.* Quod quidem additam. sic excusat: Plato libro Legum quinto civitatem vel novam constituens, vel veterem et corruptam reparans, primum purgat eam civibus improbis; deinde agrum et sedes inter cives aequo iure et humaniter dividit; tum definit civium numerum. Horum ego memor locum Tullii hiantem sarcire aliquatenus ausus sum. In codicis ergo hiatu post expressam tutoris reip. formam, videtur auctor perrexisse ad novum romanae civitatis iam a regibus liberae genus effingendum. Revera hinc alius rerum nascitur ordo. Ad Platonicam purgationem quod attinet, etsi in Tullio vestigia rei nulla supersunt, vix tamen dubito, quin eius meminerit, propter nuper purgatam tyranno Tarquinio Romam. Sic enim is fere loquitur de Caesare interfecto ad Fam. XII, 1: *odium illud hominis impuri et servitutis dolor depulsus est.*

2. *Optandam magis, quam sperandam.* Vere monet Lehn. ne ipsum quidem Platonem sperasse, talem rempublicam aliquando constitutum iri. Ma.

3. *Quam minimam posuit.* Plato, Legum libro quinto p. 737, civitatem e quinque millibus colonorum et praeterea quadraginta constituit (propter quamdam eius numeri rationem pag. 746, 771); eamdemque civitatem augeri non vult p. 740. Sed mirabilior est Aristoteles, qui Nicom. X, 10, civitatem ait neque ex decem hominibus, neque ex centum millibus posse constare. In Rep. autem VII, 4, sic disserit, ut haud magnam civitatem condere videatur. Apud eumdem Aristotelem Reip. II, 8, Hippodamus politicus civitatem habere iubet decem hominum millia. A. M.

4. *Effecit.* Ipse Plato Leg. V, pag. 636 et 739, civitatem se verbis potius et phantasia, quam re vel spe condere fatetur. A. M.

5. *Quasi virgula.* Noli cogitare h. l. de illa *virgula divina*, quae est apud Nostrum de Offic. I, 44, 158, qua, quaecumque aliquis cupiat, ei suppeditentur, qui eam teneat. Est potius virga vel baculus, qua uti solent, qui picturae alicuius maioris singulas partes spectantibus accurate monstrare et explicare volunt. Quod vertit Villem. *marquer du doigt, pour ainsi dire.* Ma. — *Tamquam* in contextu et *quasi* in nota subiecta (sic). *T.*

Digitized by Google

terregnis[6] fere amplius praeteritis,[7] expulsoque Tarquinio, tantum odium populum romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum, vel potius excessum Romuli, desiderium. Itaque ut tum carere rege, sic, pulso Tarquinio, nomen regis audire non poterat.[8] Hic facultatem cum[9] . . . . .

XXXI. . . . Itaque illa praeclara constitutio Romuli quum ducentos annos et quadraginta fere firma mansisset[1] . . . . . *Nonius*, XII, 30.

6. *Cum interregnis.* Verba *cum interregnis* ex margine, ab interprete nimis accurato adscripta, in orationis seriem praeter necessitatem recepta esse suspicor. Quod enim dicit huius libri c. 31 ext. *Neque ego haec nunc sine causa tam vetera vobis et tam obsoleta decanto; sed illustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio, ad quae oratio dirigatur mea*; id non eo valet, ut addidisse eum credamus quod et nimiam redolet diligentiam, et plane non est necessarium. Nam etiam sine interregnis sunt paullo amplius quadraginta annis et ducentis, si, quod est in historiarum libris, Romulus regnavit annis XXXVII, Numa XLIII, Tullus XXXII, Ancus XXIV, Tarquinius Priscus XXXVIII, Servius XLIV, Tarquinius Superbus XXIV. Mr.

7. *Fere amplius praeteritis.* Nempe annis CCXLIV, uti aiunt Dionysius IV, 85, et V, 1; Livius I, 60; Eusebius Chron. I, 46: vel uno minus, uti scribunt Augustinus C. D. III, 15; Orosius II, 4. A. M,

8. *Nomen regis audire non poterat.* Num incipit auctor partim dicere de causis mutationum reip. ceu paullo ante innuit se facturum, promiseratque iamdiu lib. I, 42? De monarchiarum interitu copiose, more suo, disputat Aristoteles Reip. libro quinto, quo abs fonte omnia fere recentiorum super hac re praecepta manavisse videntur. In hoc igitur ingenti sexdecim paginarum hiatu videtur Cicero causas aperuisse altius, ob quas Romae politia mutata est. Exin Bruti laudes et Collatini, et cetera quae ad exordium libertatis pertinent subiunxisse Tullium puto. A. M.

9. Desideratur quaternio vigesimus primus seu paginae sexdecim. A. M.

XXXI. 1. *Firma mansisset.* Frusti huius, quod Nonius profert e II de Rep. videtur sedes haec; quamquam et prioribus lacunis haud fortasse immerito insereretur. Ex hac item sede fortasse deprompta sunt illa Augustini verba C. D. V, 12, ut iis certe videbitur qui de his rebus iudicare possunt. Neque spernendum indicium est, quod auctor ante lacunam nomen ipsum regale ait evasisse invisum. Sic ergo Augustinus: *Romani regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando atque dominando.* (Locus Augustini videtur in ipso textu collocandus post Nonii verba. Et quidem conferatur Cicero pro Sextio 65. A. M. in Emm.)

... lex illa tota sublata est.[2] Hac mente tum nostri maiores et Collatinum innocentem suspicione cognationis expulerunt, et reliquos Tarquinios offensione nominis.[3] Eademque mente P. Valerius et fasces primus demitti iussit, quum dicere in concione coepisset, et aedes suas detulit sub Veliam; posteaquam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubi rex Tullus habitaverat,[4] suspicionem populi sensit moveri. Idemque, in quo fuit Publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem romanum adversus provocationem necaret, neve verberaret. Provocationem autem etiam a regibus fuisse, declarant pontificii libri, significant nostri etiam[5] augurales; itemque ab omni iudicio poenaque provocari licere, indicant XII Tabulae compluribus legibus:[6] ut, quod proditum memoriae est, X viros, qui leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit, reliquos sine provocatione magistratus non

2. *Lex illa tota sublata est.* An loquitur Cicero de rebus Graecorum, et quidem de ostracismi lege, quae Athenis post electum Hyperbolum sublata est? An potius (quod vix puto) de Romanis? et quidem de illa liberi populi lege, ut bona redderentur Tarquiniis, quae sublata est postquam regem moliri reditum in urbem apparuit? Dionys. lib. V, cap. 6, 13; Liv. lib. II, cap. 5. A. M.

3. *Offensione nominis.* Id magnopere reprehenditur ab Augustino C. D. II, 17, III, 16. A. M.

4. *Ubi rex Tullus habitaverat.* Tullii Hostilii domum in Velia fuisse, ibidemque postea habitavisse Valerium, concors auctorum sententia est. Sed cur Servius Aen. IV, 410, Valerium in Esquiliis domum illam habuisse dicit altissimam, quum tamen Velia cacumen quoddam Palatii fuerit? Nimirum quia Velia, ut quibusdam placuit, fuit etiam urbis ea regio, per quam via sacra a forum descendit, ubi postea templum Pacis aedificatum est: ideoque facile intelligitur, quomodo Servius Veliam Esquiliis adiungere potuerit, a quo monte vix regio praedicta discriminatur, immo potius cum eo continuatur. A. M.

5. *Significant nostri etiam augurales.* Ita loquitur Scipio, quia in collegio augurum erat. A. M.

6. *Compluribus legibus.* Cic. Leg. III, 3. A. M.

fuisse; Luciique Valerii Potiti et M. Horatii Barbati, hominum concordiae causa sapienter popularium,[7] consularis lex sanxit, ne qui[8] magistratus sine provocatione crearetur.[9] Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum,[10] ut scitis, quidquam praeter sanctionem attulerunt novi. Itaque Publicola, lege illa de provocatione lata, statim secures de fascibus demi iussit; postridieque sibi collegam Sp. Lucretium subrogavit, suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit; instituitque primus,[11] ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent imperii in libero populo, quam in regno fuissent. Haud mediocris hic, ut ego

7. *Sapienter popularium.* Hi consulatum gesserunt anno Vrbis CCCV, quo decemviratus, non sine eorumdem opera, fuit abrogatus. Dionysio XI, 45, dicuntur δημοτικοὶ τὰς φύσεις ὄντες, καὶ παρὰ τῶν προγόνων ταύτην διαδεγμένοι τὴν πολιτείαν. Namque, ut ait Livius III, 39: *Valeriis et Horatiis ducibus pulsi reges fuerant.* A.M.

8. *Ne qui magistratus.* Pro consueto *ne quis.* De simili formula *si qui* et *si quis* nuper disputavit Herzog. ad Caesar. de B. G. VI, 13, p. 349. Ma.

9. *Sine provocatione crearetur.* Rem narrat Livius III, 55. Denique anno Vrbis CCCCLIV M. Valerius consul legem de provocatione tulit diligentius sanctam; atque ita tertio ea lex post reges exactos lata est, semper a familia eadem. Liv. X, 9. A. M.

10. *Quae tres sunt trium Porciorum.* Ante hunc detectum Ciceronis locum nemo, ut puto, dixerat tres fuisse trium Porciorum leges de provocatione. Porciam generatim definit Liv. X, 9: *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur; quod gravi poena, si quis verberasset necassetque civem romanum, sanxit. Valeria lex, quum eum, qui provocasset, virgis caedi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum, adiecit.* Legis Porciae meminerunt Sallustius Cat. 51; Cicero in Verr. V, 63, et pro Rabir. 3 et 4. Iam e tribus Porciis de provocatione legem ferentibus unum certe tenemus cognomento Laecam, tribunum pl. anno Vrbis DLVII, in insigni denario cum inscriptione PROVOCO ap. Eckhelium num. vet. t. V, p. 286, quem iam antea memoraverat in Annalibus Pighius t. II, p. 256, qui de Porcia lege verba multa facit. De viris Porciis variis legatur Gellius XIII, 19. A. M.

11. *Instituitque primus.* Dionysius V, 2, et Livius II, 1, hanc institutionem haud uni Publicolae, sed Bruto simul tribuunt. Verum suos auctores, ut alibi, sequitur Cicero. Dionysius V, 19, peculiare Publicolae institutum refert demendi ex fascibus in urbe secures, retinendi vero tantummodo extra illam. A. M.

quidem intelligo, vir fuit, qui, modica libertate populo data, facilius tenuit auctoritatem principum. [12] Neque ego haec nunc sine causa tam vetera vobis et tam obsoleta decanto; [13] sed illustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio dirigatur mea.

XXXII. Tenuit igitur hoc in statu senatus rempublicam temporibus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate, [1] et instituto ac more gererentur; atque uti consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam, genere ipso ac iure regiam. [2] Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum approbavisset auctoritas. [3] Atque his ipsis temporibus dictator etiam est institutus, decem fere annis post primos consules, T. Larcius; [4] novumque id genus imperii visum est, et proximum similitu-

12. *Auctoritatem principum.* Publicolae moderationem suspicit Plutarchus in comparatione eiusdem cum Solone; nec non Symmachus ep. X, 24. A. M.

13. *Obsoleta decanto. Decantandi* verbo usus est eodem, quo h. l. sensu de Or. II, 18, 75: *Nec mihi opus est graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet.* Mn.

XXXII. 1. *Pleraque senatus auctoritate.* Sic prorsus de statu illo Romae post eiectos reges loquitur Dionysius V, 1, ἀριστοκρατίας δὲ γενομένης. A. M.

2. *Genere ipso ac iure regiam.* Cicero de Leg. III, 3: *regio imperio duo sunto: militiae summum ius habento; nemini parento; ollis salus populi suprema lex esto.* Consulum potestatem *regiam* appellant demonstrantque Livius II, 1, IV, 3; Dionysius V, 1; Polybius VI, 11; Ampelius cap. ult. Cr.

3. *Approbavisset auctoritas.* De hoc iure romano legatur Livius I, 17, 22, IV, 3, 49, VI, 42; Dionysius II, 14, qui tamen ibidem ait, sua aetate fieri contrarium, neque, utrum sit melius, definit. Eam iuris mutationem testatur aperte etiam Cicero pro Plancio 3, nec non Sallustius Hist. 3, in Macri oratione. A. M.

4. *T. Larcius.* Ita cod. evidentissime *Larcius.* Iamque harum membranarum auctoritate corrigatur denique mendum *Lartius* apud Livium II, 18 et 21, ubi tanta tamque vana criticorum lis est. *Larcius* habet etiam Florentinus Livii codex multo nobilissimus: Dionysius quoque et alii Graeci scribunt Λάρκιος. A. M.

dini regiae. Sed tamen omnia summa cum auctoritate a principibus, cedente populo, tenebantur; magnaeque res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio praeditis, dictatoribus atque consulibus, belli [5] gerebantur.

XXXIII. Sed id quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibi iuris populus adsciscceret liberatus a regibus, non longo intervallo, sexto decimo fere anno,[1] Postumo Cominio, Sp. Cassio consulibus,[2] consequutus est; in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerumpublicarum natura saepe rationem. Id enim tenetote,[3] quod initio dixi, [4] nisi aequabilis hac in civitate compensatio sit et iuris, et officii, et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus, et auctoritatis in principum consilio, et libertatis in populo sit, non posse hunc incommuta-

5. *Belli.* Adiecit Mos. *domique*, qui sic ad h. l. In cod. est nonnisi *belli gerebantur*, quod corruptum esse apparet, quamquam de emendatione potest ambigi. Erat, qui mihi suaderet, ut reponerem *belli* post *summo*; erat, quum *belli* mihi videretur esse glossa ad *imperio*, alieno loco contextis intrusa; erat denique quum coniicerem *bello*. Nunc mihi illud remedium adhibendum visum est, quod adhibui, quamquam *domi bellique* magis foret Ciceronianum, et fere ita est apud Nostrum in his libris infra lib. IV, 10, ex Augustino II, 9, *domi et belli*; de Off. II, 24, 85, est *vel belli vel domi*, quod proxime accedit ad nostram emendationem, quum item praemittatur *belli*.

XXXIII. 1. *Sexto decimo fere anno.* Ad amussim Eutropius I, 12: *sexto decimo anno*, et ita ipse Tullius in Corneliana, quo loco commentatur Asconius: *numerum quidem annorum post reges exactos, quo id factum est, diligenter posuit, qui fuit A. Verginio Tricosto, L. Veturio Cicurino coss.* Consentit itaque in annorum numero Asconius, sed variat in consulibus, qui anno ante Cominium et Cassium magistratu functi sunt. Lydus, m. R. I, 38, scribit *anno decimo septimo*. A. M.

2. *Cassio consulibus.* Hoc ordine ponit hos consules etiam Dionysius VI, 49, a quo perversum fuisse ordinem putabat Almeloveenus, quia scilicet Livius II, 33, priorem consulem scribit Cassium. Atqui nunc Dionysianae scripturae suffragatur Tulliana. A. M.

3. *Id enim tenetote.* Ita cod. sec. manu; at pr. *idem teneto*. A. M.

4. *Quod initio dixi.* Confer lib. I, 27 et 45. A. M.

bilem reipublicae conservari statum. Nam quum esset aere alieno commota civitas,[5] plebs montem,[6] Sacrum prius, deinde Aventinum occupavit.[7] Ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus graecis frenos:[8] nam etiam Spartae, regnante[9] Theopompo, sunt item quinque, quos illi Ephoros appellant; in Creta autem decem, qui Cosmi[10] vocantur;[11] ut contra consulare imperium[12] tribuni pl., sic illi contra vim regiam, constituti.

5. *Commota civitas.* Seditiones commutationesque rerump. propter aeris alieni et foenoris magnitudinem recitat Plato Reip. VIII, pag. 555 sqq. A. M.

6. *Plebs montem Sacrum.* Ita appellatur προληπτικῶς; nam Festus voc. *sacer* montem illum sic vocitatum putat, quod eum plebs, creatis ibi tribunis, discedens Iovi consecravit. Ipse Tullius pro Cornel. (in Fragmm. Orr. pag. 1120, ed. Ern. min.) dicit: *montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer appellatur.* (Vid. Creuz. Antiquitt. Romanr. p. 151, not.) A. M.

7. *Deinde Aventinum occupavit.* Sacrum tantummodo montem memorant occupatum Dionysius VI, 45; Livius II, 32; Ovidius Fast. III, 664; Florus I, 23; Orosius II, 5. Sed enim Livius causam aperit, cur Cicero Aventinum quoque dicat: *ea frequentior fama est* (de Sacro monte), *quam cuius Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse.* Sed apertius cum Cicerone sentit Sallustius Historiarum libro primo apud Augustinum C. D. II, 18, III, 17, et apud Servium ad Aen. VIII, 479 (In Fragg. Histor. I, 8, p. 213 sq. ed. Gerlach. Ca.): *foenore oppressa plebs montem Sacrum atque Aventinum insedit.* Cicero pro Corn. (in Fragm. I, ed. Ern. min. t. IV, 2, p. 1120. Ma.) sibi consonans de iis, qui in montem Sacrum secesserant, ait: *Romam armati reverterunt, in Aventino consederunt* (p. 1048 ed. Ern. mai.) Nimirum plebs Romam e monte Sacro reverterat et in Aventino consederat. Ca.

8. *Graecis frenos.* Locutio Platonica, ut observat Plutarchus in Lycurgo cap. 7. A. M.

9. *Regnante Theopompo.* Anno circiter centesimo et trigesimo post Lycurgum, ut docet Plutarchus praedicto loco; nempe Olympiade quinta, ut scribit Eusebius, adeoque ante Romae natales. A. M.

10. *Cosmi.* Cod. veteri more scribendi, *Cosmoe.* A. M.

11. *Vocantur.* De ephoris atque cosmis lege, si vacat, Aristotelem Reip. III, 9, 10, et Strabonem lib. X, pag. 738. A. M. (Adde I. Meursii Cretam lib. III, c. 9, p. 167-169. Ma.)

12. *Consulare imperium.* Cod. pr. manu, *cosmoe vocantur ut contra consularem constituti.* Intermedia vero addita sunt posteriore manu: quae nos aegre quidem, sed tamen certissime, legimus. Iam quod pr. manus scripserat *consularem*, ea videtur corruptio pro *consularem vim.* *Vim* autem magis prope hic probem quam *imperium*; illi enim iustius quam huic

XXXIV. Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi, [1] quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat; [2] neque post aliquanto nostrum senatum, quum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum : [3] semperque huic

resistimus. A. M. — Nemo audivit A. M ex primae manus scriptione *consulares* conicientem *contra consularem vim*. Et merito : nam et variat orationem *imperium*, et optime convenit consulibus imperium, quod, quum solum in bello, neque antequam in comitiis centuriatis lex de eorum imperio esset lata, haberent, domi quoque nonnumquam et in rebus civilibus exercere volebant eoque saepe invisi erant. Ma.

XXXIV. 1. *In illo aere alieno medendi*. Notemus syntaxim *mederi in re aliqua*; nisi malumus dicere *in illo aere alieno medendo* contra codicis evidentiam. A. M. — Sed locum ita construendum puto : *In illo aere alieno (ex quo commotam esse dixi civitatem) fuerat (i. e. fuisset) fortasse maioribus nostris aliqua medendi ratio* (iam interponuntur ea, quae sequuntur usque ad *medicina quaesita est* : tum pergit) : *quo tum consilio praetermisso causa populo nata est*, etc. Simili vel potius eodem modo intellexisse video locum Steinackerum et Lehnerum. Ma.

2. *Temporibus ante fugerat*. Dicit *non longis temporibus*, quia Gellius XVII, 21, ait : *Solonem accepimus leges scripsisse Atheniensium, Tarquinio Prisco Romae regnante, anno regni eius tricesimo tertio*. (Cf. Corsini Fasti Attici III, 76; Larcheri, Chronol. Herodot ad Olymp. XLVI, 3, sive ad ann. ante Chr. n. 594, et F. A. Wolfii Prolegg. Homericc. pag. 69. Ca.) Innuit autem hic Cicero invectam a Solone σεισάχθειαν, nempe aeris alieni sublevationem, cui Solon ipse exemplo praeivit septem talenta, quae sibi debebantur, omittens. De hac re lege Laërtium in Solone; Plutarchum item in Solone et in reip. ger. praeceptis; Heraclidem in Politiis. Quin adeo Dionysius V, 64, orationem recitat Valerii, qui fuit Publicolae frater, suadentis, ut plebi romanae aes alienum remitteretur, hoc ipso Solonis exemplo proposito : quamquam frustra fuit, contradicente Appio. A. M.

3. *Nectierque postea desitum*. Monet Lehn. forma *nectier* usum esse Ciceronem, ut aliquam legis antiquae retineret similitudinem. Poterat addere, etiam in sermone familiari ita loqui consuetos esse homines, ut est v. c. ad Fam. V, 9 *qui pro se causam dicier vult*. Sed accurate de verbis, quae hac quidem forma ap. Plautum, Terentium, Lucretium, Horatium, alios reperiuntur, praecepit Ruddimannus Inst. Gr. Lat. t. I, pag. 284 sq. et ibidem laudavit formulae toties a Cicerone usurpatae (*inter bonos bene agier*) loca. Ma. — *Postea desitum*. Intelligit ea, quae acciderunt Veturio seu Publilio adolescenti, et quorum causa ius romanum mutatum est. Rem habes apud Valerium M. VI, 1, 9; Livium VIII, 28; Dionysium inf[illegible]m. XVI, 9. A. M.

**XXXVI. Sed aliquot ante annis, quum summa esset auctoritas in senatu, populo patiente atque parente, inita ratio est, ut et consules et tribuni pl. magistratu se abdicarent,[1] atque ut x viri maxima potestate sine provocatione crearentur, qui et summum imperium haberent, et leges scriberent. Qui quum x Tabulas summa legum aequitate prudentiaque[2] conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides, nec iustitia laudata.[3] Quo tamen e collegio laus est illa eximia C. Iulii,[4] qui hominem nobilem L. Sestium, cuius in cubiculo effossum esse, se praesente, mortuum diceret, quum ipse**

auctores. Gellius XI, 1, ait, lege Aternia eam aestimationem esse factam. Erat autem gravissima multa *duo boves et oves triginta*, uti ait Dionysius X, 50; seu contra *duae oves et boves triginta*, ut Fest. et Gell. At Plutarchus Poplic. cap. 11, ait a Publicola praefinitam esse multam quinque boves duasque oves valentem. Denique non abs re moneo, apud Gellium VII, 11, exstare fragmentum orationis de multa ad populum recitatae a Scipione nostro in censura. A. M.

XXXVI. 1. *Se abdicarent.* Dionysius X, 19, eum morem a Cincinnato consule invectum narrat; isque adhuc manebat aetate Frontonis, cuius vide ep. ad M. Caes. II, 5; et ulterius servatum novimus. A. M.

2. *Prudentiaque conscripsissent.* Circa Vrbis annum 300, ut vulgo historici tradunt. Nullam tamen facit Cicero mentionem romanorum in Graeciam legatorum ad Solonis leges petendas: cuius rei altum silentium est in aliis quoque Tullii scriptis. Immo is de Or. I, 44, leges romanas aperte anteponit inconditis et ridiculis, ut ait, Lycurgi, Draconis Solonisque legibus, quod facere vix debuit, si generatim ius romanum e graeco haustum putavisset. Praeterea Tusc. V, 36, commemorato illo Hermodoro, quem quidam aiunt interpretandis apud decemviros Solonis legibus praefuisse, ne τρὸ quidem ea de re Cicero. Profecto duorum iurum natura mirum quantum diversa est. Itaque docti aliquot, praesertim Vicus Italus, Bonamicus Gallus, Gibbonius Anglus, et Germani quidam nuperrimi, legationem illam negare ausi sunt, contradicente licet prolixe Terrassonio Gallo et nonnullis Italis. Supplementa quaedam tabularum ab Aequis, Italiae populo, missis ad eos decemviris, accepisse Romanos narrat Servius Aen. VII, 695. A. M.

3. *Nec iustitia laudata.* Lege Dionysium X, 59 sqq. A. M.

4. *Laus est illa eximia C. Iulii.* Monet Lehn. C. Iulium a Livio III, 33, in decemviris primum creatis numerari. Ma.

Digitized by Google

potestatem summam haberet, quod decemvir [5] sine provocatione esset, vades tamen poposcit: [6] quod se legem illam praeclaram neglecturum negaret, quae de capite civis romani, nisi comitiis centuriatis, statui vetaret. [7]

XXXVII. Tertius est annus decemviralis consequutus, quum iidem essent, nec alios subrogare voluissent. [1] In hoc statu reipublicae, quem dixi iam saepe non posse esse diuturnum, [2] quod non esset in omnes ordines civitatis aequabilis; erat penes principes tota respublica, praepositis x viris nobilissimis, non oppositis tribunis pl., nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicta. Ergo horum ex iniustitia subito exorta est maxima perturbatio, et totius commutatio reipublicae: qui duabus Tabulis [3] iniquarum legum additis, quibus, etiam quae disiunctis populis tribui solent, connubia, haec illi ut ne plebi et patribus essent, inhumanissima lege sanxerunt; [4] quae

5. *Quod decemvir.* Cod. *decemvirum*, nisi forte aliqua ibi litura est. A. M.

6. *Sextium... vades tamen poposcit.* Cum duplici accusativo bis posuit Noster hoc verbum in Verrinis act. II, lib. I, 3, 7: *qui... parentes pretium pro sepultura liberum posceret.* Ibid. I, 47, 44: *In Achaia magistratum Sicyonium numos poposcit.* Omnia quae hanc constructionem admittunt verba collegit Ruddimannus l. c. c. II, p. 476; eaque adposuit, quae perperam nonnulli huc retulerunt. Mn.

7. *Statui vetaret.*. Rem habes apud Livium III, 33. A. M.

XXXVII. 1. *Voluissent.* Dionysius XI, 1 seqq. Orosius II, 13. A. M.

2. *Diuturnum.* Lib. I, 41 (*potius* c. 45); II, 33. A. M.

3. *Qui duabus Tabulis.* Voluit sine dubio Noster iungere *qui .. lege sanxerunt*; sed quum ad *tabulis... additis* explicatio eorum, quae continerentur his tabulis, propositione relativa addenda esset, scripsit *quibus*, iunxitque verbum, quod priori relativo debebatur, posteriori. Quae nisi valde mihi viderentur veri similia delerem facillima medela ipsum illud *qui*, quod verbo suo orbatum non habet, quo nitatur. Mn.

4. *Lege sanxerunt.* Auctore praecipuo Appio decemviro, singularis superbiae homine. Dionys. X, 60. A. M.

postea plebeiscito Canuleio abrogata est:[5] libidinoseque omni imperio, et acerbe, et avare populo praefuerunt. Nota scilicet illa res, et celebrata monumentis plurimis literarum, quum Decimus[6] quidam Virginius virginem filiam propter unius ex illis x viris intemperiem in foro sua manu interemisset, ac moerens ad exercitum, qui tum erat in Algido, confugisset; milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse; et primum montem Sacrum, sicut erat in simili causa antea factum, deinde Aventinum[7] ar*matos insedisse.* . . . . .[8]

Dictatore L. Quintio dicto . . . . . *Philargyrius ad Georg.* III, 125.[9]

5. *Canuleio abrogata est.* Legatur Livius IV, 1 sqq. Hunc vero Canuleii tumultum in monte Ianiculo exarsisse aiunt Florus I, 25, et Ampelius cap. de secessionibus. A. M.

6. *Quum Decimus.* Ita cod. *Decimus*, literis explicatis sine ulla emendatione. Verumtamen huius viri praenomen *Lucius* scribitur a Cicerone de Fin. II, 20; Dionys. XI, 28; Liv. III, 44; Ascon. ad Cornelianam: ne alios auctores otiose consulam. *Decimi* quoque Bruti Gallaeci praenomen versum fuit in *Aulum* ab iis, qui Velleium II, 5, exscripserunt. Quod si codicis nostri de Rep. scripturae confidere licet, *Decimus* praenomen tenendum est; locus autem ille de Fin. corruptus existimandus. A. M.

7. *Primum montem Sacrum...deinde Aventinum.* Vide annot. nostr. ad lib. II, cap. 33. Quod sequitur ex Philargyrio fragmentum praeter Lehnerum abiecerunt edd. omnes. Ma. — *Armatos insedisse.* Ita suppleo verba duo ex Livio III, 50; quamquam Tullius cap. 33, utitur verbo *occupare*, in Corneliana autem verbo *considere*. Ipse Livius praedicto loco semel dicit *insidere*, semel *obsidere*. A. M.

8. Desiderantur paginae octo. In hoc haud mediocri hiatu periisse videmus decemvirorum abrogationem et poenam; item res aliquot postea gestas, bella v. gr. cum finitimis; sed certe tribunos militares pro consulibus lectos; Sp. Maelii consilium tyrannicum, eiusdemque supplicium iussu Cincinnati dictatoris; censurae initium; quae omnia sunt in tertio quartoque Livii volumine, pertinguntque usque ad Varronianum Vrbis annum 315. His et praeterea paucis fortasse adiectis, videtur Scipio in eo conclusisse sermonem, ut diceret, optimum esse habendum mixtum illud temperatumque reip. genus, quod Romani veteres et probavissent maxime et retinuissent sapientissime; quam rem superiore libro cap. 14, ostensurum se receperat. A. M.

9. Hac in sede coniecturaliter colloco fragmentum quod Philargyrius ex opere de Rep. sed tacito libri nu-

. . . . . *maio*res nostros et probavisse maxime, et retinuisse sapientissime iudico.

XXXVIII. Quum ea Scipio dixisset, silentioque omnium reliqua eius exspectaretur oratio; tum Tubero, Quoniam nihil ex te, Africane, hi maiores natu requirunt, ex me audies, quid in oratione tua desiderem. — Sane, inquit Scipio, et libenter quidem. — Tum ille, Laudavisse mihi videris nostram rempublicam, quum ex te non de nostra, sed de omni republica quaesisset Laelius. Nec tamen didici ex oratione tua istam ipsam rempublicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere, vel conservare possimus. [1]

XXXIX. Hic Africanus, Puto nobis mox de instituendis et conservandis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserundi locum.[1] De optimo autem statu equidem arbitrabar me satis respondisse ad id, quod quaesierat Laelius. Primum enim numero definieram genera civitatum tria probabilia; perniciosa autem tribus illis totidem contraria; nullumque ex eis unum

mero profert. Ista enim L. Quintii dictatura paucis annis post sublatum decemviratum gesta fuit. Servius non secus ac Philargyrius, incerto indicio, hanc Tullii auctoritatem laudat, verum ridicule ab indoctis amanuensibus distortam: *sic de accusatore lege quinta dicta.* A. M.

XXXVIII. 1. *Vel conservare possimus.* Mores et leges fundamenta duo cuiusvis reip. statuit esse Polybius VI, 47. De disciplina et de moribus quarto in libro tractabitur. De legibus vel in quinto actum est, vel id caput peculiari operi Tullius reservavit, cuius pars exstat in tribus de Legibus. Valde tamen suspicor, quinto in libro actum fuisse de constitutione conservationeque civitatis (quod facit Plato, Reip. tertio et quarto), quoniam Tullius multa dixit in quinto de civitatis moderatore, qui Platoni in praedictis libris est φύλαξ, ut et Ciceroni lib. I, 41, *custos*. Sed certe Platonici libri copiosissimi de Rep. et de Legibus satis nos docent, quanta pars Tullianorum scriptorum argumenti eiusdem desideretur. A. M.

XXXIX. 1. *Fore disserundi locum.* Confer libri sexti fragmenta sub initio. A. M. — Ita (*disserundi*) cod. pr. manu: at secunda *disserendi*. A. M. in Emmend.

esse optimum ; sed id praestare singulis, quod e tribus primis esset modice temperatum.[2] Quod autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit (nam id fieri potuit sine exemplo), sed ut a civitate[3] maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio, oratioque[4] describeret. Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum exquiris optimi status, naturae imagine utendum est nobis; quoniam tu hanc imaginem urbis et populi, ni[5] . . . . . .

XL. . . . *quem* iamdudum quaero, et ad quem cupio pervenire. — Lael. Prudentem fortasse quaeris, Scipio? —Tum ille, Istum ipsum.— Lael. Est tibi ex eis ipsis, qui adsunt, bella copia,[1] vel ut a te ipso

2. *Temperatum.* Ista omnia in primo libro sunt. Quod si cui haec pagina paullo brevior ceteris esse videtur, is sciat amanuensem verba aliquot oscitanter repetivisse, quod et alibi accidit. A. M.

3. *Sed ut a civitate maxima reapse cerneretur.* Praepositio *a* superaddita fuit. A. M. — Praepositionem reiicit Mos. hoc allato exemplo : sine praepos. verbum *cernere* ablativo iungitur Topic. 21, 80 : *causa certis personis, locis, temporibus... cernitur.*

4. *Quod ratio, oratioque describeret.* Alio plane sensu iunguntur haec substantiva de Off. I, 15, 50 : *societatis... vinculum est ratio et oratio.* Quod nunc dicit *sine exemplo genus ipsum* id hodie plerumque barbare dicunt *in abstracto non in concreto.* Ma.

5. *Et populi, ni.* Exin ad usque libri II finem supersunt in codice paginae tantum sex. — Incidimus in ingentem lacunam. Sine dubio autem nunc adgreditur Cicero ad commovendum illum de iustitia sermonem, quem Augustinus C. D, II, 21, ait secundo libro coeptum totoque tertio protractum. Quum enim romanae reip. exemplo formam optimam civitatis finxisset Scipio, Tubero tamen praedictam *imaginem urbis et populi nimis circumscriptam esse iudicaret* (sic enim hic continuare licet sententiam auctoris) ad ius universae naturae, seu generatim societatis humanae, demonstrandum accedit idem Scipio : sicuti superiore libro cap. 36, ut unius dominatum suaderet, naturae universae testimonium invocaverat, quam physici ab una mente regi sentiebant. Est autem praeclara transitio a peculiari Romae iure ad generale naturae, quoniam, ut scribit Gravina, *nihil est aliud ius civile, nisi naturalis ad romanae reip. institutionem relata, romanisque moribus et literis explicata ratio.* A. M.

XL. 1. *Bella copia.* Recte monet Lenh. intelligendum esse *prudentum hominum.* Ma.

Digitized by Google

ordiare.[2] — Tum Scipio, Atque utinam ex omni senatu pro rata parte esset! Sed tamen est ille prudens, qui, ut saepe in Africa vidimus, immani et vastae insidens belluae, coërcet et regit belluam; quocumque vult, levi admonitu, non actu, inflectit illam feram. — Lael. Novi, et tibi quum essem legatus,[3] saepe vidi. — Scip. Ergo ille Indus aut Poenus[4] unam coërcet belluam, et eam docilem, et humanis moribus assuetam:[5] at vero ea quae latet in animis hominum, quaeque pars animi mens[6] vocatur, non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat; si quando id efficit, quod perraro potest. Namque et illa tenenda est ferox[7] . . . . . .

XLI. . . . Quae sanguine alitur, quae in omni cru-

2. *Vel ut a te ipso ordiare.* Singularis consilii laudem tribuit Scipioni Aemiliano Cicero in Verr. V, 10; et praesertim de Or. I, 48: *hunc reip. rectorem et consilii publici auctorem esse habendum definirem: praedicaremque P. Africanum et C. Laelium*, etc. Sic etiam Plutarchus an sen. sit ger. resp. t. IX, p. 183. Immo Philus de Rep. III, 18, dicit sibi consuli fuisse in consilio hos ipsos, qui nunc loquuntur de rep. homines. A. M.

3. *Et tibi quum essem legatus.* Bello tertio Punico legatus in exercitu apud Carthaginem Laelius Scipioni fuit. Appian. Pun. 126. A. M.

4. *Ergo ille Indus aut Poenus*, etc. Indi elephantorum rectores in Pyrrhi exercitu apud Dionys. Halic. Fragg. lib. XIX, cap. 14, pag. 154 ed. Mediolan. Ca.

5. *Moribus assuetam.* Sic loquitur de elephanto Cicero ad Fam. VII, 1. Elephanti intelligentiam praedicat Cassiodorus Var. X, 30; acutissimos sensus Cicero N. D. II, 60. A. M.

6. *Quaeque pars animi mens.* De mente prolixiora dicentur initio libri tertii. A. M.

7. Desiderantur paginae neque plus octo, neque minus quatuor. Est enim hoc vel secundum, vel tertium quaternionis incerti folium. A. M — Coeperat hoc loco dicere Scipio de animi perturbationibus, quibus mens politici viri debet invicte imperare. Videtur autem initium fecisse ab iracundia, tum perrexisse ad cupiditatem, ad libidinem, ad anxitudinem, etc. quibus qui apte moderari nequit, is videlicet tamquam auriga indoctus e curru trahitur et male mulctatur. His ego coniecturis utens, locos Nonii quinque e secundo libro de Rep. ab eo citatos hac in sede collocandos esse putavi. Paullo tamen aegrius mihi persuasi, tot auctoritates e paucis Tullii paginis a grammatico fuisse depromptas. A. M.

delitate sic exsultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur.[1] *Nonius* IV, 178.

. . . . Cupido autem, et expetenti, et libidinoso, et volutabundo in voluptatibus. *Idem* VIII, 64.

Quartaque anxitudo[2] prona ad luctum, et moerens, semperque ipsa se sollicitans. *Idem* II, 32.

Esse autem angores, si miseria afflictas, atque abiectas timiditate et ignavia . . . . *Idem* III, 246.

Vt auriga indoctus[3] e curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur . . . . *Idem* IV, 154.[4]

XLI. 1. *Funeribus satietur.* Iracundiam a politico viro abesse vult Cicero, Tusc. IV, 22; profertque exemplum Scipionis nostri, quem inflammatum fuisse iracundia ne tum quidem credit, quum hostem manu sua interimeret. Addit et proprium exemplum Cicero, quae fortiter in rep. fecisset, numquam se iratum fecisse. Sed enim nusquam vehementius Cicero iracundiam a magistratu removet, quam in illa prolixa ad fratrem Asiae praetorem epistola (I, 1), quae politici tractatus instar est. Denique hunc locum politicum vel exprimit, vel aemulatur Lactantius Inst. I, 9, ubi postquam eleganter et, ut puto, Tulliane, dixit: *Herculem quasi Africanum inter deos haberi*, pergit loqui de frangendis cupiditatibus, de superanda iracundia ceu fera in homine inclusa, de libidine vincenda, etc. A. M.

2. *Quartaque anxitudo.* Lactantius Inst. VI, 19: *Tres sunt adfectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido. Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.* Quartum adfectum, anxitudinem, omittit Lactantius. A. M. (Lactantii locum satis est ponere in textu ipso. Tum conferendus idem Lactantius de ira D. V, XV, epit. 61, 62: nec non Augustinus in ps. XCVI, 6. A. M. in Emm.)

3. *Vt auriga indoctus*, etc. Car. Sigonius ad h. l. haec annotavit: Nescio an haec similitudo eo adhibita sit, ut rationem, quae est inter appetitum et animum, demonstraret, atque an mentem, sensibus obedientem, cum rudi atque indocto auriga, qui se trahi ab equis patiatur, comparavit. Quod si ita est, Platonem certe sequutus est, qui in Phaedro de duobus equis, bono et malo, et eorum auriga, ratione, disseruit. Ma.

4. Hic interpolat Maius hunc Lactantii locum: *Concitationes animorum iuncto curru similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit; quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet: si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per praecipitia labetur, aut certe, quo non est opus, deferetur.* Lactantius Inst. VI, 17. — Locum hunc a Lactantio vel sumi, vel potius interpolari ex Tullio, docuit me praecedens Nonii auctoritas. A. M.

Digitized by Google

XLII.... dici possit. Tum Laelius, Video iam illum, quem exspectabam, virum cui praeficias officio et muneri. — Huic scilicet, Africanus, uni paene (nam in hoc fere uno sunt cetera), ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat; ut ad imitationem sui vocet alios; ut sese splendore animi [1] et vitae suae sicut speculum praebeat civibus. Vt enim in fidibus aut tibiis, atque ut in cantu ipso ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis, et infimis, et mediis et interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu [2] dissimillimorum concinit; et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum in omni republica vinculum incolumitatis; eaque sine iustitia nullo pacto esse potest.

Ac deinde quum aliquanto latius et uberius disseruisset (Scipio), quantum prodesset [3] iustitia civitati, quantumque obesset, si abfuisset; suscepit deinde Philus, unus eorum, qui disputationi aderant, et poposcit,[4] ut haec ipsa quaestio diligentius tractaretur,

XLII. 1. *Vt sese splendore animi.* De animo excolendo scribit copiose Plato quinto Legum libro. A. M.

2. *Civitas consensu.* Huc usque codex cum Augustino consentiens; reliqua prosequitur Augustinus. A. M.

3. *Quant... prodesset... si abfuisset.* Haec sunt a Platone ep. VII, p. 335: οὐκ ἂν ποτε γένοιτο εὐδαίμων οὔτε πόλις οὔτ' ἀνὴρ οὐδείς, ὃς ἂν μὴ μετὰ φρονήσεως ὑπὸ δικαιοσύνῃ διαγάγῃ τὸν βίον. A. M.

4. *Poposcit, ut haec ipsa quaestio .... plura dicerentur.* Id quoque a Platone est, apud quem Socrates sub primi de Rep. libri finem, etsi multa de iustitia dicta fuerant, poscit nihilominus, ut ea res accuratius et pro dignitate consideretur; id quod secundo libro fit. Porro haud scio, an Lactantius Inst. VI, 2, ex hac Ciceronis disputatione, et quidem fortasse e tertii libri initiis, mutuetur illa verba: *nihil tam praeclarum hominique*

ac de iustitia plura dicerentur, propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rempublicam geri sine iniuria non posse.

XLIII. . . . plenam esse iustitiae. Tum Scipio, Assentior vero; renuntioque vobis nihil esse, quod adhuc de republica dictum putemus, aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum, non modo falsum illud esse, sine iniuria non posse; sed hoc verissimum esse, sine summa iustitia rempublicam geri nullo modo posse. Sed, si placet, in hunc diem hactenus: reliqua (satis enim multa restant) differamus in crastinum. Quum ita placuisset, finis disputandi in eum diem [1] factus est. [2]

*conveniens potest esse, quam erudire homines ad iustitiam.* A. M.

XLIII. 1. *In eum diem factus est.* Hanc secundi libri clausulam historice refert Augustinus loco superius citato C. D. II, 21: *hanc proinde quaestionem* (de iustitia) *discutiendam et enodandam esse assensus est Scipio, respondítque nihil esse, quod adhuc de republica dictum putaret, et quo possent longius progredi, nisi esset confirmatum, non modo falsum esse illud, sine iniuria non posse, sed hoc verissimum esse, sine summa iustitia rempublicam geri non posse. Cuius quaestionis explicatio quum in diem consequentem dilata esset,* etc. (Cf. A. M. Praefat. §. 3. Vnde efficit, hos sex libros triduo recitatos fingi, ut in singulos dies bini libri referrentur. Cr.)

2. M. Tvlli Ciceronis de Rervblica liber ii explicit, incipit liber iii.

# EPITOME[1]

## LIBRI TERTII.

In tertio libro magna conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent, sine iniustitia regi non posse rempublicam; purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utilem reipublicae, illam vero inutilem, veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, iustitiam defendere aggressus est, asseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam iniustitiam, civitati; nec omnino, nisi magna iustitia, geri aut stare posse rempublicam. Qua quaestione quantum satis visum est pertractata, Scipio ad intermissa revertitur; recolitque suam atque commendat brevem reipublicae definitionem, qua dixerat, eam esse rem populi: populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde, quanta sit in disputando definitionis utilitas: atque ex illis suis definitionibus colligit, tunc esse rempublicam, id est rem populi, quum bene ac iuste geritur, sive ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Quum vero iniustus est rex, quem tyrannum, more graeco, appellavit; aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret; non iam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam: quoniam non esset res populi, quum tyrannus eam factiove capesseret; nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

1. Ex Augustino, de Civ. Dei lib. II, 21.

Digitized by Google

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO III.

I..... Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus in vitam, corpore nudo, et fragili, et infirmo;[1] animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis. *Augustinus contra Iulianum Pelag.* IV, 60.[2]

1. 1. *Corpore... fragili et infirmo.* Solet Noster corpus hominis appellare *fragile et caducum*, v. c. de Legg. I, 8, 24; de Fin. II, 27, 86. *Caducum et infirmum dicit corpus* de N. D. I, 35, 98. Quem laudat A. Maius Ciceronis ex Tusc. V, 1, locum, hic est: *mecum... incipio... interdum... humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, quum corpora nobis infirma dedisset, iisque et morbos insanabiles et dolores intolerabiles adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes, et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. Sed... virtus... omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet.* Ad Augustini locum conf. de Opif. Dei III, §. 1 et 2: *Queruntur, hominem nimis imbecillum aut fragilem nasci... Itaque naturam non matrem esse.... sed novercam.* Conf. Senec. de Benef. II, 29, qui contra has criminationes defendit providentiam divinam. Ma.

2. Post hoc fragmentum, aliud Lactantii, Inst. III, 16, inseruit Mos. praeunte Heinr. *Homo quum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est, et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiamsi vim caeli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut*

. . . . Et vehiculis tarditati: eademque quum accepisset homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantes, incidit has, et distinxit in partes; et ut signa quaedam, sic verba rebus impressit;[3] hominesque antea dissociatos iucundissimo inter se sermonis vinculo colligavit. A simili etiam mente, vocis qui videbantur infiniti soni, paucis notis inventis, sunt omnes signati et expressi; quibus et colloquia cum absentibus, et indicia voluntatum,[4] et monumenta rerum praeteritarum tenerentur. Accessit eo numerus,[5] res cum ad vitam necessaria, tum una immutabilis et aeterna;[6] quae prima impulit

*plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quoniam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur a nobis, aut nostrae subiecta sint potestati, etc. Plato naturae gratias egit, quod homo natus esset, etc.* Lactantius de Opif. Dei c. 3. — Sic autem A. Maius de hoc Lactantii fragmento: Lactantius et praecedente et hoc ipso sui operis capite sine dubio compilat Tullii hoc proœmium, et quidem servatum illud ab Augustino fragmentum, ut in scholio docui. Quid ni igitur Tulliana reliqua compilare credendus est in his consequentibus, quae lacunam commode explere videntur? Quatenus tamen id faciat Lactantius primis operis sui quatuor capitibus, id aliorum esto iudicium; mihi interim brevem particulam huc intulisse sat est.

3. *Impressit.* Loquelam non inventam, sed innatam esse hominibus, contendit iure optimo Lact. Inst. VI, 10, contra Tullium, et contra Lucret. V, 1027; Hor. Sat. I, 3, 103. Est autem quaestio haec celeberrima. A. M.

(Qui de hoc argumento conscripti sunt libri, laudantur ab Erschio (Lit. d. Phil. Lips. 1822), pag. 1 seq. et Krebsio (*Handb. d. Philol. Bücherkunde.* Brem. 1823) t. II, p. 1-6. Ma.).

4. *Voluntatum.* Augustinus de ord. II, 35, Tullium imitans: *sed audiri absentium verba non poterant: ergo illa ratio peperit literas, notatis omnibus oris ac linguae sonis atque discretis.* Addit Augustinus similiter numerorum inventionem, sicuti prius narrat sermonis originem, prorsus cum Tullii et sententia, et locutione consentiens. Generatim ipse Cicero imitatur Platonis Timaeum, pag. 44 sqq. A. M.

5. *Accessit . . . . ut nupiceremus in caelum.* Conf. Cicer. de N. D. II, 61. Vniverse autem ex Balbi (in lib. II de N. D.) oratione complures sententiae conferri possunt cum his tertii libri fragmentis. Cr.

6. *Immutabilis et aeterna.* Vix dubito, quin Cicero imitetur Platonis Epinomidem, praesertim ob astrorum, noctium, et dierum commemorationem, quae sequitur. A. M.

etiam, ut suspiceremus in caelum, nec frustra siderum motus intueremur,[7] dinumerationibusque noctium ac die[8] . . . . . .

. . . . . .

II. . . . . quorum animi altius se extulerunt, et aliquid dignum dono, ut ante dixi,[1] deorum aut efficere, aut excogitare potuerunt. Quare sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt;[2] sint eruditi; sint veritatis et virtutis magistri: dummodo sit haec quaedam, sive a viris in rerumpublicarum varietate versatis inventa, sive etiam in istorum otio ac literis tractata res, sicut est, minime quidem contemnenda, ratio civilis et disciplina populorum; quae perficit in bonis ingeniis, id quod iam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret. Quod si quis ad ea instrumenta[3]

7. *Nec frustra siderum motus intueremur.* Lactantius Inst. II, 1, 2, universo hoc loco utitur, et quidem diserte ait: *spectare nos caelum deus voluit, utique non frustra.* Pergit Lactantius queri, quod homines oculos suos ab alto deiiciunt, soloque defigunt. Revera statim Cicero subdit, sapientium animos prae vulgo infimo altius se extulisse. A. M.

8. *Noctium ac die.* Supplet Maius *dierum*; sic ipse ad h. l. Cicero N. D. II, 61: *Hominum ratio in caelum usque penetravit: nos astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus: ab hominum genere finitus est dies, mensis, etc. quae contuens animus accedit ad cognitionem deorum; ex qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est.* Haec fere docent, quid hoc codicis loco desideremus, atque ut Cicero ad dicendum de iustitia aditum sibi patefecerit.

II. 1. *Vt ante dixi.* Periit id dictum; vel potius a Lactantio, Inst. III, 14, servatum est: *Ille idem perfectus orator, idem summus philosophus* (Tullius) *ipsam sapientiam, quam alias domum, alias inventum deorum vocat, poëtice figuratam laudat in fusiem.* A. M.

2. *Magni homines, ut sunt.* Intelligit philosophos. Sententia huius Tulliani loci aperte utitur Lactantius Institutionum initio; locutionem ipse Tullius refricat, Leg. I, 5: *sit ista res magna, sicut est.* A. M.

3. *Instrumenta animi.* Singulariter dictum est pro eo, quo aliquis ingenio et vita publica excultus valet. Similia sunt aliquantum loca de Legg. I, 22, 59: *quanta instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam.* Brut. 77, 268: *quidquid habuit... illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae deerant.* Mr.

animi, quae natura, quaeque civilibus institutis habuit, adiungendam sibi etiam doctrinam, et uberiorem rerum cognitionem putavit, ut ii ipsi, qui in horum librorum disputatione versantur, nemo est, quin eos anteferre omnibus debeat. Quid enim potest esse praeclarius, quam quum rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studiis et cognitione coniungitur? Aut quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest? qui, ne quid praetermitterent, quod ad summam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticorum [4] maiorumque morem etiam hanc a Socrate adventitiam doctrinam adhibuerunt. [5] Quare qui utrumque voluit et potuit, id est, ut cum maiorum institutis, tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consequutum puto. Sin alterutra sit via prudentiae deligenda, [6] tamen etiamsi cui videbitur illa in optimis studiis et artibus

4. *Ad domesticorum.* Mavult Mos. *domesticum*; qui sic ad h. l. In cod. est *domesticorum*. Sed primo statim loci adspectu ego haec in schedas conieci: quis h. l. *morem domesticorum* concoquat? Opponitur *adventitia doctrina* mori maiorum et patrio, i. e. *domestico*, neque vero eorum hominum mori, qui erant Scipioni, Laelio et Philo *domestici*, οἰκεῖοι, familiares. Laudat A. Maius Tusc. IV, 3, ubi est *sapientiae studium vetus id quidem*, *etc.* eoque loco sibi consonare Tullium ait. Immo vero, ut re vera sibi consonet Tullius, scribe nostro loco: *ad domesticum maiorumque morem.* Ita dixit eodem sensu de Offic. II, 8, 26: *Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor*: ubi *externa* opponuntur *domesticis*, ut nostro loco doctrina *adventitia* mori *domestico*. Quod h. l. dicit *morem domesticum*, or. pro Rosc. Amer. 6, 15, similiter dixit *domesticus usus et consuetudo.* Nunc Heinrichium in eadem, qua ego, esse sententia, certe eodem, quo ego, modo correxisse locum video.

5. *Morem etiam hanc a Socrate adv. doctrinam adhibuerunt.* Consonat sibi Tullius, Tuscul. IV, 3: *Sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim.* Profecto et ipsi Catoni, qui Laelio et Scipione paullo fuit senior, doctrina transmarina atque adventitia defuit. Cic. Or. III, 33. A. M.

6. *Sin alterutra sit via prudentiae deligenda.* (Cod. *aliter sit utra*, et ita ed. prc.) Num est tmesis pro *alterutra sit?* An simul est metathesis pro *alterutra si?* In codice fit pausa post *sin*. A. M.

Digitized by Google

quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe, et illustrior: ex qua vita sic summi viri ornantur,[7] ut vel M'. Curius,[8]

*Quem nemo ferro potuit superare nec auro;*[9]

vel[10] . . . . . .

7. *Ornantur*. Sic Maius. Ego malim *oriuntur*. I. V. L.

8. *M'. Curius*. Cod. mendose *M.* id est *Marcus* pro *M'*, id est *Manius*. A. M.

9. *Quem nemo ferro potuit superare, nec auro*. Videtur e deperditis Ennii versibus. Sane hunc olim versum legebat imitabaturque Claudianus, Bell. Get. 131: *pectora Fabricii donis invicta vel armis*. Curii fortitudo et abstinentia satis notae sunt. Confer saltem Cicer. de Senect. 13. Quin adeo legendus est etiam Salvianus, de G. D. I, 2, qui non aliena a Tullio scribit. A. M.

10. *Vel*... Desiderari videntur paginae sex. — Sequentibus amissis paginis videtur Cicero persequutus, partim saltem, laudes Romanorum bello togaque praestantium. Et quidem quum in suprascriptis fiat mentio Curii, et mox sine dubio in lacuna Fabricii atque Coruncanii, belli Epirensis heroum, videbatur huius folii materia valde cohaerere cum illa, quae prima est in meo volumine, ubi scilicet laudantur viri primo bello Punico illustres: bellum enim Epirense consequuta est dimicatio cum Carthaginiensibus. Itaque his indiciis commotus dixi in notis, fore ut alio loco de ista lacuna loquerer. Illud etiam accedebat nexus indicium, quod Cicero persaepe heroas belli Epirensis coniunctim celebrat cum illis Punici belli, ut pro Plancio 25; Tusc. I, 46; N. D. II, 66; Parad. I; de Senect. cap. 13. Sed tamen ne ibi hoc folium collocarem, id me in primis deterruit, quod inter mentionem Curii et illam Duelii maius iusto spatium intercederet: quippe illud folium est quaternionis tertii secundum, hoc autem necessario fuisset secundi intimum; ex quo consequebatur, ut paginis octo abesset a Duelio Curius, quod prorsus improbabile est ob aetatis viciniam. Praeterea libri primi folia in superiore margine inscriptam habent libri ipsius notam; tertii contra libri folia omnia libri nota carent; hoc autem folium reapse nota libri destituitur. Adde quod tertius liber videtur ex alio exemplari ab eodem amanuense descriptus; variat enim interdum orthographia ab illa librorum priorum, cuius rei exemplum hoc ipso in folio vidimus, nempe *qum* pro *cum*. Laus quoque illa Scipionis, Laelii et Phili scribitur rectius in tertii libri proœmio, notis iam dialogi personis, quam in operis exordio, nondum cognitis. Et quidem hi tres praecipue tertio in libro disputant. Denique hoc folium haud absurde inseri poterat in id, quod hic mox sequitur, ita ut esset intimum quaternionis XXVIII; quominus tamen id facerem, obstabat quod quatuor exiguae, quae fuissent reliquae, paginae minime sufficere videbantur ei sermoni, qui Phili orationem praecedere debebat: nam et explendum erat proœmium,

III. . . . . fuisse sapientiam :[1] tamen hoc in ratione utriusque generis interfuit, quod illi verbis et artibus [2] aluerunt naturae principia, hi autem institutis et legibus. Plures vero haec tulit una civitas, si minus sapientes, quoniam id nomen illi tam restricte tenent, [3] at certe summa laude dignos, quoniam sapientium praecepta et inventa coluerunt. Atque etiam, quod et sunt laudandae civitates, et fuerunt; quoniam id est in rerum natura longe maximi consilii, constituere eam rempublicam, quae possit esse diuturna: si singulos numeremus in singulas, quanta iam reperiatur virorum excellentium multitudo?[4] Quod si aut Italiae Latium, aut eiusdem Sabinam aut Volscam gentem, si Samnium, si Etruriam, si magnam illam Graeciam collustrare animo voluerimus; si deinde Assyrios, si Persas, si Poenos, si haec[5] . . . . . .

et dicendum de secundi diei initio, et Fannius cum probabili causa a conventu submovendus: tum sermo personarum redintegrandus, tum rogandus Philus, ut contra iustitiam dissereret, qui reapse codicis p. 21 eam spartam orandam suscipit. Haec omnia in tam exiguo spatio membranarum concludi vix poterant. Itaque hoc folium praevertendum esse videbatur, ut feci. A. M.

III. 1. *Fuisse sapientiam.* Loquutus fuerat Cicero in lacuna de illa exquisitiore et abstrusa sapientia, quam philosophi quidam iactabant. En vero, ut sibi ipsi supplementa dat auctor Laelii ore, de Am. cap. 5: *Eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consequutus; nos autem ea, quae sunt in usu vitaque communi, non ea, quae finguntur aut optantur, spectare debemus. Numquam ego dicam C. Fabricium, M'. Curium, etc. ad istorum normam fuisse sapientes, etc.* Eadem dicit Cicero, de Offic. III, 4, concluditque, neminem exquisite sapientem fuisse, nec ipsum Catonem aut Laelium. Conspirat cum Tullio Lactantius, Inst. III, 14; VI, 6; Epit. XXX, XL; de Op. D. cap. 1. A. M.

2. *Artibus. Ars* est, quam vulgo hodie minus latine *theoriam* dicunt. Sed ipse Noster illud vocabulum optime explicat de Orat. II, 7, 30: *Ars.... earum rerum est, quae sciuntur*; de Finn. III, 15, 49: *Artes ex cognitionibus comprehensionibusque rerum effici* dicit. Academ. II, 7, 22: *ars... ex multis animi perceptionibus constat.* Hoc etiam sensu iungit *artem et praecepta* de Orat. II, 14, 44. Mn.

3. *Restricte tenent.* Hanc paucitatem irridet etiam Lactantius Inst. IV, 1. A. M.

4. *Multitudo.* Legesis Augustinum, C. D. lib. XVIII. A. M.

5. *Si haec . . .* Desiderantur paginae

Digitized by Google

IV. . . . Quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati. *Seneca Epist.* 108. [1]

. . . . cati.— Et Philus: Praeclaram vero causam ad me defertis, quum me improbitatis patrocinium suscipere vultis.— Atqui id tibi, inquit Laelius, verendum est, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, quum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei; [2] neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partes disserendi, quod ita facillime verum inveniri putes. — Et Philus: Eia vero, inquit, geram morem vobis, et me oblinam [3] sciens; quod quoniam, qui aurum quaerunt, non putant sibi recusandum, nos quum iustitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorem, [4] nullam profecto molestiam fugere debemus. Atque utinam, quemadmodum oratione sum usurus aliena, sic mihi ore uti liceret alieno! Nunc ea dicenda sunt L. Furio Philo, quae Carneades,[5] graecus

duodecim.— In lacuna enumeraverat Cicero politicorum, praesertim Romanorum, copiam; cui codicis defectui medetur quodammodo ipse auctor de Or. I, 2, 48; III, 33; praesertim vero Nat. D. II, 66; quos locos qui leget, magnum huius lacunae solamen inveniet. Est autem haec quoque Platonis imitatio, apud quem Reip. II, p. 366, mos Socratis aliorumque philosophorum fuisse dicitur, ut iustitiae laudationem a priscis heroibus exordirentur. A. M.

IV. 1. Aptissimum huic loco fragmentum id, quod Maius praetermisit. I. V. L.

2. *Exemplum antiquae probitatis et fidei.* Imitatio rursus Platonis est Reip. II, p. 368. Philus inter viros bonos apud Cic. de Am. 6. Is, fidei causa, Mancinum dedidit Numantinis. A. M.

3. *Et me oblinam.* More eorum, qui aurum in fluviis quaerunt, aut metalla tellure effodiunt. Confer Silium I, 231, et Statium Silvar. IV, 7, 15. A. M.

4. *Rem multo omni auro cariorem.* A Platone haec sunt Reip. I, p. 336: εἰ μὲν χρυσίον ἐζητοῦμεν... δικαιοσύνην δὲ ζητοῦντας, πρᾶγμα πολλῶν χρυσίων τιμιώτερον. A. M.

5. *Carneades.* Notissima est illa Carneadis Academici, Critolai Peripatetici et Diogenis Babylonii Stoici legatio, anno 157 a. C. n. Athenis Romam missa, qua *Graecia* (armis) *capta ferum victorem cepit* (doctrina). Qua in legatione Carneadis potissimum ars dialectica ita emicuit, ut M. Cato in senatu diceret: ab hoc viro cavendum

homo, et consuetus, quod commodum esset, verbis [6]

. . . . . .

. . . . ut Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet. *Nonius* IV, 71.[7]

esse, qui ob eloquentiam et disserendi facultatem facile, quaecumque vellet, impetrare posset. Quare etiam senatus curavit, ut ii homines legatione functi, impetrata, quam petebant pro Atheniensibus, venia, domum abirent. De Carneade contra iustitiam coram Catone censorio disputante vid. Quintil. XII, pag. 1053, ed. Burmann. Mr. —Sequentem orationem contra iustitiam totam a Carneade sumpsisse Tullium ait libere Lactantius, Inst. V, 17: *Adeone iustitiam, o Furi, vel potius o Carneade, cuius est illa omnis oratio, etc.* Sed tamen inferius quaedam sunt, quae a Carneade dici non potuerunt. Carneadis mors refertur ab Apollodoro apud Laertium IV, 9, 7, ad annum quartum Olympiad. CLXII, quo fere ipso anno de rep. disputabatur. Eiusdem eloquentiam laudaverunt in suis historiis Polybius et Rutilius, teste Gellio VII, 14, quorum historicorum scripta non ignoravit Cicero. Denique Phili copiosam disputationem contra iustitiam legebat Seneca, Epist. CVIII. A. M.

6. Desiderari videntur paginae quatuor. Sententiam sic fere continuare licet: *Apte comprehendere, quam copiosissime dissereret, tamen nostris hominibus, viris bonis, probare minime potuit. Meminisse enim vos credo, eum, quum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, P. Cornelio, M. Marcello coss. audiente Galba et Catone, vobis quoque mecum, Scipio et Laeli, praesentibus, disputare de iustitia, etc.* Cic. de Or. II, 37; Tusc. IV, 3. A. M.

7. Hic fragmentum Lactantii Maius interpolavit, quod est: *Carneades, Academicae sectae philosophus, cuius in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex praedicatione Ciceronis intelliget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima, ostendit, non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum orcus remittat. Is quum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de iustitia copiose, audiente Galba et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit, et iustitiam, quam pridie laudaverat, sustulit; non quidem philosophi gravitate, cuius firma et stabilis debet esse sententia; sed quasi oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet asserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur: credo, quoniam de republica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rempublicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem, iustitiae patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quae pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere.* Lactantius Inst. V, 14. — *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de iu-*

Digitized by Google

Iustitia foras spectat, et proiecta tota est, atque eminet. [8] *Id.* IV, 374.

Quae virtus, praeter ceteras, tota se ad alienas utilitates porrigit atque explicat. *Id.* IV, 174.

V..... et reperiret, et tueretur; alter autem de ipsa iustitia quatuor implevit sane grandes libros. [1] Nam ab Chrysippo nihil magnum nec magnificum desideravi, qui suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus, exa-

*stitia multa dixerunt, asserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et quum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota prominеat, et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit. Quasi vero in iudicibus solis atque in potestate aliqua constitutis iustitia esse debeat, et non in omnibus. Atqui nullus est hominum, ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem iustitia cadere non possit. Sed quia ignorabant, quid esset, unde profluеret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est, commune omnium bonum, paucis tribuerunt, eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito exstitit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem, et iustitiam, quae fundamentum stabile non habebat, everteret; non quia vituperandam esse iustitiam sentiebat; sed ut illos defensores eius ostenderet nihil certi, nihil firmi de iustitia disputare.* Lactantius Epit. cap. 55. — Haec autem Maius addit: Audacter hoc frustum tertio in libro collocavi, quamquam tres, quas inspexi, Nonii editiones id secundo libro dant; e novem autem Vaticanis Nonii codicibus quinque idem secundo aeque libro dant; nam quatuor reliqui eo carent. Sed enim grammaticos, praesertim in numeralibus notis, esse corruptissimos et saepe docui, et mox de Nonio iterum ipso, et deinceps de Gellio confirmabo. Certe vix verisimile videtur, Carneadis mentionem fieri ante tertium librum. — Neque Tullium, neque opus de Rep. appellat Lactantius; sed tamen duo, quos subiungo, ex Nonio loci evidenter me admonuerunt, Tullium hic exscribi a Lactantio, et quidem copiosius, quam a Nonio, cuius duae auctoritates in Lactantii oratione continentur. Iam ipsum Lactantium non e secundo, sed e tertio de Rep. haurire quis dubitet, quum mentio fiat operum de iustitia tum Platonis, tum etiam Aristotelis, quae scripta mox ipse Cicero cap. 8 appellat? A. M.

8. *Iustitia,* etc. Nonius voc. *proiectum.* Hoc Nonii fragmentum Sch. capitis sexti, et quod sequitur *Quae virtus praeter,* etc. capitis septimi loco posuit. A. M.

V. 1. *Quatuor implevit sane grandes libros.* Sermo est de Platone et de Aristotele, ut cognoscimus e praedictis Lactantii locis, praeteresque ex

minet. Illorum fuit heroum,[2] eam virtutem,[3] quae est una, si modo est, maxime munifica et liberalis, et quae omnes magis, quam se ipsa diligit, aliis nata potius, quam sibi, excitare incentem, et in illo divino solio, non longe a sapientia, collocare. Nec vero illis aut voluntas defuit; quae enim iis scribendi alia causa, aut quod omnino consilium fuit? aut ingenium, quo omnibus praestiterunt. Sed eorum et voluntatem et copiam causa vicit. Ius enim, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum:[4] nam si esset, ut calida et frigida, et amara et dulcia, sic essent iusta et iniusta eadem omnibus.[5]

VI. Nunc autem si quis, illo Pacuviano[1] invehens alitum[2] anguium curru,[3] multas et varias gentes et urbes despicere, et oculis collustrare possit; videat primum in illa incorrupta maxime gente Ægyptio-

eodem Lactantio Inst. V, 17, Plato quanta scripserit de iustitia videmus; Aristotelis autem libri de iustitia quatuor noti sunt ex Laërtio V, 12, aliisque auctoribus. A. M.

2. *Illorum fuit heroum.* Platonis et Aristotelis. A. M.

3. *Eam virtutem.* Scilicet iustitiam, quam Plato Reip. I, p. 351, sapientiae et virtutis ipsius nomine appellat. Lactantius epit. LV, iustitiam a sapientia non distinguit. A. M.

4. *Naturale nullum.* Confer Hieronymum in Iovin II, 17; immo vero potius Lactantium Inst. VI, 9, qui huic iniquae sententiae contradicit: *Cur per omnes populos diversa et varia iura sunt condita, nisi quod unaquaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile?* A. M.

5. *Et inf. eadem omnibus.* Eadem est observatio Platonis in Minoe pag. 315, nec non Horatii Sat. I, 3, 113. Sed verius ab Augustino in ps. IC, 5, dicitur sicut oculus album et nigrum, ita homo aequitatem iniquitatemque discernere. A. M.

VI. 1. *Illo Pacuviano.* Cod. sec. manu *pacuviano*; at pr. *paculano*. Sane mendose *l* pro *i*; ceterum unam *u* pro *duabus* nummi veteres exhibent, nempe *Paquius* pro *Pacuvius*. A. M.

2. *Alitum anguium.* Est etiam *ales* adiectivum in versu Ciceroniano ex Arateis de N. D. II, 44, 112: *Inde est ales avis lato sub tegmine caeli.* Ms.

3. *Curru.* Videtur locus e Pacuvii Medo. Nunc autem haud dubio indicio ad Pacuvium referendus est senarius ille, qui ex incerto poëta profertur a Cic. de Invent. I, 49: *angues ingentes alites iuncti iugo*; quem versum spectat Philus haec loquens. Fabula Medi est apud Hyginum XXVII, ubi Medea curru iunctis draconibus supervenit. A. M.

Digitized by Google

rum, quae plurimorum saeculorum et eventorum memoriam literis continet, bovem quemdam putari deum, quem Apim Ægyptii nominent; multaque alia portenta apud eosdem, et cuiusque generis belluas numero consecratas deorum.[4] Deinde Graeciae, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt: eamque unam ob causam Xerxes inflammari Atheniensium fana iussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret.[5] Post autem cum Persis et Philippus qui cogitavit,[6] et Alexander qui gessit, hanc bellandi causam inferebat, quod vellet Graeciae fana poenire:[7] quae ne reficienda quidem Graii putaverunt, ut esset posteris ante os[8] documentum Persa-

4. *Et cuius generis belluas numero consecratas deorum.* Rem apud veteres auctores exploratissimam confirmant magnopere pictae tot papyri, quas docti peregrinatores in Europam ex Aegyptiorum sepulchris fanisve devehunt, aut in suis ephemeridibus exprimunt. Genus id Aegyptiacorum studiorum nos ipsi posthinc cumulaturi sumus, edendis Vaticanis, quas lithographico prelo paramus, papyris cum idonea notitia. De origine belluini cultus in Aegypto, Lact. Inst. II, 13; Cic. N. D. I, 36. A. M.

5. *Nefas esse duceret.* Rem narrat Cicero etiam Leg. II, 10. Sententiam vero copiose versat Arnobius lib. VI; praetereaque Lact. Inst. II; Cyprianus de Idol. van. Varro et Seneca apud Augustinum C. D. IV, 9, 31, VI, 10; Macrob. Somn. I, 2; Tacit. de Mor. Germ. 9, et Hist. V, 5; Plutarch. in Num. 8. Insulsa ceteroqui Xerxis illa sententia fuit. A. M.

6. Forte *bellum*. I. V. L.

7. *Poenire*. Ita cod. Et notemus orthographiam, simulque vim τοῦ *poenire* pro *ulcisci*. A. M. (De scriptione *poenire* vid. nunc etiam Amed. Peyr. ad Fragmm. Oratt. Cic. p. 299, ed. Stgt. 1824. Ma.)

8. *Vt esset posteris ante os.* Putat Mos. scribendum *oculos*. Sic ipse ad h. v.: Ita scripsi; quamquam A. Maius ex cod. edidit *ante os*, et in eo acquieverunt editores omnes. Sed neque Cicero, neque alius quisquam bonae notae scriptor dixit *est mihi aliquid ante os*. Scio equidem *ante ora* dicere potestas, v. c. Virgil. Aen. I, 95, ipsumque Nostrum non semel dixisse *in ore atque oculis omnium*, v. c. or. in Verr. II, 33, 81. Quid multa? $\overline{OS}$ est compendium scribendi pro *oculos*, quod Ciceroni fuit reddendum.

rum sceleris sempiternum. Quam multi, ut Tauri in Axino,[9] ut rex Ægypti Busiris, ut Galli, ut Poeni,[10] homines immolare et pium, et diis immortalibus gratissimum esse duxerunt! Vitae vero instituta sic distant, ut Cretes et Ætoli[11] latrocinari honestum putent: Lacedaemonii suos omnes agros esse dictitarint, quos spiculo possent attingere. Athenienses iurare etiam publice solebant, omnem suam esse terram, quae oleam, frugesve ferret.[12] Galli turpe esse ducunt, frumentum manu quaerere; itaque armati alienos agros demetunt. Nos vero iustissimi homines, qui transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus,[13] quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae: quod quum faciamus, prudenter facere dicimur, iuste non dicimur; ut intelligatis, discrepare

9. *Axino.* Euxinus ab antiquis dictus fuit *Axenus* (ἄξεινος ionice) teste Strabone VII, p. 458 et 460, nec non Ovidio Trist. IV, 4, 56. Hic autem scribitur *Axinus*. Sic illa civilis sententia apud Aristotelem Nicom. IX, 10: μήτε πολύξεινος μήτ' ἄξεινος. A. M.

10. *Vt Poeni.* Vniverse de sacrificiis humanis vid. Historiam Acad. regiae bon. art. Paris. (cuius mihi nonnisi versio Germanica ad manum est), t. I, p. 49-57, et tom. IX, p. 247-252, ubi sunt excerpta commentationum super hac re Boissyi, Morini et Frereti. Ma.

11. *Vt Cretes et Aetoli.* Aetolorum legem praedandi firmissimam recitat Polybius XVII, 4, IV, 3. Idem ait, VI, 46, apud Cretenses nullum turpe putari lucrum. Generatim hanc iniquam praedandi sententiam tribuit priscis hominibus scholiastes Ambrosianus a me editus ad Hom. Odyss III, 73, XIV, 230. A. M.

12. *Frugesve ferret.* Pars haec erat iurisiurandi epheborum: ὅροις χρήσασθαι τῆς Αττικῆς, πυροῖς, κριθαῖς, ἀμπέλοις, ἐλαίαις. Hanc vero particulam sapienter animadvertit Petitus in Plutarcho, Alcib. 15, addiditque reliquae formulae, quae exstabat apud Pollucem atque Stobaeum. Rem modo confirmat Cicero. A. M.

13. *Et vitem serere non sinimus.* Notanda haec Romanorum severitas, quae tamen diutius non videtur perseveravisse. Vtique multo post Domitianus in provinciis extra Italiam multum vinetorum succidi iussit. Sueton. in eo cap. 7; quam legem sustulit Probus. Vopisc. in eo, cap. xviii. Vim legum eiusmodi gentes aliquot novi orbis nuperius passae sunt. Saevitia Romanos Poeni excesserunt, dum omni cultu ac satione Sardiniae interdixerunt, ut ait Aristoteles Mir. aud. p. 708. A. M.

ab aequitate sapientiam.[14] Lycurgus autem ille legum optimarum et aequissimi iuris inventor, agros locupletium plebi, ut servitio, colendos dedit.[15]

VII. Genera vero si velim iuris, institutorum, morum consuetudinumque describere, non modo in tot gentibus varia, sed in una urbe, vel in hac ipsa, millies mutata demonstrem: ut hic iuris noster interpres alia nunc Manilius iura dicat esse de mulierum legatis et hereditatibus, alia solitus sit adolescens dicere, nondum Voconia lege lata;[1] quae quidem ipsa lex, utilitatis virorum gratia rogata, in mulieres plena est iniuriae.[2] Cur enim pecuniam non habeat mulier? cur virgini Vestali sit haeres,[3] non sit matri suae? Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset aeris millies,[4] salva lege, mea tricies non posset?[5] . . . . . .

14. *Discrepare ab aequitate sapientiam.* Rem explicat Lactantius Inst. V, 14, et epist. LVIII. Contradicit Cicero Offic. II, 3, 9, III, 15; et Socrates apud Xenoph. Memor. III, 9, 6. Plato quidem apud Cic. Off. I, 19, scientiam a iustitia remotam, calliditatem potius quam sapientiam ait esse appellandam. A. M.

15. *Colendos dedit.* Helotis scilicet. A. M.

VII. 1. *Nondum Vocōnia lege lata.* Lata est Voconia lex anno urbis 585, id est, quadragesimo ante hunc de repub. dialogum, Manilio tum adolescente. (Cf. Praefat.) A. M.

2. *In mulieres plena est iniuriae.* Lege Voconia nihil iniquius dici aut cogitari posse putat Augustinus C. D. III, 21. Quod autem idem ait, ea lege *nec unicam filiam* heredem fieri licuisse, error videtur pro *nisi unicam filiam*; docet enim in hoc opere Tullius, a filia unica potuisse hereditatem capi. Augustini tamen codices Vaticani, quotquot consului, etiam valde veteres, constanter tuentur editionum *nec*; itemque editiones non recentes solum, verum etiam antiquissimae anni 1467 et 1470, nec non vetus operis interpres Italus. A. M.

3. *Cur virgini Vestali heres.* Ipse Numa, ut ait in eius vita cap. 10 Plutarchus, Vestalibus, vivente etiamnum patre, testamentum condere concessit. Adde Caium I, 145. A. M.

4. *Millies... tricies.* Vide de huius pecuniae summa cum nostra comparata Eisenschmidium de Pondd. et Mensur. pag. 191; Wurm. de Pondd. Numm. Mensurr. rationibus ap. Rom. et Gr. 24. Ma.

5. *Mea tricies non posset.* Ergo filia Crassi, quod unica esset, potuit he-

VIII..... sanxisset iura nobis,[1] et omnes iisdem, et iidem non alias aliis uterentur. Quaero autem, si iusti hominis, et si boni est viri parere legibus; quibus? an quaecumque erunt?[2] At nec inconstantiam virtus recipit, nec varietatem natura patitur; legesque poenâ, non iustitiâ nostra, comprobantur. Nihil habet igitur naturale ius: ex quo illud efficitur, ne iustos quidem esse natura. An vero in legibus varietatem esse dicunt, natura autem viros bonos eam iustitiam sequi, quae sit, non eam, quae putetur?[3] esse enim hoc boni viri et iusti, tribuere id cuique, quod sit quoque dignum. Ecquid ergo primum mutis tribuemus belluis? non enim mediocres viri, sed maximi et docti, Pythagoras et Empedocles,[4] unam omnium

reditatem vel maximam adire; contra Phili, qui alios heredes suos haberet, filiae ne multo quidem minorem cernere licuit. Adde Cic. in Verr. I, 41: *P. Asellus quum haberet unicam filiam, neque census esset; quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis heredem instituere-ret. Heres erat, filia; faciebant omnia cum pupilla, legis aequitas, voluntas patris, edicta praetorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, quum Asellus est mortuus*, etc. Operae autem pretium erit cognoscere, quae ibidem Asconius de censis dicit, nec non ipse Cicero in eadem oratione c. 43, et Dio LVI, 10. Rursus aliam controversiam de filiae hereditate iuxta legem Voconiam exponit Cic. Fin. II, 17. A. M. — Desiderari videntur paginae duae. A. M.

VIII. 1. *Sanxisset iura nobis.* Nisi plura desunt ad hanc periodum supplendam, addi vel praemitti potest: *Quod si natura sanxisset*, etc. Cn. — Acephala sententia refertur ad praedictos populorum varios mores, mutatasque pro temporibus leges. A. M.

2. *An quaecumque erunt.* Ita videtur Cod. sec. manu; at pr. *erant*. A. M.

3. *Quae putetur.* Haec uberius disputat Cicero Leg. I, 15 sqq. ubi naturale ius magnopere adserit. A. M.

4. *Et Empedocles.* Pythagoram copiose declamantem contra caedem esumque animalium facit Ovidius Metam. XV, 75 sqq. Adi et Iuven. XV, 173; Servium Aen. X, 564. Empedoclis eadem de re carmina refert Sextus Emp. IX, 129; quia scilicet ille metempsychoseos opinioni adhaerebat, ut ait Proclus a me saepe laudatus. A. M. *Scelus est igitur nocere bestiae.* A Pythagorica sententia longe abest Cicero Legg. I, 8: *Perspicuum est, pecudes partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas.* Sane inter Veteres controversia haec fuit famigerata. Confer Senecam ep. 108, Plutarch. περὶ σαρκῶν. Porphyr. de esu anim. Hier. in Iovin. II, 7, ep.

Digitized by Google

animantium conditionem iuris esse denuntiant; clamantque, inexpiabiles poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur nocere bestiae; quod scelus qui velit . . , . . . . . , . . . .

IX. . . . Nam quum[1] quaereretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone; Eodem, inquit, quo tu orbem[2] terrae. *Nonius* IV, 226; XIII, 6.

. . . .[3] omnibus . . . . tote.[4] Sapientia iubet augere

CVII, 8, et in supposita monachorum regula cap. 12; August. de Mor. Manich. II, 28, 36 sqq. et de haeres. 46. Quaestionem inter recentiores copiose tractavit Puffendorfius de Iur. nat. et gent. IV, 3. Solutio vero praecipua est, quod inter homines et bruta nullum ius intercedit, ut iamdiu observavit Sextus Emp. contra phys. IX, 130, frustra admodum reclamante Porphyrio. A. M. — *Quod scelus qui velit.* Exin supersunt duo tantum folia seu paginae octo usque ad initium quaternionis quadragesimi. A M.

IX. 1. *Nam quum*, etc. Hunc locum Heinr. ad calcem libri reiecit, St. abiecit, Sch. caput totum 12 inde conficit, Villem. partem capitis undecimi. Mr.

2. *Quo tu orbem terrae.* Nonii fragmentum hic collocavi; quia sermo est de Alexandro Macedone, cuius, si bene codicem lego, meminit in proxime sequentibus Cicero. Iam vero hoc dictum archipiratae adversus Alexandrum fuisse eiaculatum, percommode nos docet Augustinus C. D. IV, 4: *Eleganter et veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam quum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum; ille libera contumacia, quod tibi, inquit, ut orbem terrarum: sed quia ego exiguo navigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, imperator.* A. M.

3. Locum hunc mutilatum sic restituere Maius conatus est: » Omnibus *quaeritote*.... Vnde enim potuisset Alexander summus *ille* imperator *qui* in *Asia olim* armis fines imperii... »

4. *Omnibus quaeritote.* Non est nobis praetereunda disputatio Censoris Lipsiensis 1824, 6, de hoc loco et c. 14, qui, postquam admodum feliciter plerumque divinasse Angel. Maium dixit horum fragmentorum seriem, contendit eas paginas, quae margini adscriptum habent numeros 67 et 58, cap. 14, ponendas fuisse ante p. 47 et 48, cap. 12. Finiri enim ait c. 12, interrogatione et disquisitione de legitima rerum possessione, vel abrumpi potius, ita ut verba in fine capitis *iustitia an sapientia est e minimo omnium*... supplenda videantur *potentissimus factus?* Quod si sententiam ex Lactantio continuamus, qui eam cum deperditis ita contraxit Inst. V, 16: *Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseriis iacendum:* haec manifesto cohaerent cum iis, quae nunc collocata

opes, amplificare divitias, proferre fines. Vnde enim posset[5] [Alexander] summus .... imperator ..... in ..... [armis] fines imperii propagavit, nisi aliquid de alieno accessisset, imperare, quam plurimis frui voluptatibus, pollere, regnare, dominari? Iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere; sacra, publica, [aliena] non [tangere[6]]. Quid igitur efficitur? Si sapientiae pareas, divitiae, potestates, opes, honores, imperia, regna, vel privatis, vel populis.[7] Sed quoniam de republica loquimur, sunt illustriora, quae publice fiunt; quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populi sapientia dicendum puto. Et iam omittam alios. Noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur,[8] iustitia an sapientia est e minimo omnium.[9] . . . . . [10]

sunt cap. 15 extr. pag. 1: *Praeter Arcades et Athenienses, qui, credo, timentes hoc interdictum iustitiae ne quando exsisteret, commenti sunt se de terra, tamquam hos ex arvis musculos, exstitisse.* Confirmatur etiam haec locorum dispositio a Lactantio enarrata tota contra ius et iustitiam disputatione. — Quae omnia mihi admodum probabiliter et acute disputata videntur. Mn.

5. *Posset.* In MS. superest tantum *set*, unde Maius leg. *potuisset.* Ipse autem fatetur spatium non sufficere huic verbo. Post uncis includimus quidquid dubium est. I. V. L.

6. *Sacra, publica, (aliena) non (tangere).* Fortasse legendum *sacra, publica, priva* (v. *privata*), *profana non tangere.* Conf. Platon. de Republ. I, pag. 334, 36, Bekkeri: ἢ οὐ κατὰ σμικρὸν τἀλλότρια καὶ λάθρα καὶ βίᾳ ἁρπαζῃται καὶ ἱερὰ καὶ ὅσια καὶ ἴδια καὶ δημόσια, ἀλλὰ ξυλλήδδην. κ. τ. λ. Plaut. Trin. II, 2, 10 sq. *Turbant, miscent mores, malus rapax, avarus, invidus; sacrum, profanum, publicum, privatum habent.* Cn.

7. *Vel populis.* Nempe *efficiuntur.* A. M.

8. *Terrae tenetur.* Africani scilicet, Paullo geniti, aetate, victo Perseo; deletis Corintho et Carthagine, Hispania domita, tot aliis provinciis occupatis, ut observat Polybius hist. praef. A. M.

9. *Omnium.* Desiderantur paginae neque plus octo, neque minus quatuor. A. M.

10. Hic inseruit A. Maius fragmentum Lactantii: *Quantum a iustitia recedat utilitas, populus ipse romanus docet, qui per feciales bella indicendo, et legitime iniurias faciendo, semper-*

X..... Sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni; sed se Iovis optimi nomine malunt reges vocari. Quum autem certi propter divitias, aut genus, aut aliquas [1] opes rempublicam teneant, est factio; sed vocantur illi optimates. Si vero populus plurimum potest, omniaque eius arbitrio reguntur, dicitur illa libertas; est vero licentia. Sed quum alius alium timet, et homo hominem, et ordo ordinem, tum, quia sibi nemo confidit, quasi pactio fit inter populum et potentes:[2] ex quo exsistit id, quod Scipio laudabat, coniunctum civitatis genus. Etenim [3] iustitiae non natura, nec voluntas, sed imbecillitas mater est. Nam quum de tribus unum esset optandum, aut facere iniuriam, nec accipere; aut et facere, et accipere; aut neutrum: optimum est facere impune,[4] si possis; secundum, nec facere, nec pati; miserrimum, digladiari [5] semper,

*que aliena cupiendo atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit.* Lactantius Inst. VI, 9. — *Quae sunt patriae commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est, fines propagare aliis violenter creptos, augere imperium, vectigalia facere meliora, etc. Itaque haec bona quisquis patriae adquisierit, hoc est, eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in caelum, in hoc putatur summa et perfecta esse virtus: qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant ad iniustitiam.* Lactantius Inst. VI, 6.

X. 1. *Aliquas.* Maius legat libentius *alias.* I. V. L.

2. *Et potentes.* Lactantius epitom. cap. 59: *leges sibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut se interim tutos ab iniuriis facerent.* Legantur reliqua in eo Lactantii articulo, quae fortasse Tulliana sunt. A. M.

3. *Etenim iustitiae,* etc. Conf. quod ad sententiam colloquium legatorum Atheniensium cum Meliis apud Thucydid. V, 85, in primis c. 89, ubi illi in eamdem, in quam Carneades, sententiam disputant, ut fere Meno apud Xenophontem Anabas. II. 6, 13. Cr.

4. Sic distinxit Mos. *optimum est facere, impune si possis.*

5. *Digladiari.* Hoc verbo alibi uti solet Noster de philosophorum contentionibus; semel de armis: vid. de Legg. III, 9, 20, ed. nostr. et Cr. p. 421. Ceterum haec vox Ciceroni videtur propria, neque ab aliis scriptoribus usurpata, Ma.

tum faciendis, tum accipiendis iniuriis.[6] Ita qui primum illud assequi[7] . . . . . .[8]

. . . . praeter Arcades[9] et Athenienses, qui, credo, timentes hoc interdictum iustitiae[10] ne quando exsisteret, commenti sunt se de terra, tamquam hos ex arvis musculos,[11] exstitisse.

XI. Ad haec illa dici solent, primum ab iis, qui minime sunt in disserendo mali; qui in hac causa eo

6. *Tum accipiendis iniuriis.* Exscribitur prope Plato Reip. II, pag. 358. Sic Epicurus apud Lactantium Inst. III, 17: *sapientis est male facere, si et utile sit et tutum.* A. M.

7. *Assequi.* Merito acute A. Maium hunc locum supplevisse ait Sch. iis additis, quae in annotatione e Platonis sermone addenda esse suspicatus est. Ma. — E Platonis sermone, quem postremo loco indicavi, videtur Cicero sic fere continuandus: *itaque qui primum illud assequi nequiverit, in secundo ei consistendum est, videlicet ut neque faciat iniuriam, neque patiatur.* A. M.

8. Hic inseruit Maius fragmentum hoc Lactantii.

9. *Arcades.* De Arcadibus, qui se ipsos προσελήνους appellabant, vid. Creuz. *Symb. u. Mythol.* IV, pag. 79 sq. Epitom. nostr. p. 740. De Atheniensibus αὐτόχθονας se dicentibus vid. annott. ad Creuz. Orationem de civitate Athenarum omnis humanitatis parente (Lugd. Bat. 1809), p. 66; add. Argum. 3: Avium Aristoph. init. et interprr. ad Lucian. de Gymn. 18, p. 897 I, 40, ed. Hemst. Ma.

10. *Interdictum iustitiae.* Verba interdicti ex Caio IV, 55, cognoscuntur haec: *uti possidetis, quae neque vi, neque clam, neque precario alter ab altero possidetis.* Id si publice populis interdiceretur, cedendum esset de possessione omnibus, qui alienam regionem invaserunt. Itaque soli Aborigines in possessione manerent. Hinc Arcades et Athenienses semet αὐτόχθονας appellaverunt; quam scilicet horum populorum praerogativam memorant Ovidius Fast. II, 289; Statius Theb. IV, 275; Servius G. II, 342; Censorinus cap. 4; Suidas voc. Αθην. et voc. Φιρτχ. Αθ. Conf. etiam Pausaniam V, 1. Aliter Livius I, 8: *vetere consilio condentium urbes, qui, obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur.* Hinc illa locutio *terrae filius.* Aliter idem Censorinus de Arcadibus cap. 19. A. M.

11. *Ex arvis musculos.* Disputatur scilicet in prato (lib. I, 12), ubi musculi conspici poterant; sicuti a disputantibus Acad. IV, 25, spectatur e litore navis. Hic vero loquitur Cicero ex eorum physicorum sententia, qui musculos terra genitos putabant, e quibus est Sextus Emp. I, ff. 41; quo loco Fabricius post τὰ δ' ἐκ γῆς egregie supplet ὡς μῦς, quam coniecturam nunc mire confirmat Cicero. Opinionem relicit Lactantius Inst. II, 8, ff. 37. Homines in omnibus terris et agris tamquam vermiculos aut fungos esse generatos, stulta Stoicorum

plus auctoritatis habent, quia, quum de viro bono quaeritur, quem apertum et simplicem[1] volumus esse, non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi. Negant enim, sapientem idcirco virum bonum esse, quod eum sua sponte ac per se bonitas et iustitia delectet; sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo vita bonorum virorum sit,[2] contra autem improbis semper aliquis scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos iudicia et supplicia versentur; nullum autem emolumentum esse, nullum iniustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut impendere aliquam poenam putes, damna[3] . . . . . .

XII. Quaero,[1] si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa iustitia, singulari fide; alter insigni scelere, et audacia; et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem, qui sit improbissimus,

et nominatim Democriti apud Lactantium VII, 4, et 7, sententia est. A. M.

XI. 1. *Quem apertum et simplicem.* Ἀνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, ut loquitur Plato Reip. II, p. 361, quicum Cicero consentit etiam in sequentibus. Confer super hac definitione Lactantium Inst. VI, 12; Cic. Offic. III, 13. Epicureos *viros bonos* appellat Cicero Leg. I, 7. A. M.

2. *Virorum sit.* Conf. Cic. Leg. I, 14. Sine dubio autem hic Cicero loquitur de Epicureis, qui, ut ait Servius Ecl. VI, 14, in rebus etiam seriis semper inserebant voluptates: quippe isti idcirco virtutem colebant, ut vel voluptatem ex ea caperent, vel certe molestiarum causas vitarent. Quare et Cicero Fin. II, 21, de iisdem loquens pingit voluptatem in solio, cui praesto essent virtutes, ut ancillulae, dicentes, se quidem sic natas esse, ut illi servirent, aliud negotii nihil haberent. Lege etiam Augustinum C. D. V, 20, XIX, 1, et serm. CL de verbis Act. apost. Argumentum copiose versat Plato Leg. II, pag. 662 sqq. Cyrenaici (sati scilicet voluptario Aristippo) conspirabant cum Epicureis, teste Lactantio Inst. III, 8: *aiunt Cyrenaici, virtutem ipsam ex eo esse laudandam, quod sit efficiens voluptatis.* A. M.

3. *Damna.* Desiderantur paginae neque plus octo, neque minus quatuor. A. M.

XII. 1. *Quaero.* Verba *Quaero . . . malit* iam nota erant e Lactantio V, 12. Cod. palimpsestus hic incipit a literis, *netur egeat.* I. V. L.

existimet[2] esse summa probitate ac fide, proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur,[3] rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur,[4] egeat, postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur; contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur; vir denique optimus omnium existimatione, et dignissimus omni fortuna optima iudicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit?[5]

XIII. Quod in singulis, id est in populis: nulla est tam stulta civitas, quae non iniuste imperare malit, quam servire iuste. Nec vero longius abibo. Consul

2. *Existimet.* Haec verior codicum lectio videtur; sed vulgo legitur *existimetur.* A. M.

3. *Bonus ille vir vexetur,* etc. Hugo Grotius de Verit. Relig. Christ. IV, 12, pag. 289 sq. Koecheri. Hal. 1734 (ed. I. Clerici, Amst. 1709): *Plato de Republica II, pag. 594, quasi praesciis, ait, ut vere iustus exhibeatur, opus esse, ut virtus eius ornamentis spolietur, ita ut ille habeatur ab aliis pro sceleste, illudatur, suspendatur denique.* Et in annot. *Graeca sic habent:* Μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δήσεται, ἐξκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ· τελευτῶν, πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδυλευθήσεται. Vnde Cicero illud sumpsit, et in tertium de Rep. librum retulit: *Bonus ille vir,* etc. Lactantius Inst. lib. VI, cap. 17, hunc nobis locum Senecae servavit: *Hic est ille homo honestus, qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendenda per patibulum manus, non quaerit, quid patiatur, sed quam bene.* Notum autem est, multos illum Platonis de Repub. locum cum iis comparavisse, quae de Christo patiente narrantur. Ca.

4. *Exterminetur.* Apud eumdem Lactantium Inst. V, 18, idem fragmentum cum hac varietate repetitur: *si* (ut Furius dicebat) *rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur.* A. M.

5. *Vtrum se esse malit?* Haec Ciceronis postrema verba Lactantius explicans ait, hoc sensisse Furium, *malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quam bonum cum mala.* Totum hunc locum pressim imitatur Augustinus C. D. IV, 3; ipse autem Cicero paene exscribit Platonem Reip. II, pag. 361: μηδὲν ἀδικῶν, δόξαν ἐχέτω τὴν μεγίστην ἀδικίας, κ. τ. λ. A. M.

ego quaesivi, quum vos mihi essetis in consilio, de Numantino foedere.[1] Quis ignorabat Q. Pompeium fecisse foedus, eadem in causa esse Mancinum? Alter, vir optimus, etiam suasit rogationem,[2] me ex senatusconsulto ferente; alter acerrime se defendit.[3] Si pudor quaeritur, si probitas, si fides, Mancinus haec attulit; si ratio, consilium, prudentia,[4] Pompeius antistat.[5] Vtrum[6] . . . . . .

XIV. Bonus vir si habeat servum fugitivum, vel domum insalubrem ac pestilentem,[1] quae vitia solus sciat, et ideo proscribat,[2] ut vendat, utrumne profi-

XIII. 1. *De Numantino foedere.* Consul Philus anno Vrbis 618, quo Mancinus Numantinis deditus fuit. Consulis consilium memorant Cicero, Brut. 22, et Plutarchus, Cat. Min. 38. Commode autem curat Cicero, ut Philus contra iustitiam disserat, quippe qui paullo ante fuerat auctor violandi foederis Numantini, qua re nihil iniustius fieri potuit, Floro in primis teste II, 18. A. M.

2. *Alter, vir optimus, etiam suasit rogationem.* Ita narrat Noster de Off. III, 30, 109: *Quod idem multis annis post C. Mancinus: qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam P. Furius, S. Atilius ex senatusconsulto ferebant: qua accepta est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius, quo, quum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. Hic ea, quae videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas; apud superiores utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est.* Vbi vid. annott. Beieri. Mn.

3. *Alter acerrime se defendit.* Defendit se Pompeius Romae in iudicium postulatus a Numantinis de foedere, quod ille se fecisse falso negabat. Appian. Hisp. cap. 79. A. M.

4. *Prudentia.* Cic. Fin. II, 17: *non de improbo, sed de callide improbo quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit.* A. M.

5. *Pompeius antistat.* Verbum *antestare (corporum viribus)* est apud Nostrum de Invent. II, 1, 2. Forma *antistare* in eius libris, qui exstant, non reperitur, sed apud Corn. Nepot. Aristid. I, 2, *quanto antistaret eloquentia innocentiae.* Ita videlicet in indice Lamb. Bosii ad h. v. (pag. 470 ed. Bardili) adscriptum est: *Verbum elegans, inquit Barthius, sed non adeo usu tritum, quin apud paucos reperiatur. Vide eum Adverss. 34, 6, et Lud. Carrion. antiq. lect. II, 19; Savar. ad Sidon. 7, ep. 14.* Mn.

6. *Vtrum.* Desideratur incertus paginarum numerus. A. M.

XIV. 1. *Pestilentem.* Eodem exemplo utitur Cic. Off. III, 13. A. M.

2. *Et ideo proscribat.* Proba hac et plurimorum optimorumque librorum constante lectione abiecta Sch. reduxit *praescribat*, quamquam iam Bunem. ad h. l. dixit: *proscribat* optime; nam

tebitur fugitivum servum, vel pestilentem domum se vendere, an celabit emptorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet; sed tamen stultus iudicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet. Si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consulet; sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet vendere, quum sit illud aurum; aut plumbum, quum sit argentum; [3] tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur malle magno. *Lactantius*, V, 17.

XV.... Nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? [1] nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus evadat, maxime quum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet; ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, iam vero iustus ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcat, dum parcit alienae. Item, si, acie suorum fusa, [2] hostes insequi coeperint, et iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem; eine parcet,

*proscribere* Ciceroni aliisque est *venale proponere*. Exempla dedit Graevius ad Cicer. lib. VII Famil., ep. 29, p. 428, et ad lib. I in Verr. cap. 45, p. 525. Item Manut. ad Cic. I, 4; Att. ep. 2, *Tusculanum proscripsi*. Add. de Off. III, 13, 55: *ille, quod non placebat, proscripsit*: ubi vide Beier. p. 277. Ma.

3. *Argentum*. Addit epitome cap. 56: *atque id emere necessitas cogat*. A. M.

XV. 1. *Tabulam ceperit?* Idem exemplum usurpat Cicero Off. III, 23, et Ambrosius Off. III, 4, § 27. A. M.

2. *Si, acie suorum fusa*, etc. Lact. Epit. XVI: *Potest hoc evenire, ut... victo exercitu fugiens reperiat aliquem vulneratum equo insidentem, utrumne... hunc equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet iustus esse, non faciet; sed idem stultus iudicabitur, qui, dum alterius vitae parcit, suam prodet. Si faciet, sapiens quidem videbitur, quia sibi consulet, sed idem malus, quia nocebit* A. M.

Digitized by Goog

ut ipse occidatur, an deiiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? Quod si fecerit, sapiens, sed idem malus; si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. *Idem.* [3]

XVI.....[1] Non gravarer,[2] Laeli, nisi et hos velle putarem, et ipse cuperem, te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere;[3] praesertim quum heri ipse dixeris, te nobis etiam superfuturum. Verum si[4] id quidem fieri non potest, ne desis, omnes te rogamus. *Gellius* I, 22.

..... Sed iuventuti nostrae minime audiendus: quippe si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus; sin aliter, quod malo, oratio est tamen[5] immanis. *Nonius* IV, 236, 240.

3. Subiungit ibidem Lactantius: *Ita ergo iustitiam quum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem; utramque subvertit; quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit; naturalis autem illa, iustitia sit quidem, sed non sit sapientia.* Lactantius Inst. V, 16. A. M.

XVI. 1. Disputatio luculenta Laelii pro iustitia contra accuratam orationem Phili (ut loquitur Cicero de Am. 7) tota desideratur in codice mutilo Vaticano, praeter eius clausulam, ut infra patebit. Supersunt tamen insignes, etsi aliquoties interpolatae, reliquiae apud Lactantium, Augustinum aliosque auctores, quas hic exhibemus, praeposita particula ex Gellio, in qua Scipio Laelium hortatur ad suscipiendum iustitiae patrocinium. A. M.

2. *Non gravarer.* His verbis Villem. praeposuit nomen *Scipionis*, et proximo fragmento ex Nonio nomen *Laelii*. Ad v. *gravarer* Lehn. bene subaudiendum esse monet: iustitiae partes sermone tueri. Ad verba convenit, praeter locum ab A. Maio laudatum, Cic. de Orat. I, 23, 107: *Ego vero... non gravabor ..... quid quaque de re sentiam, dicere.* Verbum *attingere* de sermone ponens eidem addit *perstringere* de Orat. II, 49, 201. Ma.

3. *Sermonis attingere.* Partes dialogorum horum praecipuas Cicero contulit, ut nunc cognoscimus, in Scipionem, Furium Philum, et Laelium, tres, qui per idem tempus, ut ait Porcius (Donat. vit. Terent.), agitabant nobiles. A. M.

4. *Verum si.* Editiones aliquot *si id.* Sed tamen *si* abest a Palatino et a Vaticanis codicibus, et etiam a Venetis editionibus an. 1472 et 1496. Male vero praedictae Venetae editiones habent *te nobis non etiam*; quae vitiosa lectio sententiam subvertit. A. M.

5. *Oratio est tamen immanis.* Haec esse Laelii verba suspicor, exordientis de Carneade loqui, qui causa exercitationis iustitiam oppugnaverat. Et quidem Carneades spurce loquutus

XVII. [1] Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat; quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari [2] fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus; neque est quaerendus explanator, aut interpres eius alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit,

dicitur a Cicerone ad Att. VII, 2; a Quintiliano tamen Inst. XII, 1, haud iniustus vir fuisse existimatur, licet contra iustitiam peroraverit, quam pridie defenderat. Quod autem ait auctor, minime audiendum iuventuti romanae Carneadem, id exemplo Catonis fit, qui hunc ipsum quam primum Roma censuit dimittendum. Plin. VII, 30. Sed tamen superius, cap. 8, de Chrysippo quoque sermo fuit, contra quem haud scio an haec verba dici potuerint. Turpia enim in suis politicis scripsisse Chrysippum ait Sextus Empir. III, 205, 246; XI, 193, nec non Plutarchus de Stoic. Repugn. t. X, p. 318. A. M. (Fieri potest etiam, ut Cicero de Epicuro loquatur. Conf. Lactantium Inst. III, 17. A. M. in Add.)

XVII. 1. Post reiectam Carneadis, ut videtur, auctoritatem, quonam modo magnificam suam pro iustitia orationem exorsus sit Laelius, donec ad hanc legis definitionem veniret, vix coniecturis divinare possumus aut ne vix quidem. Re tamen vera Lactantius tertium Institutionum librum eo modo exorditur, quo Laelium in causam ingredi aequum fuisset. Num ergo Lactantius hac quoque in parte pedissequus Tullii fuit? Ipsum vero iustitiae patrocinium Lactantius orare incipit Inst. V, 5, repetita alte velut historia iustitiae, quae offensa vitiis hominum e terra in caelum migravisset; qua remota, malorum cohors orbi incubuit. Haec oratio, itemque illa in epitome cap. 59, utrum partim Laeliana sit, non perinde liquet. A. M.

2. *Obrogari.* Contra caput primum disputationis Carneadeae de iuris inconstantia. Iustitiae legem esse aeternam et universalem Platonica sententia est. A. M.

ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus,[3] hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit. *Lactantius* VI, 8.[4]

XVIII.....[1] Sed his poenis, quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exsilio, vinculis, verberibus, elabuntur saepe privati, oblata mortis celeritate; civitatibus autem mors ipsa poena est, quae videtur a poena singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse civitas, ut aeterna sit.. Itaque nullus interitus est reipublicae naturalis, ut hominis; in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem quum tollitur, deletur, exstinguitur, simile est quodam modo, ut magnis parva conferamus, ac si omnis hic mundus intereat et concidat. *Augustinus de Civ. Dei* XXII, 6.

Illa iniusta bella sunt, quae sunt sine causa suscepta... Nullum bellum iustum habetur, nisi denun-

3. *Aspernatus.* Al. *aspernatur,* vel *aspernabitur.* I. V. L.

4. Lactantius dicto loco: *Dei lex, quam Marcus Tullius in libro de Rep. tertio paene divina voce depinxit; cuius ego ne plura dicerem verba subieci. Est quidem vera lex,* etc. Confer eumdem Lactant. VI, 24, ff. 29, cum Tullio Leg. I, 6, II, 4. A. M. (Conf Cic. pro Milone, cap. 4, ibique laudata Hotomanno et Abramio ad verba Tullii: *Est igitur, iudices, non scripta, sed nata lex,* etc. Ad Ciceronis sententiam disputarunt etiam e recentioribus nonnulli, qui de iure naturae et gentium exposuerunt, Cumberland. de Legg. Nat. cap. 4; Puffendorf. Iur. nat. et gent. lib. II. cap. 3, § 20; Boehmr. Iur. publ. univers. pag. 18, alii, quos citavit C. L. *de Haller. in Restauration der Staatswissensch.* t. I, p. 383-391. Cr.)

XVIII. 1. Nimirum Laelius romanorum bellorum iustitiam nisus erat defendere, ut infra patebit. Ad ius belli quod attinet, quatuor alii sunt Augustini luculenti loci, quos maguopere suspicor e Laeliana Tullii oratione fuisse interpolatos; quamquam eos hic ponere non sum ausus, ne librum meum suspectis adeo copiis locupletarem. Sunt autem C. D. IV, 4: *remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia,* etc. Item XVIII, 2: *societas igitur usquequaque mortalium,* etc. Praeterea XIX, 7: *opera data est, ut imperiosa civitas,* etc. Maxime demum IV, 15: *videant ergo, ne forte non pertineat ad viros bonos, gaudere de regni latitudine,* etc. (Sic fere Lycurgus apud Plut. vit. cap. 31) quae esset apta Laelii responsio contra Philii sermonem, cap. 12 et 13. A. M.

tiatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus. [2] *Isidorus Orig.* XVIII, 1.

Noster autem populus [3] sociis defendendis terrarum iam omnium potitus est, *Nonius* IX, 6.

XIX..... An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori,[1] ratio libidini, iracundiaeque, et ceteris vitiosis eiusdem animi partibus?.... Sed et imperandi, et serviendi sunt dissimilitudines cognoscendae.[2] Nam ut

2. *Nisi de repetitis rebus.* Ex hoc certe additamento videmus Isidorum non ab Augustino, sed ab ipso Tullio, locum haurire. A. M.

3. *Noster autem populus sociis defendendis terrarum iam*, etc. Idem dicit, ait Lehn., I. B. Vico, pag. 16, vers. Germ. Sigonius ad h. l. haec: Hoc idem comprobat locus ille, qui est in Maniliana: *Quare, si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit, iniuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere?* Recte: etenim cum Antiocho et Aetolis pro Graecia liberanda pugnarunt, cum Philippo pro salute Atheniensium: cum Poenis pro Mamertinis, Saguntinis et Massanissa, Numidiae rege, bellum susceperunt; Mithridati vero, Ponti regi, quod Asiam invasisset, postremo etiam arma intulerunt, atque eius belli occasione longius imperium protulerunt. Ms. — Haec ex Augustino desumpta hic interpolavit Maius: *Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de Republica libris adversus iniustitiam pro iustitia. Et quoniam, quum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam, et diceretur, nisi per iniustitiam rempublicam stare augerique non posse, hoc veluti validissimum positum erat, iniustum esse, ut homines hominibus dominantibus serviant, quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cuius est magna respublica, non eam posse provinciis imperare: responsum est a parte iustitiae, ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, quum recte fit, id est, quum improbis aufertur iniuriarum licentia, et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt: subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumptum nobile exemplum atque dictum est: Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini ceterisque vitiosis animi partibus?* Augustinus C. D. XIX, 24. A. M.

XIX. 1. *Animus imperat corpori.* Cf. Aristotelem Reip. I, 5; Dionysium V, 67; Sallustium Cat. 1; Iug. 1; Lactantium de ira D. X, ff. 43; Hieronymum comm. ad Gal. III, 5, v. 15, et in Iovin. II, 10. Hinc Tullium Augustinus spectans C. D. XIX, 4, 4, ait, ut animus imperet corpori, proprium esse iustitiae. A. M.

2. *Cognoscendae.* De his legatur

animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori, ut rex civibus suis, aut parens liberis; libidini autem, ut servis dominus, quod eam coërcet et frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus; domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, eiusdem animi vitiosas imbecillasque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras. [3] *Augustinus contra Iulian. pelag.* IV, 61.

Est enim genus iniustae servitutis, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse; quum autem hi famulantur..... [4] *Nonius* II, 313.

In quibus assentior,[5] sollicitam et periculosam

Aristoteles Reip. I, 7, VII, 2, 3. Idem III, 6, ait, se varios imperandi modos tradidisse in libris exotericis. Cf. etiam Platonem Leg. III, pag. 690. A. M.

3. *Vt perturbationes ceteras.* Eadem repetit Augustinus C. D. XIV, 23, cuius verba hic ponenda sunt: *nonne Cicero in libris de Republica, quum de imperiorum differentia disputaret, et huius rei similitudinem ex natura hominis adsumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem; vitiosas vero animi partes, ut servos, asperiore imperio coërceri? Et utique ordine naturali animus anteponitur corpori; et tamen ipse animus imperat corpori facilius, quam sibi.* A. M.

4. *Quum autem hi famulantur.* Supplet Maius: *qui sibi moderari nequeunt, nulla iniuria est.*

5. Hic Maius varia haec fragmenta interpolavit, ex ipso Cic. desumpta: *Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum factura sit; improbe feceris, nisi monueris, ne assideat; sed impune tamen; scisse enim te quis coarguere possit? Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri. Deque his rebus satis multa in nostris de Republica libris sunt dicta a Laelio.* Cicero de Fin. II, 18. *Si, ut nos a te admonemur, recte in libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe.* Cicero ad Att. X, 4. *Laetor probari tibi, φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα: etenim si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio; qua sublata, vitae societas tollitur. Bene eveniat! inquit Carneades. Spurce: sed tamen prudentius, quam Lucius noster et Patro;*

iustitiam non esse sapientis. [6] *Priscianus* VIII, pag. 801.

XX. [1] Vult plane virtus honorem; [2] nec est virtutis ulla alia merces; quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe.... Huic tu viro quas divitias obiicies? quae imperia? quae regna? qui ista putat humana, sua bona divina iudicat. Sed si aut ingrati universi, aut invidi multi, aut inimici potentes, suis virtutem praemiis spoliant; nae illa se multis solatiis oblectat, maximeque suo decore se ipsa sustentat. *Lactantius* V, 18, 22.

[3] Quorum non corpora sunt in caelum elata; neque enim natura pateretur, ut id, quod esset e terra, nisi in terra maneret. [4] *Augustinus de Civit. Dei* XXII, 4.

*qui quum omnia ad se referant, nec quidquam alterius causa fieri putent, et quum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligunt, se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec opinor sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti.* Cicero ad Att. VII, 2. A.M.

6. *Non esse sapientis.* Haec videntur esse contra caput postremum orationis Carneadeae, quod iustitia sit utenti molesta et periculosa. Etsi autem Priscianus citat tantummodo Ciceronem de Rep. sine libri nota, tamen, quin ad tertium librum haec verba pertineant, nemo dubitabit. A. M.

XX. 1. Lactantius sic: *Apud Cic. idem ille iustitiae defensor Laelius, Vult, inquit, plane,* etc. I. V. L.

2. *Vult plane virtus honorem.* Recte hoc ex Romanorum ingenio existimandum esse monet Lehn. ap. quos etiam Honor cum Virtute contigua aede colebantur. Vid. Cic. de N. D. II, 23; ib. Cr. ed. Cr. et nost. p. 297 sq. Wyttenb. ib. p. 752; Cic. de Legg. II, 23, 58, p. 339 sq. II, 11, 28, ibique annot. nostr. ed. nostr. et Cr. p. 243 sq. Ma.

3. Sic Augustinus: *In tertio de Republ. libro Cicero quum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos adseveraret, Quorum,* etc. A. M.

4. *Nisi in terra maneret.* Locum hunc legebat in libris de Rep. etiam Lactantius Inst. I, 15; eumdemque locum prae oculis habuisse videtur Plutarchus in Romul. cap. 28, ubi Romuli aliorumque aliquot hominum, non corpora, sed animos in caelum ivisse confirmat physicis argumentis. Item Ovidius Metam. XIV, 824, de Romuli obitu: *corpus mortale per auras Dilapsum tenues.* Legendus est de hac re Cicero Tusc. I, 12, IV, 22; de Off. III, 5; in Cat. III, 1. A. M.

Numquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiae..... [5] *Nonius* II, 434.

..... Pyrrhi [6] ridetur largitas a consule, aut Samnitium copiae Curio defuerunt. *Id.* II, 488.

Cuius etiam focum Cato ille noster, quum venerat ad [7] se in Sabinos, ut ex ipso audiebamus, visere solebat; apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat. *Id.* II, 1; XII, 19.

XXI..... Asia Tib. Gracchus; [1] perseveravit in civibus, sociorum nominisque Latini iura neglexit, ac foedera. Quae si consuetudo ac licentia manare coeperit latius, imperiumque nostrum ad vim a iure traduxerit, ut, qui adhuc voluntate nobis obediunt,

5. Supplet Maius: *fructu caruerunt.*

6. *Pyrrhi.* etc. Ad hoc fragmentum C. Sigonius: Quamquam in his verbis mendi est aliquid, tamen apparet, quid Cicero velit; nimirum, et Pyrrhi liberalitatem a consulibus Fabricio et Aemilio esse repudiatam, neque Samnitium opes Curio defuisse. Vt autem Pyrrhus rex consules donis tentarit, Samnites Curium muneribus amplissimis onerare voluerint, liquet ex Annalibus. Vnde illa sunt Ciceronis in Paradoxis: *Vtrum pluris aestimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? Vtrum aurum Samnitium, an responsum M'. Curii?* Lambinus autem ad eumdem locum, Videtur, ait, sic potius legendum: *Pyrrhi videlicet largitas consulibus, aut Samnitium copiae Curio defuerunt.* Immo vero sic prorsus legendum esse censeo. Est enim ironia, qua significat, neque Fabricium Pyrrhi liberalitatem et munera, neque Curium Samnitium aurum desiderasse. Ma. — *Consule.* Fabricio. Hoc autem et sequente loco laudari videtur magistratuum abstinentia, quam se re vera in libris de Rep. laudavisse, manifeste declarat Cicero ad Att. VI, 1, 2, 3. Sed enim de parsimonia sermo in quarto fuit. A. M.

7. *Quum venerat ad se.* Curii villam non longe a se abfuisse ait ipse Cato apud Cic. de Sen. 16, nec non Plutarchus in Cat. cap. 2. Locutionem *apud se* usurpat Cicero etiam apud Macrobium Sat. II, 12, de Scipione nostro loquens: *nam quum esset apud se ad Lavernium Scipio.* A. M.

XXI. 1. *Asia Tib. Gracchus.* « Iam Gracchus locabat Asiam » inquit Fronto ad Ver. II, 1. Attali quoque pecuniam populo concedendam Gracchus decrevit. Atque haec fortasse consilia eius videntur iusta fuisse. Perseveravit iustitiam Gracchus erga cives, dum agrum contra legem Liciniam a divitibus possessum plebi divideret. Iniquus vero fuit in socios

terrore teneantur: [2] etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigilatum fere est; [3] tamen de posteris nostris, et de illa immortalitate reipublicae sollicitor; quae poterat esse perpetua, [4] si patriis viveretur institutis et moribus. [5]

XXII. Quae quum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos; [1] tamen praeter ceteros Scipio, quasi quodam gaudio elatus: Multas tu quidem, inquit, Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo tecum Ser-

et in Latinos, quibus agrum ad divisionem eripiebat, iuste ab iis possessum, quippe quem bello acquisitum populus romanus imposito vectigali iis reddiderat. Ipse Laelius, ut ait Plutarchus in Tib. Gr. 8, agrum, quem invaserant divites, plebi dividere temptaverat; a quo tamen conatu destitit maioris damni metu, unde et sapiens ob hanc prudentiam dictus fuit. A. M.

2. *Terrore teneantur.* Laudem civilem huic vitio contrariam tribuunt Romanis, Propertius III, 221, 2, et Rutilius I 69 sqq. A. M.

3. *Nobis... evigilatum fere est.* Villem. t. II, p. 47: *nous pouvons peut-être de notre temps écarter le péril.* Ms. — Sic autem I. V. L. *sans doute, à l'âge où nous sommes arrivés, nous quitterons bientôt le poste où nous a placés la patrie.*

4. *Quae poterat esse perpetua.* Contradicunt huic aeternitati Hieronymus in Ezech. prol. lib. III; Augustinus serm. CV, 10; Lactantius Inst. VII, 14. A. M.

5. *Institutis et moribus.* Numerosa et gravis conclusio! quae scopum quoque declarat politici huius operis, nempe ut cives romani *ad mores pristinos revocarentur* (conf. Praefat. §. 2. p. 8); qui fuit item titulus orationis, quam ipse Scipio in censura recitavit. Gell. IV, 20; V, 19. Confer libri quinti procemium. Augustinus C. D. II, 21, ait: *induxit Cicero hanc de rep. disputationem, quando praesentiebatur ea corruptione etc. iam iamque peritura.* Lege Velleium II, 1; Plinium XXXIII, 11; eumdemque Augustinum C. D. I, 30; II, 18. Hoc cecinit vaticinium noster ipse Africanus, ut ait Suidas voc. Σκιπίων et χρησμός. Quin adeo Laelius apud Cic. de Am. 12, cum genero utroque loquens ait: *eo loco, Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reip.; deflexit enim iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum.* A. M.

XXII. 1. *Delectatos.* Auctoris hic plausus satis commendat splendorem Laeliani sermonis de iustitia, quem alibi dilaudat idem Cicero de Am. 7. Cur ergo Lactantius Inst. V, 17, criminatur Laelium, ceu parum plene Furio responderit? eadem scilicet libertate, qua op. D. cap. 1, acturus de animae corporisque ratione, valde elevat, quidquid ea super re non semel Cicero scripsit. A. M.

vium Galbam, collegam nostrum,[2] quem tu, quoad vixit, omnibus anteponebas, verum ne atticorum quidem oratorum quemquam aut sua[3] .....

Duas sibi res, quoniam in vulgus[4] et in foro diceret, confidentiam et vocem, defuisse. *Nonius* IV, 71.

XXIII.... reportare.[1] Ergo illam rem populi, id est rempublicam, quis diceret tum, quum crudelitate unius oppressi essent universi, neque esset unum vinculum iuris, nec consensus ac societas coetus, quod est populus?[2] Atque hoc idem Syracusis. Vrbs illa

2. *Collegam nostrum.* Puta in auguratu. A. M.

3. Supplet Maius *suavitate*: desiderantur paginae duodecim.

4. *Vulgus.* Al. *vulgo.* A. M.

XXIII. 1. *Reportare.* Videtur Scipio loqui de Phalaridis tyrannide; nam paullo post mentio fiet Agrigenti inter alias urbes tyrannide oppressas (Recole item de Rep. I, 28). Ad hanc veri simillimam coniecturam adducor praecipue illo verbo *reportare*, in quo cessat lacuna. Narrat enim Diodorus XIII, 90, Phalaridis taurum aeneum, qui se scribente supererat, quem olim Hamilcar Carthaginem transtulerat, Scipioni nostro, qui hic loquitur, post victoriam Punicam placuisse Agrigentum *reportare*. Immo rei luculentior testis est Cicero in Verr. IV, 33: *in iis, quae sunt reddita Agrigentinis, fuit etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines et subiicere flammam solebat. Quem taurum Scipio quum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur: aequum esse illud cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire an populo romano obtemperare; quem idem monumentum et domesticae crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent.* Haec verba lacunam fortasse aliquatenus explent; et certe cum Laelianae orationis clausula valde conspirant. Taurum illum numquam Agrigenti exstitisse sententia Timaei fuit, quem historicum acerbe refutat Polybius XII, 27. Huius item controversiae mentionem aliquam fuisse in lacuna suspicor; praesertim quum mox Timaeus nominetur, et hic loquatur Scipio, cuius gloriae intererat sententiam Polybii sui tueri. Vniversi vero in lacuna demersi sermonis seriem licet cognoscere ex Augustini summario a verbis *qua quaestione* etc. usque ad *aut iniusti optimates.* A. M.

2. *Quod est populus?* Non sine causa Africanus in politicis rebus Agrigentinorum diutius versatur; quippe Africanus (minorne an potius maior?) horum remp. constituerat. Certe leges Scipionis de aequitate in cooptando Agrigentinorum senatu profert Cicero in Verr. II, 50. Id ipsum in lacuna commemoratum fuisse existimo. Quin adeo ante politicam Agrigenti descriptionem, species ipsa urbis (uti mox Syracusarum et Athe-

praeclara, quam ait Timaeus [3] graecarum maximam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidis [4] et ad urbis crepidines infusi, viae latae, porticus, templa, muri, nihilo magis efficiebant, Dionysio tenente, ut esset illa respublica: [5] nihil enim populi, et unius erat populus ipse. Ergo ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri [6] dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est plane nullam esse rempublicam.

XXIV. Praeclare quidem dicis, Laelius; etenim video iam, quo pergat oratio. — Scip. Vides igitur, ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dici rempublicam. — Lael. Sic plane iudico. — Scip. Et rectissime quidem iudicas: quae enim fuit tum Atheniensium res, quum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi iniustissime praefuerunt? [1] Num aut vetus gloria civitatis, aut species praeclara oppidi, aut theatrum, gymnasia, porticus, aut propylaea nobilia, aut arx, aut admiranda opera Phidiae, aut Piraeeus ille magnificus rempublicam efficiebat? — Minime vero, Laelius; quoniam quidem populi res non erat. — Scip. Quid, quum decemviri Romae sine provocatione fuerunt,

narum) laudata fuit, ut reor, ex Polybio videlicet IX, 27; quum praesertim ipse Scipio urbem exornavisset. Cic. in Verr. II, 2, IV, 33. A. M.

3. *Praeclara, quam ait Timaeus.* Adde hunc locum Timaei fragmentis apud Goellerum de Situ et Origine Syracusarum p. 44 sqq. p. 272 sqq. Cr.

4. *Portus usque in sinus oppidis.* Constabant scilicet Syracusae pluribus oppidis, quorum in sinus mare infundebatur. A. M.

5. *Vt esset illa republica.* Corruptam Dionysii tyrannide pulchram Syracusarum speciem ait etiam Seneca Cons. ad Marc. cap. 17; de qua urbe lege, si vacat, Tullium in Verr. IV, 52, 53, V, 27; Florum II, 6. Confer etiam Aristotelem Reip. V, 3, 4; Plutarchum in Timoleonte. A. M.

6. *Vt heri dicebam.* Recole de Rep. I, 41. A. M.

XXIV. 1. *Vrbi iniustissime praefuerunt?* Confer Senecam similiter loquentem de tranq. c. 3. A. M.

Digitized by Google

tertio illo anno, quum vindicias amisisset ipsa libertas?[2] — Lael. Populi nulla res erat; immo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret.

XXV. Scip. Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiae. Quum per populum agi dicuntur, et esse in populi potestate omnia; quum de quocumque volt, supplicium sumit multitudo; quum agunt, rapiunt,[1] tenent, dissipant, quae volunt: potesne tum, Laeli, negare rem esse illam publicam, quum populi sint omnia, quoniam quidem populi esse rem volumus rempublicam? — Tum Laelius, Ac nullam quidem citius[2] nega . . . . . rempublicam, . . . . tota . . . . . nobis non placebat Syracusis fuisse rempublicam, neque Agrigenti, neque Athenis, quum essent tyranni; neque hic, quum decemviri: nec video, qui magis in multitudinis dominatu reipublicae nomen appareat: quia primum mihi populus non est, ut tu optime definisti, Scipio, nisi qui consensu iuris continetur; sed est tam tyrannus iste conventus, quam si esset unus; hoc etiam tetrior, quia nihil ista, quae

2. *Quum vindicias amisisset ipsa libertas?* Et rem et locutionem explicat Livius III, 44: *Advocati puellae, quum Virginium reipublicae causa dixissent abesse, biduo adfuturum, si nuntiatum ei sit; iniquum esse, absentem de liberis dimicare; postulant, ut rem integram in patris adventum differat* (Appius Claudius); *lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem;* ubi vid. interprr. ed. Drakenb. p. 370, Stuttg. Quem locum laudavit Dirksen. Mr.

XXV. 1. *Quum agunt, rapiunt.* Quod ait A. Maius in annotatione critica, exprimere Ciceronem graecam locutionem ἄγειν καὶ φέρειν, id ab hoc loco alienum est. Rerum scriptores romani (Livius potissimum et Tacitus) graecam illam locutionem reddunt verbis *agere et ferre*, de vi praesertim hostium, qui *agunt*, i. e. secum abigunt, viventia, reliqua *ferunt*, i. e. auferunt: et hac locutione Cicero usus est nusquam in iis certe libris, qui exstant. Mr.

2. *Ac nullam quidem citius.* Obliterata admodum pagina, Maius e coniectura percommode supplet, *negaverim esse r. p. quam quae tota sit in multitudinis potestate; plane ut n. n. pl. L. V. L.*

populi speciem et nomen imitatur, immanius bellua est. Nec vero convenit, quum furiosorum bona legibus in agnatorum potestate sint,[3] quod eorum iam [4]

. . . . . .

XXVI. . . . . dici possint, cur illa sit respublica, resque populi, quae sunt dicta de regno?—Et multo etiam magis, inquit Mummius: nam in regem potius cadit domini similitudo, quod est unus; plures [1] vero boni in qua republica rerum potientur, nihil poterit esse illa beatius. Sed tamen vel regnum malo, quam liberum populum; id enim tibi restat genus vitiosissimae reipublicae tertium. [2]

XXVII. Hic Scipio, Agnosco, inquit, tuum morem istum, Spuri, aversum a ratione populari: et quamquam potest id lenius ferri, quam tu soles ferre, tamen assentior, nullum esse de tribus his generibus, quod sit probandum minus. Illud tamen non assentior tibi, praestare regi optimates: si enim sapientia est, quae gubernet rempublicam, quid tandem interest haec in unone sit, an in pluribus? Sed errore quodam fallimur ita disputando. Quum enim optimates [1] appellantur, nihil potest videri praestabilius;

3. *In agnatorum potestate sint.* Legem XII tabularum habemus apud auctorem operis ad Herennium I, 13, et apud Cic. de Inventt. II, 15: *si furiosus est, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.* Confer tamen Digest. I, 4, 20. A.M. (Vbi est: *Qui furere coepit, et statum et dignitatem, in qua fuit, et magistratum et potestatem videtur retinere: sicut rei suae dominum retinet.* Vlpian. I, 38 ad Sabinum. Ma.)

4. Desiderantur paginae octo.

XXVI. 1. *Plures.* Pagina est admodum obliterata; duo igitur haec vocabula *unus* et *plures* paullo incertiora sunt. A. M.

2. *Reipublicae tertium.* Liberius populi dominium, quod graece dicitur ὀχλοκρατία, a veteribus politicis passim improbatur. Instar omnium sit Polybius VI, 7, 57: τῶν μὲν ὀνομάτων τὸ κάλλιστον ἡ πολιτεία μεταλήψεται, τὴν ἐλευθερίαν καὶ δημοκρατίαν· τῶν δὲ πραγμάτων τὸ χείριστον, τὴν ὀχλοκρατίαν. Xenophon quoque in Ath. politia passim abominatur et subsannat popularem potestatem. A.M.

XXVII. 1. *Quum enim optimates.* Cod. *optumatis*, quae terminatio pri-

Digitized by Google

quid enim optimo melius cogitari potest? Quum autem regis est facta mentio, occurrit animis rex etiam iniustus: nos autem de iniusto rege nihil loquimur nunc, quum de ipsa regali republica quaerimus: Quare cogitato Romulum, aut Pompilium, aut Tullum[2] regem; forsan[3] non tam illius te reipublicae poenitebit. — Mvm. Quam igitur relinquis populari reipublicae laudem? — Scip. Tum ille, Quid? tibi tandem, Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fuimus una,[4] nullane videtur esse respublica? — Mvm. Mihi vero videtur, et minime quidem vituperanda.— Scip. Recte dicis: sed si meministi, omnes erant iidem tum de plebe, tum senatores, vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio; utrobique autem conventitium[5] ac-

mi casus esse nequit. Optimatem autem (ἄριστον) ait dici Aristoteles Reip. III, 7, vel quia optimus sit, vel quia optime reip. consulat. A. M.

2. *Aut Tullum*. Cod. *autullum*, extrita ob concursum altera *t*. (Quoniam hic non tam *Tullus*, quam *Servius Tullius* intelligendus videtur, malim scribere *Tullium*: et quidem horum nominum confusionem non semel apud auctores videre est. A. M. in Emm.)

3. *Forsan*, etc. Cod *fortan* perspicue. Est autem vocabulum omnino Tullianum, et in lexica referendum cum *forsitan* et *fortassean* et *forsan*. A. M.

4. *Apud quos nuper fuimus una*. Loquitur Scipio de sua legatione ad inspicienda sociorum regna, in quam ivit anno ante obitum, nempe Vrbis 624, de quo tempore lege adnotata a Reiskio ad auctores graecos, tom. II, pag. 477, ex Simsonio scilicet; cui frustra adversatur Schweighaeuserus ad Polyb. tom. V, pag. 15. Iam Sp. Mummius fuisse Scipioni comes dicitur quoque a Iustino XXXVIII, 8, qui et Metellum adiungit. At Victor. cap. 58, dat Scipioni comitem Laelium, Plutarchus Panaetium. Eadem discordia auctorum est in attribuendis Scipioni eo in itinere servis: nam Victor dat duos, Plutarchus et Athenaeus quinque, Valerius IV, 3, 13, septem. Pighius vero, Plutarchi verbo τρίτον (Apophth. t. VI, pag. 756) sapienter innixus, tres fuisse legationes Scipionis existimat: qua in sententia facile est discordiam scriptorum conciliare. Confer quae scribimus lib. VI, cap. 11, ad somnium Scipionis. A. M.

5. *Conventitium*. Vocis huius incognitae adhuc explicationem vid. in Niebuhrii Indice Latinit. Formata est vox plane ut *nutritia* quae supra, I, 4, singulari modo appellantur *alimenta*. Noveramus adhuc nonnisi adiectivum *conventitius* (pater) apud Plautum, Cistellar. I, 1, 42, ad quem locum

cipiebant; et in theatro et in curia res capitales et reliquas omnes iudicabant iidem; tantum poterat, tantique erat, quanti multitudo [6] . . . . . .

. . . . . .

*Fragmenta incertae sedis.*

XXVIII. . . . . *Cui nemo civi', neque hostis*
*Quivit pro factis reddere oprae pretium.* [1]

Seneca, Epist. 108.

Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur. *Nonius* IV, 178.

Sed ut ipsi seu animum periclitantur, seu vident, quid se putent esse facturos ..... *Id.* IV, 351.

Phoenices [2] primi mercaturis et mercibus suis avaritiam, et magnificentiam, et inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Graeciam. *Id.* V, 35.

vid. Taubmann. in Comm. pag. 436, ed. Gruter. Parei Lex. Plautin. s. v. Mn. — Vocem hanc I. V. L. vertit: *droit de présence.*

6. *Quanti multitudo.* Hanc Rhodiacae reip. descriptionem, accuratam oppido neque alibi obviam, studiosi politici cum fructu notabunt. Oligarchiam aliis temporibus fuisse Rhodi diximus lib. I, 31, p. 81, n. 3. Sed tamen Dio Chrysostomus in Rhodiaca oratione adhuc eam urbem ut populari statu utentem alloquitur; nec non Aristides in secunda Rhodiaca, praesertim pag. 385 ed. Canteri, tom. II. (Post *multitudo* supplere licet *senatus.* A. M. in Add.)

XXVIII. 1. *Quivit pro factis reddere oprae pretium.* Neglexit Maius hoc Ennianum. Seneca tamen in libris de Rep. legerat. Adde ex Leg. II, 22: *Hic est ille situs.* I. V. L.

2. *Phoenices.* Recte monet Lehn. quod est in cod. Vat. *Pione* v. *Perne*, corruptum esse ex *Poeni*. C. Sigonius ad h. l. haec: Exemplum hoc de Phoenicibus quo spectaverit, plane divinare non possum. Accepit autem hunc locum Cicero ex quarto libro Reip. Platonis, ubi ille docet, Phoenices a natura factos ad pecuniam coacervandam et mercaturam exercendam, quum ostendere vellet mores totius civitatis saepe privatorum moribus commutari. Verba Platonis sunt haec: ἢ τὸ φιλοχρήματον ὃ περὶ τούς τε Φοίνικας εἶναι καὶ τοὺς κατ' Αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ ἥκιστα. Locus hic est pag. 436 Steph. 495 Bekkeri. Mn.

Digitized by Google

Sardanapalus ille vitiis multo, quam nomine ipso deformior.[3] *Scholiastes Iuvenalis, ad Sat.* X, 362.

Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus? *Priscianus* VI, *p.* 710.[4]

3. *Quam nomine ipso deformior.* In primis observo, locum hunc Ciceronis lectum fuisse etiam ab Hieronymo prolog. ad lib. II in Abacuc, ubi ait: *Sardanapalus insultet turpior vitiis, quam nomine.* Tum haud scio an locus ponendus sit in Scipionis sermone ante cap. 31, ubi de tyranno sermo fuit. Iam de Sardanapali etymologia satis loquitur Scaliger ad Eusebii chronic. ed. Amstel. p. 63, 64, citato hoc ipso Ciceronis loco. Denique Augustinus C. D. II, 20, corruptissimae Epicureae reip. formam graphice copioseque describit, cuius picturae colores magnopere suspicor desumptos esse vel e Phili, vel e Laelii oratione, id est, ex hoc tertio de Repub. libro. Sic enim sermonem concludit Augustinus: *quis hanc rempublicam sanus, non dicam romano imperio, sed domui Sardanapali comparaverit?* etc. *quem regem isti si haberent sibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam ulla severitate adversantem, huic libentius, quam Romani veteres Romulo, templum et flaminem consecrarent.* A. M.

4. Hic adiunxit Maius fragmenta Augustini quae sequuntur, sic praefatus: » Sequentes Augustini locos idcirco in serie non posui, quia in his solus loquitur Augustinus. Eosdem tamen hic attexere iuvat, quia habent interstincta Ciceronis de Republica fragmenta, cursumque illius orationis demonstrant, qua Scipio tertium lib. concludit. « — » Enitar suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus, quid sit respublica, et quid sit populus, loquente Scipione, breviter posuit, attestantibus etiam multis, sive ipsius, sive eorum, quos loqui fecit in eadem disputatione, sententiis: numquam illam fuisse rempublicam, quia numquam in ea fuit vera iustitia. Secundum probabiliores autem definitiones pro suo more quaedam respublica fuit, et melius ab antiquioribus Romanis, quam a posterioribus administrata est. « Augustinus C. D. II, 21. — » Nunc est locus, ut, quam potero breviter ac dilucide, expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Republica, numquam rempublicam fuisse romanam. Breviter enim rempublicam definit esse rem populi, etc. populum esse coetum multitudinis, iuris consensu et utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat, per hoc ostendens, geri sine iustitia non posse rempublicam. Vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, prò fecto iuste fit; quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: quum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manaverit, falsumque esse, quod

a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. Quocirca, ubi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus coetus hominum non potest esse, et ideo nec populus, iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem; et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc, si respublica res populi est, et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia non est; procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rempublicam. Iustitia porro ea virtus est, quae sua cuique distribuit. « Augustin. C. D. XIX, 21.

# SCHOLION

## DE QVARTI LIBRI FRAGMENTIS.

Lactantium duplici et vera laude ornat Hieronymus (ep. 58 et 70), quod nempe quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae fuerit, et quod dialogorum Ciceronis epitomen fecerit. Conf. Praefat. §. 5. Dialogorum autem Tullianorum nomine libros fere de Republica abs Hieronymo aliisque auctoribus κατ' ἐξοχήν significari, sapiens Patricii et A. Schotti observatio est; quia scilicet nulla disputatio maiore sit contentione habita, aut inter plures. Iam quantum e superioribus de Rep. libris Lactantius decerpserit, liber meus late demonstrat; etsi nondum cumulate: puto enim esse alias apud hunc auctorem (necnon apud Augustinum) civiles Tullii reliquias, quas deinceps, ut auguror, doctorum virorum acumen deteget, et in sedes quamque suas quasi postliminio revocabit. Nunc ego quartum de Rep. librum adumbraturus, cuius minimum in Vaticano codice fragmentum superest, pauca alia apud quosdam veteres; ad Lactantium denuo respicio: in huius quippe operibus imaginem mihi quamdam praedicti libri deprehendere videor.

Mores et disciplinam reip. informavisse hoc libro Tullium, in confesso est: cunctae enim eo spectant reliquiae. Porro Lactantius sive in Institutionibus, VI, 20-24, sive etiam in epitome, cap. 62, 63, de moribus ita disserit, ut Tulliana fragmenta ad eius orationem facile accommodentur. Scribit enim Lactantius contra quinque sensuum voluptates. Et in voluptate quidem oculorum spectacula vituperat circi et scenae: in aurium voluptate musicam, nec non carminum ac suavioris orationis illecebras: in voluptatibus saporis et odoris satis habet dicere, turpe esse sapienti ac bono, si ventri et gulae serviat, si unguentis oblitus ac floribus coronatus incedat: in tactus voluptate libidinem gravi et multa oratione castigat. Generatim vero parcimoniam, continentiam, simplicitatemque vitae commendat. Quibus peroratis, ait cap. 24: « haec est illa lex Dei, ut a Cicerone dictum est, praeclara et divina, semper quae recta et honesta iubet.... cuius legis pauca equidem capita posui.... si quis volet cetera omnia comprehendere, ex fonte ipso petat, unde ad nos rivus iste manavit ». Illam quoque imitationem

esse constat, quod tam in Tullio, quam apud Lactantium, disputationem de iustitia sequitur haec doctrina de moribus. Sed enim ordinem Tulliani libri utrum Lactantius in tanta, qua utitur libertate servaverit, incertum est: immo ab eo saepe desertum arbitror. Quamobrem ego has reliquias etsi quaedam in capita conglobavi, sedem tamen earum primitivam et veram divinare non queo. Nam et prisci fragmentorum de Rep. sarcinatores, Sigonius atque Patricius, quantopere a vera serie, nulla ipsorum fraude, aberraverint, nunc demum editione mea patefactum est.

Iam quod Lactantius, de Opif. D. c. 1, ait, Tullium temptavisse in quarto de Rep. libro rationem animi et corporis explicare, id quidem ad libri initium pertinere videtur: nam qui de moribus dicturus erat, recte admodum isto pacto praefatus foret: atque ita Cicero ingreditur in moralem legum tractatum, praeposita (Leg. I, 7 et 8) corporis terrestri, animi vero divina origine. Morum quippe solus homo capax est: facta autem humani corporis et animi descriptione, sequitur ea conclusio, ut potior hominis pars esse animus dicatur, in quo reapse sunt mores: quare et homo definitur « animans moralis ». Atque haec est doctrina Varronis apud Augustinum C. D. XIX, 3; immo potius Antiochi, qui, teste eodem Augustino, magister Varronis et Ciceronis fuit. Valde igitur suspicor, Tullium hoc loco et praeceptoris Antiochi et Varronis amici doctissimi orationem usurpavisse. Summum bonum in philosophia Varro quaerit « non pecudis, sed hominis ». Cicero item, ut mox videbimus, « idem esse non putabat arietis et P. Africani bonum »: quae videntur verba interloquentis cuiuspiam, Laelii fortasse, qui librum quartum exorsus sit. Varro sentit, « in hominis natura duo esse quaedam, corpus et animam; et horum quidem duorum melius esse animam longeque praestabilius non dubitat ». Cicero quoque, Lactantio et Petro Blesensi testibus, « pluris esse animam, praestabilioremque corpore affirmavit ». Porro haec omnia quam recte ad disputationem de moribus ducant, nemo non videt. Lactantius rursum, Instit. III, 8, Tulliane loqui videtur: namque hominis bonum statuit esse diversum a ceterorum animantium bono: exin Tullii sententiam memorat qui virtutem summum hominis bonum putavit. Et Lactantius quidem iure decernit, hominem colendi Dei gratia esse natum; addit tamen, servire Deo, nihil aliud esse, quam bonis operibus tueri et conservare iustitiam: de qua scilicet virtute in praecedente civili Tullii libro sermo fuit. Denique sententiam, quam alibi Tullianam dicit, hic quoque inculcat Lactantius, « pluris videlicet esse animam, quam corpus ». Atque

his indiciis haud satis scio, utrum illam de corpore et animo non longam disputationem, quam in Ciceronis quarto de Rep. Lactantius legebat, partim saltem cognoscere liceat.

Denique inter eos, qui Ciceronis de Rep. opus legerunt, vix dubito, quin martyr Cyprianus numerandus sit. Rhetor quippe fuit gloriosissimus, eiusque eloquentiam eximiis meritisque laudibus a Lactant. Inst. V, 1, atque abs Hieronymo de Vir. ill. et epist. 58 et 70 elatam videmus. Is autem in aureo ad Donatum opusculo sic circi, scenae, privatarum domuum, et deinde fori flagitia describit, ut cum fragmentis quarti de Rep. libri non rebus solum, verum etiam quadam serie valde congruere videatur. Rursus, quae ibidem Cyprianus graphice addit de ambitionis et de luxus ac superbae potentiae malis, ea pariter et cum his fragmentis non pugnant, et cum Scipionis verbis consonant, quae is in primo de Rep. libro, cap. 17, dicit de rerum humanarum despicientia. (Ex iis, quae de argumento libri huius vel scimus, vel suspicari possumus, Villem. conciunavit disputationem admodum probabilem paginarum fere 60, quae, ne in nimiam molem excrescat haec editio, huc transferri non potuit. Mr.)

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO IV.

I. Atque ipsa mens,[1] quae futura videt, praeterita meminit..... *Nonius* IX, 8.

Etenim si nemo est, quin emori malit, quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit habiturus; quanto est miserius, in hominis figura, animo esse efferato? Mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore.[2] *Lactantius, Div. Inst.* V, 11.

.... non idem esse arietis, et P. Africani[3] bonum. *Augustinus contra Iulian.* IV, 60.

I. 1. Neglexit Maius hoc Ennianum. Seneca tamen in libris de Republica legerat. Adde ex Leg. II, 22: *Hic est ille situs.* I. V. L.

2. *Quanto praestabilior est animus corpore.* Petrus Blesensis epist. 85 ait: *Cicero et Apuleius et, quod maius est, Augustinus et Hieronymus testantur, plus esse animam, quam corpus.* Adde et Lactantium Inst. III, 9, ff. 16. Floruit saeculo post Christum duodecimo Petrus; qui utrum Ciceronis libros de Repub. legerit nec ne, merito ambigendum est. A. M. (Ad Blesensis locum quod attinet, conferatur Cicero Fin. V, 31; et Off. II, 13. A. M. in Add.)

3. *Et P. Africani bonum.* Hunc locum magnopere existimo e libris de Rep. fuisse petitum, tum propter Africani mentionem, tum quia ibidem Augustinus non semel expilat politicum Ciceronis opus. Conferendus est idem Augustinus in psalm. XCIX, 5; praesertimque Lactantius Inst. III, 8, et epitom. 33. A. M.

[1] . . . . Eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat, cum ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem. *Nonius* IV, 3.

Quumque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit; hieme ad conficiendas relaxarit; aestiva maturitate alia mitigaverit, alia torruerit .... [4] *Nonius* IV, 293.

..... Quum adhibent in pecuda pastores. *Idem* II, 691. [5]

II. . . . . [1] gratiam. Quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus,[2] in quo suffragia sunt etiam senatus: nimis multis iam stulte hanc utilitatem

4. *Alia torruerit.* Haec pertinent ad illam hominis descriptionem, cuius causa mundum esse factum ait cum Stoicis Lactantius de ira D. 13: *Sol irrequietis cursibus et spatiis inaequalibus orbes annuos conficit, et aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem, et tum abscessu longius ad meridiem, tum accessu propius ad septemtrionem hiemis et aestatis vicissitudines facit; ut et hibernis humoribus ac pruinis in ubertatem terra pinguescat; et aestivis caloribus vel herbidae fruges maturitate durentur, vel, quae sunt in humidis, incocta et fervefacta mitescant. Luna,* etc. Confer eumdem Lactantium Inst. II, 11; Ambros. Off. I, 14; Cic. Leg. I, 8, ac praesertim de Sen. 15. A. M.

5. Addit post Maius: *Cicero in quarto de Republica, Armentum, et ab eo armentarius.* Priscianus super XII vers. Virg. p. 1220. Adde etiam e Prisciano, ib *Armillae.* I. V. L.

II. 1. *Gratiam.* Folium unicum in Vaticano codice superest cum inscripto titulo quarti libri. Etsi autem hae quatuor pagellae valde exiguam particulam habent, nihilominus id confirmant, quod edita fragmenta innuebant, nempe quarto libro actum fuisse de disciplina reip. deque moribus instituendis; quod ut fieret, postulavit a Scipione Tubero lib. II, 38. Rursus ex hac particula constat, quanta severitate Cicero diffluentes civium mores castigandos atque intra pudoris septa coërcendos putaverit: cuius perfectae doctrinae laude nemo prope ex antiquis philosophis par Ciceroni est. Lege praesertim de Senectute, et Tusc. IV. Porro hanc partem politicorum librorum de educatione et de disciplina eo magis periisse dolendum est, quod eadem de re dissertatio, quam Cicero in Legibus III, 13 (quod opus posterius aetate est), exornaturum se promittit, nulla est in superstite illius operis parte, latetque adhuc in amissis Legum post tertium libris. A. M.

2. *Equitatus.* Hunc locum suum imitatur ipse auctor Tusc. IV, 1; subdit autem se de moribus institutisque maiorum et disciplina ac temperatione civitatis accurate loquutum esse maxime in sex libris de Rep. A. M.

tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebiscito reddendorum equorum. [3]

III. Considerate nunc cetera quam sint provisa sapienter ad illam civium beate et honeste vivendi societatem: ea est enim prima causa coëundi, et id hominibus effici ex republica debet, partim institutis, alia legibus. Principio disciplinam puerilem [1] ingenuis (de qua Graeci multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius, noster hospes, nostrorum institutorum negligentiam accusat [2]) nullam certam aut destinatam

3. *Reddendorum equorum.* Quamquam Gracchi legibus suis patrimonium publicum dispensarent, et aerarium exhaurirent, Off. II, 21, nihilominus patronos se aerarii in orationibus ostentabant, Cic. Tusc. III, 20. Itaque et hanc technam cum fautoribus suis excogitavisse videntur, iubendi scilicet equites reddere equum, qui publica impensa duorum millium assium ex ordinatione Servii Tullii alebatur. Eius autem plebisciti speciosa causa fortasse erat, quod multo plures, ut fit, equum impetravissent, quam qui stipendia mererent. A. M.

III. 1. *Principio disciplinam puerilem ingenuis.* Graecorum disciplinam puerilem mox reprehendet Cicero. Sed tamen graeci philosophi magnam eius rei curam prae se tulerunt. Legesis Isocratem ad Demonicum; Xenoph. Cyrop. Platonem Leg. I, pag. 643, II, 664, VII, p. 813, et Reip. lib. IV; tum Aristotelem Relp. V, 9, qui praeterea de institutione puerili totum scribit librum octavum; denique Plutarchum περὶ παίδων ἀγωγῆς, quem ceteroqui libellum graviter accusat νοθείας Wyttenbachius Opusc. t. I. p. 463 sqq. Equidem haud dubito, quin Cicero Latinos quoque auctores, quos inter aequalem suum Varronem expilaverit, cuius opus Cato, vel de Liberis educandis citatur a Nonio, et, secundum emendatas lectiones, a Gellio IV, 19, atque Macrobio Sat. III, 6. Catonis quoque exstiterunt praecepta ad filium de moribus. Ego vero magnopere hortor adolescentes ut illa etiam inspiciant nobilissima praecepta vivendi, quae eorum aetati tradit August. de Ord. II, ff. 25; inter quae illud est, alibi a me iam memoratum, ut *remp. nolint administrare nisi perfecti.* Iam illo se loco Augustinus non auctorem, sed exscriptorem (Tulliine an alius?) ipse fatetur ff. 28: *Haec praecepta vivendi, quamvis hic meis verbis pro tempore expressa sint, non tamen a me inventa. His enim magnorum hominum et paene divinorum libri plenissimi sunt.* Porro Augustinum praedicto in opere valde imitari Ciceronem de Rep. demonstravi superius p. 215, et p. 219, n. 1. Idem Augustinus contra Acad. III, ff. 35, ait adolescentium vitae educandae atque instituendae omnes literas Ciceronis vigilavisse. A.M.

2. *Nostrorum institutorum negligentiam accusat.* Fortasse libro historiarum sexto, in quo Romanorum politiam accurate Polybius scripserat. A.M.

legibus, aut publice expositam, aut unam [2] omnium esse voluerunt. Nam [4] . . . . . .

. . . . . .

. . . . . Ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. *Servius ad Aeneid.* V, 546.

IV. . . . ri, nudari [1] puberem. Ita sunt alte repetita quasi fundamenta quaedam verecundiae. Iuventutis

3. *Aut uiam omnium esse voluerunt.* Omni tamen aevo videntur convenisse Romae in ludum literarium pueri et puellae, ut Virginiae exemplum demonstrat. Controversiam ventilat Quintilianus Inst. I, 2, utrum nempe utilius domi, an in scholarum frequentia, erudiantur pueri. Sed enim de institutione tantum literaria ibi sermo est; Cicero autem universam disciplinam puerilem attingit, prorsusque videtur commendavisse morem romanum, ut pueri pro parentum arbitrio instituerentur. Quare et vix dubito, quin idem hoc libro loquutus fuerit de patria quoque potestate, quam summam apud Romanos, minimam apud Graecos, fuisse observat Dionysius II, 26. Item Varro libro de Liberis educandis hanc quaestionem haud praeteriit, quod satis indicat eius locus apud Nonium voc. *reiculas* his verbis: *Et ut in grege opilio oves minus idoneas removere solet, quas reiculas appellat; saepe enim unus puer petulans atque impurus inquinat gregem puerorum.* A. M.

4. *Nam.* Desiderantur paginae neque plus octo, neque minus quatuor. A.M.

IV. 1. *Nudari puberem.* Vocabulum *nudari* superadditur in codice inter *ri* et *puberem*. Id nisi vocabulum fuisset superadditum, haud erat absurdum hiatus finem ita fere sarcire; *more romano cum patre filium non solere lavari puberem*; quam rem testantur Cic. Offic. I, 35; de Or. II, 55; Plut. in Cat. cens. 26, et quaest. R. t. VII, p. 109; Ambros. Off. I, 18. Ad locutionem *nudari puberem* num illud quoque referendum est, quod egressi pueritia primo anno iubebantur *brachium toga cohibere?* scilicet ne reiecta toga corpus iuvenile nudaretur, quum prisco more toga sine tunica uterentur, campestri cincti. Pronum autem mihi creditum est, hac fere lacuna laudavisse Tullium Ennii illum versum, ut Tusc. IV, 33: *flagitii principium est nudare inter civis corpora.* De pudicitia Romanorum lege Dionysium VII, 42. Citatur a Servio Aen. IV, 45, Varronis de pudicitia liber, quem Cicero inspexisse credendus est. A.M. — Conferre nos iubet censor, quem ad huius libri proemium laudavimus, Lipsiensis, Valerium Max. II, 1, 7, ubi nostri loci vestigia impressa apparere dicit: "Huiusmodi inter coniuges verecundia. Quid? inter ceteras necessitudines nonne apparet consentanea? Nam ut minimo indicio maximam vim eius significent, aliquamdiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur. Manifestum igitur est, tantum religionis sanguini et affinitati, quantum ipsis diis immortalibus tri-

Digitized by Google

vero exercitatio quam absurda in gymnasiis! [2] quam levis epheborum illa militia! [3] quam contrectationes [4] et amores soluti et liberi! Mitto apud Eleos [5] et Thebanos, apud quos in amore ingenuorum libido etiam permissam habet et solutam licentiam. Lacedaemonii ipsi quum omnia concedunt in amore iuvenum, praeter stuprum, [6] tenui sane muro dissepiunt id, quod excipiunt; [7] complexus enim, concubitusque permittunt: pallas inter pecus. [8] —Hic Lae-

butum: quia inter ista tam sancta vincula *non magis*, quam in aliquo sacrato loco nudare se nefas esse credebatur: „ ubi, quidquid dicant interpretes in ed. Torrenii, Leid. 1726, in-4, pag. 125 sq. legendum est *non minus*. Mn.

2. *In gymnasiis!* Huc faciunt, quae ex II Cic. de Legg. libro laudat Lactantius Div. Inst. I, 20: *Graecia... Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecravit*: qui locus est in ed. nostr. et Cr. pag. 477, ubi vid. annott. pag. 477 sq. Mn. — Intelligit γυμνοπαιδίαν, quam ne apud Graecos quidem priscam fuisse ait Dionysius VII, 72; et, quum primum instituta est, vituperatam tradit Plato Reip. V, p. 452. Insanum esset, hac de re congerere flagitia Graecorum; quae nimis multa scribunt Athenaeus, lib. XII et XIII; Plutarchus in Lyc. et Apoph. Lac. Xenoph. de Rep. Lac. Prop. III, 14, aliique poëtae. A. M.

3. *Quam levis epheborum illa militia.* Scilicet dum essent περίπολοι; qua super re legatur Corsinus Fast. Att. diss. XI, 5. Conferendus praeterea Plato, Legg. VII, pag. 796. Nota est Thebanorum amantium Legio. Plut. in Pelop. 18, et Athen. XIII, 2. A. M.

4. *Quam contrectationes.* Obscoeno etiam (neque alio usquam) sensu utitur hoc substantivo de Nat. Deor. I, 27, 77, *cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae?* Mn.

5. *Mitto apud Eleos et Thebanos.* Respicit Platon. in Symposio, p. 182, a. b. pag. 388, ed. Bekker. et plura etiam ex Pausaniae oratione in eodem dialogo. Cr.

6. *Praeter stuprum.* Xenophon. de Rep. Lac. II, 14, 15; Plut. Inst. Lac. initio. A. M.

7. *Quod excipiunt.* Id discrimen, ut nugatorium, merito irridet Cicero Tusc. IV, 33. A. M.

8. *Pallas inter pecus.* Ita lego prorsus in codice; et notemus adagium. Pallis seu velis dissepiebantur olim conclavia, ut illa Antigoni regis apud Senecam de Ira III, 22, observante Forcellino: *quum inter dicentes et audientem palla interesset.* Sic etiam Theodorici regis palatio praetenduntur pallae in musivo Ravennatensi; et sunt pro foribus in Vaticani Virgilii necnon Terentii picturis. Vis autem proverbii est: *Si pallas inter homines obtendas, eas ob reverentiam, nisi data licentia, tollere non audebunt; pecus (lascivientes nimirum iuvenes) si quis ita dissepire velit, insanus videatur.* Confer Silentiarium Anth. III, 94, 63. Generatim vero hanc in Graecos invectionem videtur Cicero accersere a

ed by Google

lius, Praeclare intelligo, Scipio, [9] te in his Graeciae disciplinis, quas reprehendis, cum populis nobilissimis malle, quam cum tuo Platone luctari, quem ne attingis quidem, praesertim quum [10] . . . . . .

V. . . . opprobrio fuisse adolescentibus, si amatores non haberent. [1] *Servius ad Aen.* X, 325.

. . . . Non modo ut Spartae, rapere ubi pueri et clepere discunt. [2] *Nonius* I, 72.

scriptis Catonis. Lege Plutarc. in Cat. cens. 23. A. M.

9. *Scipio.* Ergo hactenus loquutus erat Scipio. Bene autem habet, quod Scipio de moribus disciplinaque disputat: fuit enim anno Vrbis 612 censor, et quidem valde severus, ut declarant eius notae censoriae, quas Pighius collegit in annalibus. Eiusdem oratio, quam in censura habuit, diserte *de moribus ad populum*, seu *quam ad maiorum mores populum hortaretur*, laudatur a Gellio IV, 20, V, 19. Quin eiusmodi fere videntur fuisse etiam aliae eius orationes a Gellio item laudatae II, 20, VII, 11, 12; necnon ab Isidoro Orig. II, 21. Ergo Cicero ex his Africani scriptis nonnulla certe hausisse videtur, quae belle ab ipso auctore in politicis his sermonibus recitanda curavit. Item Catonis et Laelii eadem de re orationes compilavit hoc libro Tullius, utens quidem illorum coloribus, sed tamen penicillo suo, ut loquitur ad Q. Fr. II, 15. A. M.

10. *Praesertim quum.* Sequebatur, ut arbitror, Laelii invectio adversus ea, quae Plato flagitiose de puerorum amoribus in convivio scribit atque in Phaedro; quibus tamen medicinam facit idem Leg. I, p. 636. (Et praecipue lib. VIII, pag. 836 sq. pag. 90 sqq. Bekkeri, ubi etiam de Cretensium et Lacedaemoniorum hac in re institutis moribusque conqueritur philosophus. Ca.) Exin notavisse videtur Laelius, quae circa puerorum iuvenumque institutionem in rep. viro romano, sanioribus adsueto, partim flagitiosa, partim absurda videri debebant. Sane ipse Cicero Tusc. IV, 34, licet Platonis reverentissimus, fatetur nihilominus, hunc non iniuria fuisse accusatum, qui amori auctoritatem tribuerit. A. M.

V. 1. *Si amatores non haberent.* Nempe de Cretensibus Spartanisque sermo est. Strabo X, p. 740, et Servius citato loco. A. M.

2. *Rapere ubi pueri et clepere discunt.* Lehn. nulla addita ratione omisit *pueri*, ut operarum incuria id vocabulum excidisse videatur. Ad rem, quae huc pertinent, collegit Cragius de Rep. Laced. III, Inst. XII, p. 481-483. Quibus addenda haec Sigonii: Hoc ad eam partem pertinere videtur, in qua de liberis educandis et ad studia et labores instituendis docuit. Quae ratio ab eo, qui remp. informat, nullo modo praetermittenda est, quippe quum sit diligentissime a Platone VII libro de Legibus, et ab Aristotele VIII libro Politicorum tractata. Quod autem ait *Spartae pueros rapere et clepere didicisse*, id ipsum invenio etiam apud Heraclidem in libello de Rebuspublicis, ubi hoc Laced. institutum exponit his verbis: τρέφουσι δὲ τὰ τέκνα, ὅστε μὴ;

Et noster Plato magis etiam quam Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, [3] ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere. *Nonius* IV, 346.

Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis, et delibutum unguentis, emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit..... [4] *Id.* IV, 201.

δέποτε πληροῦν, ἵνα ἐθίζωνται δύνασθαι πεινῆν· ἐθίζουσι δὲ αὐτοὺς καὶ κλέπτειν καὶ τὸν ἁλόντα κολάζουσι πληγαῖς, ἵν' ἐκ τούτου πονεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν δύνωνται ἐν τοῖς πολέμοις (ed. Creg. pag. 42). De studio autem Laconum in pueris ad laborem exercendis meminit etiam Aristoteles in VIII Politicorum, et Iustinus, ubi leges Lycurgi enumerat (Legg. III, 2 et 3). Ma.

3. *Omnia qui prorsus iubet esse communia.* Lycurgus rei tantummodo familiaris communionem Spartae esse voluit; Plato etiam uxorem Reip. V; ob quod flagitium tanta infamia laborat. Verba Platonis seu Socratis, latine exstant apud Salvianum, de G. D. VII, 23, quae utrum habeant Tullianam elegantiam, in medio relinquo. (Eluit tamen maculam illam Plato Leg. IV, p. 721.) Lactantium minime praetermittam qui, Epit. cap. 38, Tullium quodammodo supplere videtur. Sic ergo Lactantius: "Plato in multis ita lapsus est, ut nemo deterius erraverit, in primis, quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimoniis tolerabile est, licet sit iniustum: nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet, aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiamne coniuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio, nec genus certum, nec familiae, nec cognationes, nec adfinitates, sed, sicut in gregibus pecudum confusa et indiscreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia. Quis esse in utrisque amor coniugalis potest, in quibus non est certus aut proprius adfectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam feminis curiam reseravit, militiam et magistratus et imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt? (In eadem sententia videmus esse Lipsium ad Taciti Germ. 8, qui ad verba: *nec consilia earum adspernantur*, haec adscripsit: *Hoccine supererat? heu ipsos parum firma mente, qui eam quaesivere apud amentem sexum!*) Sed haec alias latius.„ Eamdem reapse Platonis refutationem latius ornat idem Lact. Inst. III, 21 sqq. A. M.

4. *Quam sibi ipse fingit.* Laelius, ut suspicor, dicit videri sibi Platonem, ob praedictam doctrinae labem, aeque civitate eiiciendum, atque ille Homerum (Reip. III, p. 398) in eadem esse non patitur. (Nisi forte generatim sermo est de philosophis turpibus). Ceterum pro Homero adversus Platonem libros quatuor, qui iam non exstant, scripsit, teste Suida, Dio Chrys. acerrimus alioqui Homeri vituperator. Tulit vero aetatem luculenta Homeri defensio, Proclo auctore. Item Sara-

VI. Censoris iudicium nihil fere damnato, nisi ruborem affert. Itaque ut omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. [1] *Id.* I, 93.

Horum enim severitatem dicitur inhorruisse primum civitas. [2] *Nonius* V, 7.

Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet: [3] sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus. [4] *Id.* IX, 7.

Ita magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. [5] *Id.* I, 14.

pion Alex. librum scripserat, utrum Homerum Plato a rep. merito ablegaverit, Suid. Denique idem Suidas memorat opus Telephi grammatici περὶ τῆς Ομήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας. A. M.

VI. 1. *Ignominia dicta est.* Scilicet nota censoria. A. M.

2. *Severitatem dicitur inhorruisse primum civitas.* Adhuc de censoribus sermo esse videtur, quorum potestatis propria est *severitas.* Gell. IV, 20; Val. Max. II, 9. A. M.

3. *Qui apud Graecos creari solet.* Praefecti mulieribus (γυναικονόμου) inter Graecos mentio est apud Aristot. Reip. IV, 15. A. M.

4. *Qui viros doceat moderari uxoribus.* Si respicias ad Gellium X, 23, locus videbitur sic continuandus Catonis verbis: *viri autem mulieribus iudices pro censore sint: imperium, quod videtur, habeant: si quid perverse tetreque factum est a mulieribus, multentur; si vinum biberunt*, etc. — Sic Dionysius II, 24, 25, commemorato illo graeco, qui muliebri pudicitiae praeerat, magistratu, ait melius consuluisse nuptiis Romanos, qui uxorem in potestate mariti esse voluissent. Sic apud Dionem LIV, 16, Augustus maritos iubet uxori quemque suae moderari, vitiisque eius obviam ire. Sed tamen Tertullianus de pudic. initio suadet, ut censura aliqua pudicitiae mulierum consulatur. A. M.

5. *Carent temeto omnes mulieres.* De famigerata romanarum mulierum abstinentia a vino, iam inde a Romuli aetate, conferre iuvabit Plinium XIV, 13; Valerium M. II, 1, 5, VI, 3, 9; Servium Aen. I, 737; Plutarchum Comp. Lyc. cum Numa; Dionys. II, 25; Polyb. lib. VI; apud Athen. X, 11; Tertullianum Apol. c. 6; Arnobium I, p. 20; Lactantium Inst. I, 22; Augustinum Confess. IX, ff. 18, et append. tom. III, part. I, pag. 121. G. Omni prope vini usu interdicitur universim apud Platon. Leg. II fin. De mulierum veterum victu et moribus sermo fuit in quadam oratione Catonis apud suprascriptum Gellium X, 23. Ego igitur magnopere arbitror, Tullium, quae hoc libro dixit de mulierum moribus, hausisse praesertim e Catone, necnon e sexto Polybii libro, qui fuit de disciplina Romanorum. Namque horum duumvirum verbis mire decuit uti Scipionem. Sed festivum est, quod

Digitized by Google

Atque etiam si qua erat famosa,[6] ei cognati osculum non ferebant. *Id.* IV, 193.

Itaque a petendo petulantia; a procando, id est poscendo, procacitas[7] nominata est. *Nonius* I, 89.

VII. Nolo enim eumdem populum imperatorem et portitorem esse terrarum.[1] Optimum autem et in privatis familiis et in republica vectigal duco esse, parcimoniam.[2] *Id.* I, 65; *Io. Saresberiensis, Polycr.* III, 12.

narrat Hieronymus (si lectio sana est) contra Iovin. I, 48, Catoni scilicet censorio fuisse uxorem vinolentam. Adversus luxum muliebrem, sive pro lege Oppia, exstat Catonis oratio apud Livium XXXIV, 2 sqq. De pudicitia muliebri affatim Hieronymus in praedicto opere. A. M.

6. *Atque etiam si qua erit famosa.* Patricius ad h. l. haec: *Famosum* intelligo, ut exponit ibi Nonius *infamem*, sed propter vinum proprie. Nam illud, quod est apud eumdem Ciceronem lib II de Orat. *Nam me ad famosas vetuit mater accedere*, alio pertinere arbitror. Hic autem *famosam*, *vinosam*, et, ut appellat Terentius, *temulentam* intelligo. Nam *temetum* olim *vinum* appellabant, ut scribit Plinius lib. XIV, c. 13. A. M. — *Ei cognati osculum.* Praeter Plinii locum allegatum, vide Valerium de Instit. Antiquis et Festum in dict. *Osculana pugna*, quamquam verbis mutilatis et manca sententia. Vide etiam Plutarch. in Problematis; Arnobium lib. Disp. contra Gent. Tertull. in Apol. Gellius lib. II, c. 13, ex Caecilio comico haec adducit: *Qui mihi, ubi domum adveni ac sedi, extemplo suavium dat ieiuna anima.* Verba autem sunt mariti de uxore, quae exstant etiam apud Nonium dictione *anima*. Certe Athenaeus scribit lib. I apud Rom. inquit: Οὔτε οἰκέτης οἶνον ἔπινεν, οὔτε γυνὴ ἐλευθέρα, οὔτε τῶν ἐλευθέρων οἱ ἔφηβοι μέχρι τριάκοντα ἐτῶν. Quamquam Aelianus usque ad quinque et triginta annos extendit, uti adnotavit Sigonius. Ma.

7. *Procacitas nominata est.* Sext. Pompei. Festus, pag. 179, ed. Scalig. *Procari, poscere; unde procaces meretrices ab assidue poscendo: et procos uxorem poscentes in matrimonium. Procari, poscere est, unde et procos et meretrices procaces, et verbum procat, id est, poscit. Procat dicebant pro poscit.* Cic. or. pro Coel. cap. 20, 49, *ut non solum meretrix, sed etiam procax videatur.* Ma.

VII. 1. *Et portitorem esse terrarum.* Eadem sententia est Tullii in fragm. orat. de rege Alex. III, 1. Quamquam hic fortasse agitur de locatione censoria terrarum. Namque, ut ait Symmachus, ep. I, 12, *censorum notio fuit, spectare opera, quae locarent.* A. M.

2. *Parcimoniam.* Sic diserte ait Maecenas in politica oratione ad Augustum apud Dionem LII, 35. Laudes parcimoniae, quas hoc loco scripsit late Cicero, a Veterum scriptis derivavisse credendus est. Nam Catonis adversus luxum noti sunt sonitus.

Fides enim nomen ipsum[3] mihi videtur habere, quum fit, quod dicitur. *Nonius* I, 94.

... In cive excelso atque homine nobili blanditiam, ostentationem, ambitionem, notam esse levitatis. *Id.* III, 27.

... Nullus est patriae consulendi modus, aut finis bonis.[4] *Augustinus*, *Epist.* XCI, 3.

VIII. Admiror, nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant,[1] inquit.[2] Benivolorum

Laelii declamatio in luxum constat e Lucilianis versibus apud Cic. Fin. II, 8. Leges Romanorum sumptuariae recensentur a Macrobio Saturn. II, 33. Athenaeus VI, 24, memorat inter eos, qui legem Fanniam sumptuariam studiose observaverunt, Scaevolam, Tuberonem, et Rutilium, huius dialogi personas. Quare haud scio, an Cicero unum vel plures ex his fecerit hoc in libro de parcimonia disputare. Ibidem Athenaeus Romanorum parcimoniam laudat Posidonii verbis. Apud Plutarchum de sanitat. tuend. t. VI, p. 478, seditionum non minimam causam esse luxum nimiosque sumptus docet Crates. A. M.

3. *Fides enim nomen ipsum.* De Off. I, 7, 23 est: *Credamusque, quia fit, quod dictum est, appellatam fidem*: et ad Famm. XVI, 10: *Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, quod ἔτυμον haberet.* Hoc vero est *docere!* Meliora attulit Beierus ad l. l. de Officiis, videlicet verbi *fides* radicem esse πίθω: quod praeter Salmasium de Vsuris, quem laudat B. docente etiam I. G. Vossius, Etymol. L. L. p. 214; Lennep. Etymol. L. Gr. p. 905; Becmanus, Manud. ad L. Lat. p. 850; Martin. Lex. Philol. s. v. *Fides*. Monendum autem etiam, verbum *fio* comparandum esse cum graeco φύω, unde latinum *fuo*, quod restat in illis Virgilii: *Tros Rutulusve fuat.* Vide Vossium l. c. p. 215; Becman. l. c. p. 472; Martinii Lex. Philol. v. *fio*. Ceterum post *ipsum* vocem *inde* excidisse apud Nonium suspiceris. Ms.

4. *Nullus est patriae consulendi modus aut finis bonis.* Dat Maius locum Augustini integrum: *Cerne, quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicetur, et erga coniugale vinculum fides, castique, honesti ac probi mores.* Augustinus ep. XCI, 3. Post ipse addit: "Ita legebat in Cicerone etiam Nectarius ad Aug. ep. 90. Generatim Augustinus nos docet laudes frugalitatis et continentiae, quae in politicis libris recitatae fuerunt: sed enim quid specialiter dictum fuerit, vix dubito, quin tradat Cicero Off. II, 22, ubi dilaudat Africani, patrisque Paulli, abstinentiam in tot tantisque victoriis; itemque Mummii Achaici, fratris eius, qui his dialogis interest.„

VIII. 1. *Si iurgant.* Plenius adscribemus locum Nonii, ut a Dirksenio editus est in libro saepius laudato: *Uebersicht*, etc. (p. 475-481) p. 476: "Iurgium et lis hanc habent distantiam, quod iurgium levior res est; siquidem inter benivolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur; inter inimicos dissensio lis

Digitized by Google

concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur.... Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. *Nonius* V, 34.

... Eosdem terminos hominum curae, atque vitae: sic pontificio iure sanctitudo sepulturae.... *Id.* II, 805.

... Quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necaverint.[3] *Id.* IV, 158.

appellatur. M. Tullius de Rep. lib. IV: *Admiror, nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam: Si iurgant, inquit. Benivolorum concertatio non lis, (ut) inimicorum, (sed) iurgium dicitur.* Et in sequenti: *Iurgare igitur Lex putat inter se vicinos, non litigare.„* Videlicet nostro loco habemus nonnisi duo priora legis verba, quae in ed. Bip. Cic. t. XI, p. 444, ex restitutione Funccii ita se habet: *Sei. iourcant. adfines, finibus. recondeis. pretor. arbitros. tris. adeicitod.* Vide nostrum Excursum ad Cic. de Legg. I, 21, 55, pag. 480-483. — Lex XII tabularum. A. M.

2. *Inquit.* Hanc et sequentem particulam de sepultura seu de iure manium hic colloco, quoniam Dionysius in Ambrosianis fragmentis XX, 3, docet nos, hanc etiam curam fuisse romani censoris, ne quis inferiarum traditas a maioribus caerimonias desereret. Quaenam autem huius mutili loci sententia est? Vtique Cic. Tusc. I, 12, excessu vitae non deleri hominem, e pontificio iure et caeremoniis sepulchrorum intelligi sit. Sane is Tulliolae suae miris modis parentavit. Funebrem autem laudationem quamdam ab iis praeteriri miror, qui Ciceronis scripta enumerant, de qua ipse auctor ad Q. fr. III, 8: *Serrani Domestici filii funus perluctuosum fuit a. d. IX kal. decemb. laudavit pater scripto meo.* Quam quidem laudationem hoc ipso anno, quo scribebat de rep. Tullius, habitam cognosces, si epistolarum chronologiam apud Wielandum aut Schützium consulueris. A. M. (Confert ad nostrum locum Sigonius Cic. de Amic. IV, 15: *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur:* i. e. ait S. *si idem esset terminus hominum curae atque vitae.* Cf. Tusc. I, 12, 27. Mn.)

3. *Innocentes necaverint.* Dicit Athenienses duces crudeliter necatos, propterea quod post praelium ad Arginusas non excepissent naufragorum cadavera. Xenoph. Hist. I. Inferiarum autem politici prope omnes prae se curam tulerunt. Numae legum de funeribus mentio apud Liv. I, 20. Tabulam decimam habuisse iura sepulturae, e fragmentis cognoscimus. Polybius VI, 6, ff. 53 sqq. inter bona reipub. rom. instituta ponit funerum pompam et mortuorum laudationes; quae scilicet laudationes utrum a Publicola inceperint, dubitat Dionysius V, 17. Eiusmodi pietatem vulgo poëtae suadent. Solonis iura funebria sunt apud Plut. in Sol. 12; Lycurgi apud eumdem Plut. in Lyc. 27. Apud Laër-

Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum. *Id.* XII, 4.

Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut parum.[4] *Priscianus* XV, *p.* 1014.

Cui quidem utinam vere fideliter abunde ante[5] auguraverim! *Nonius* VII, 7.

IX. Ad quos quum accessit clamor et approbatio populi, quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?[1] *Augustinus*, *de Civit. Dei* II, 14; *Io. Saresberiensis*, *Polycr.* VII, 9.

tium III, 48, Plato tria genera iustitiae statuit erga deos, homines et manes. Legesis eumdem Platonem Reip. II, p. 366; Leg. I, p. 632, IV, 717, XII, p. 817, 958 sqq. Xenoph. Mem. Soc. II, 2. Inter Christianos lege Lactantium Inst. VI, 12, et Augustinum de Cur. ger. pro mortuis. Porro quod attinet ad inferiarum utilitatem Plato in primo praedictorum locorum (Reip. II, pag. 366) prorsus conspirat cum divina (?) auctoritate libri II, 12, 46 Macchabaeorum. A. M.

4. *Aut parum.* Locus hic tertio in libro satis apte concluderetur, nisi eum Priscianus diserte e quarto libro laudaret tam in editionibus, quam in vetere, quem inspexi, codice Vaticano. A. M.

5. *Cui quidem utinam vere fideliter abunde ante.* Ita fit coniectura in margine Platinianae; namque editiones aliae habent *abundante*, aliae *abundiente*. In codicibus, quantum vidi, desideratur hic Ciceronis locus. A. M.

IX. 1. *Quas inflammant cupiditates?* Hactenus Augustinus. Iam etsi invectio in poëtas est apud Ciceronem N. D. I, 16, III, 31; Tusc. II, 11, IV, 31; et quidem III, 2, partim similis huic loco; nihilo minus videntur mihi Sigonius et Vivesius iure hanc particulam posuisse in fragmentis librorum de Rep. tum propter verborum discrepantiam, tum propter incrementa sententiarum. Imitatur autem hanc reprehensionem poëtarum Lactantius I, 15. Ea scilicet Platonica est, ut observat etiam Augustinus C. D. VIII, 13. Legesis ipsum Platonem Reip. III, pag. 391; Leg. IV, pag. 719; rursus Reip. X; nisi quod pag. 607 excipit hymnos in deos, laudationesque poëticas illustrium virorum. Hic autem oboritur haud absurda quaestio (cf. Praefat. § VI, pag. 18), utrum Io. Saresberiensis, qui Policr. VII, 9, locum hunc continuat, Ciceronis opus de R. viderit, an potius usque huc quidem Augustinum interpolaverit, reliqua autem de suo addiderit. Sic igitur Saresberiensis: *Cicero quum de poëtis ageret, ut diligentius audiatur, exclamat: clamor et adprobatio populi, quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, et qui ad commendationem sufficiat plausu suo, quos vult, facit authenticos. At illi, qui tantis laudibus efferuntur,*

## X..... Quum artem ludicram scenamque totam

*quantas obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates! Hi stupra adulteriaque conciliant*; prosequitur alia eiusmodi. Tum e Terentio (Eunuch. II, 2), *qui*, ut ait, *prae ceteris placet*, exemplum illud profert adolescentis, qui in tabula spectans Iovem lascivientem, malo exemplo abutitur. Atqui ut ego credam Terentii sermonem super illa Iovis pictura reapse in quarto de Rep. exstitisse, illo maxime indicio utor, quod Augustinus C. D. II, 12, postquam repetiit locum illum Ciceronis, quem cap. 10, pag. 294, n. a. posui, Scipionem mox alloquens, ait: *et dignum fuit, ut Terentius vester flagitio Iovis optimi maximi adolescentium nequitiam concitaret?* Idem Augustinus C. D. II, 7, ait: "quanto satius erat ad erudiendam ad iustitiam (A. M. dedit *ad erudiendam iustitiam*) iuventutem, publice recitari leges deorum, quam laudari inaniter leges atque instituta maiorum!„ Quis haud videt intelligi ab Augustino Tullium, qui ob erudiendam iuventutem toto quarto libro laudavit leges atque instituta maiorum? Atqui Augustinus ibi statim subdit historiam Terentiani iuvenis: *hinc apud Terentium flagitiosus adolescens spectat tabulam quamdam pictam*, etc. Et quidem Augustinus passim eo secundo de C. D. libro remp. Ciceronis expilat. (Legesis etiam Confess. I, 16). Iam quantum Terentius Scipionum, Laeliorum, immo et Furiorum domibus iucundus fuerit ac familiaris, docet duplex Terentii vita, altera, quae Donati creditur, altera item vetus et perbrevis, a me nuper edita Mediolani. Praeter quam quod ipse Laelius apud Cic. de Am. 24 dicit Terentium familiarem suum. Quod vero ait Saresberiensis *comicus, qui prae ceteris placet*, id commode a Scipione aeque ac Laelio dictum fuerit, quia scilicet Terentii fabulae ab utroque praedictorum putabantur scribi. Cic. ad Att. VIII, 3; Quintil. Inst. X, 1; Donat. vit. Ter. Quin adeo ipse Terentius valde nobis auctor est, ut illa verba *comicus, qui prae ceteris placet* a Scipione aut a Laelio apud Laelium dicta credamus. Sic enim prolog. Adelph. *Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles Eum adiutare, adsidueque una scribere: Quod illi maledictum vehemens esse existimant, Eam laudem hic ducit maximam, quum* ILLIS PLACET, *Qui vobis universis et populo placent*, etc. Sane *homines illi nobiles* Scipio et Laelius et Furius sunt, teste Donato in commentario ad prologum, quibus se placere gaudet comicus (namque in Donato pro *Furium Pium* scribere debemus *Furium Pilum*): apud Saresberiensem autem ipsi illi fortasse nobiles comicum sibi placere aiunt. Denique auget suspicionem meam, quod illa mentio Terentiani iuvenis (a Saresberiensi citata) in quarto de Republ. exstiterit, locus alius Augustini, epist. XCI, 4: *illi doctissimi viri, qui remp. civitatemque terrenam, qualis eis esse debere videbatur, magis domesticis disputationibus requirebant, vel etiam describebant, quam publicis actionibus instituebant atque formabant, egregios atque laudabiles quos putabant homines, potius quam deos suos imitandos proponebant erudiendae indoli iuventutis. Et revera Terentianus ille adolescens, qui spectans tabulam pictam*, etc. Et statim post: *lege vel recole in eisdem libris* (de Rep. ut nominatim appellantur priore epistolae parte), *quam prudenter*

**probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt.** [1] *Augustinus, de Civit. Dei* II, 13.

*disseratur, nullo modo potuisse scriptiones et actiones recipi comoediarum, nisi mores recipientium consonarent. Ita clarissimorum virorum in rep. excellentium et de rep. disputantium auctoritate firmatur*, etc. Fieri tamen potest, ut Saresberiensis ex hac ipsa Augustini epistola occasionem ceperit connectendi Terentianum iuvenem cum his, quae apud eum praecedunt. Denique quae mox sequitur in eodem Saresberiensi commendatio poëtarum, quaeque dicitur e Cicerone derivari; ea quidem apte in quarto de R. libro ab aliquo poëtarum defensore recitata fuisset; sed enim haud scio, an pronius creditu sit, eam temere tribui Ciceroni a Saresberiensi. Certe ego totum tractum Angli auctoris, qui post Augustinianam auctoritatem porrigitur, a meo libro exsulare malui, quam committere, ut duodecimi saeculi sordes cum auro Tulliano miscere viderer. Quod si forte quaedam interpolatio est, quis vera a spuriis satis tuto separet? Nonne enim eruditi adhuc laborant in excernendis Tullianorum de gloria librorum reliquiis, si quae sunt apud Alcyonium? A. M. (Vid. annot. nostr. ad A.M. Praef. Mn.) — Hic collocat Maius verba Senecae, epist. XLIX: *Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos.*

X. 1. *Sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt* De artis scenicae initiis apud Romanos insignis copiosusque est Livii locus VII, 2, ubi recte distinguit histriones ab actoribus Atellanarum; hosque postremos negat tribu moveri solitos: ex quo consequitur, ut tribu moverentur histriones, quod hic ait Cicero. De scenicis originibus librum Varronis memorant Servius G. I, 19, et Censorinus, cap. 17, eoque, dum opus politicum componeret, fortasse usus est Cicero, ut colligo ex ep. ad Att. IV, 14. Frustra autem negat Macrobius Sat. II, 10, histrioniam Romae turpem fuisse. Idem nihilominus contra saltandi meditationem, nobilibus quibusdam familiarem, profert Scipionis nostri lautam particulam orationis, itemque breviorem Catonis: quas orationes sine dubio expilavit Cicero in hac invectione scribenda, praesertim quum eam recitet Scipio, Catonis discipulus. Sane recens erat Nasicae Scipionis exemplum, qui lapideum theatrum fieri vetuerat. Conf. Liv. epit. XLVIII; Vell. I, 15; Appian. B. C. I, 28; Valer. M. II, 4, 2; August. C. D. I, 31; Oros. IV, 21. Profecto decuit Tullium in politico opere verba de theatro facere, cuius semper plurimam curam principes rerumpub. gesserunt. Conf. cod. Theod. XV, 7 de scenicis; Cassiodor. Var. I, 20, III, 51, IV, 51, V, 42, VI, 4, VII, 10; Symm. ep. X, 4, 26, 28, etc. Bene vero est, quod Cicero theatri insaniam vituperat, quam Christianae quoque ecclesiae Patres tantis clamoribus ac veluti effusis totius ingenii fontibus deplorant, quos inter Augustinus in libris de C. D. Tertullianus de Spectaculis; Arnobius IV, et VII; Salvianus de G. D. VI, 2, 3, 11 sqq. A. M.

Digitized by Google

Numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent.[2] Et Graeci quidem antiquiores[3] vitiosae suae opinionis quamdam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum,[4] ut, quod vellet, comoedia, de quo vellet, nominatim diceret[5] ... Itaque quem illa non attigit? vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Esto, populares homines improbos in republica, seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit.[6] Patiamur; etsi eiusmodi cives, censore melius est, quam a poëta notari: sed Periclem, quum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus, et eos agi in scena, non plus decuit, quam

2. *Probare sua theatris potuissent.* Locum hunc rursus memorat Augustinus ep. XCI, 4, ad Nectarium: *lege vel recole in eisdem* (de Rep.) *libris*, etc. ut scripsimus (pag. 551-552) in nota. Quartum de Rep. librum fortasse respicit Tertullianus de Spect. 18: *saeculari literatura lusoriam vel agonisticam scenam dispungunt; quod sint tragoediae et comoediae scelerum et libidinum auctrices, cruentae et lasciviae, impiae et prodigae*, etc. Consonat autem sibi Cicero Tusc. IV, 32: *de comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino.* Vniversim vero Cicero, summus philosophus et politicus egregius, romanos ludos, licet magnificos, pedibus trahit ac stomachatur ad Marium scribens (ad Fam. VII, 1), Crasso et Pompeio coss. nempe anno ante quam hanc in politicis libris vituperationem theatri recitandam curaret. A. M.

3. *Et Graeci quidem antiquiores.* Recte dicit *antiquiores*; nam postea comoedorum licentia cohibita est. A. M.

4. *Apud quos fuit etiam lege concessum.* Huius concessionis meminit Xenophon, Reip. Ath. cap. 2, 18, ita tamen, ut ne quis actor populo generatim malediceret. Maledicos illos poëtas nominat Horat. Sat. I, 4, 1. Sed Plato sapientior theatrales fabulas magistratuum censurae ante subiici iubet (Leg. VII, pag. 817) quam publice edantur; quae prudens consuetudo nostrorum temporum est. Tum Leg. XI, pag. 935, vetat, addita poena, ne quis poëta vel musicus nomini cuiusvis civis detrahat. A. M.

5. *Nominatim diceret.* Tractus a verbis *et Graeci* huc usque utrum sit Tullianus an potius Augustinianus, ambigo. A. M. (Equidem cum Lehn. existimo, Ciceronis sermonem esse ab Augustino in brevius contractum. Ms.)

6. *Hyperbolum laesit.* Hi videlicet homines exagitantur in Aristophanis comoediis. A. M.

si Plautus noster voluisset, aut Naevius Publio et Cnaeo Scipioni,[7] aut Caecilius Marco Catoni maledicere..... Nostrae contra duodecim Tabulae quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.[8] Praeclare; iudiciis enim, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus; nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, et iudicio defendere ..... Veteribus displicuisse Romanis vel laudari quemquam in scena vivum hominem, vel vituperari.[9] *Augustinus, de Civ. Dei* II, 9.

XI. Comoedia, imitatio vitae, speculum consuetudinis, imago veritatis. *Donatus, de Comoedia et Tragoed.* [1]

Et Æschines Atheniensis, vir eloquentissimus, quum

7. *Publio et Cnaeo Scipioni.* Illis, qui in Hispania perierunt. A. M.

8. *Infamiam faceret flagitiumve alteri.* Carmina famosa decemviralibus scitis fuisse vindicata, itemque adversus petulantiora convicia de atrocibus formulas constitutas iniuriis ait Arnobius IV, pag. 151; itemque Cassiodorus Var. I, 31, sane prudentius et aequius quam I, 27, ubi theatris paullo liberiorem conviciandi licentiam concedit. A. M.

9. Locum hunc ipsum exhibet breviatum idem Augustinus C. D. II, 12: *Romani, sicut in illa de republica disputatione Scipio gloriatur, probris et iniuriis poëtarum subiectam vitam famamque habere noluerunt, capite etiam plectendum sancientes, tale carmen condere si quis auderet.* A. M.

XI. 1. Silet Donatus, quonam in opere haec Tullius dixerit: quae tamen dici ab aliquo videntur, qui poëtas in quarto de Rep. libro defenderit; et quidem fortasse a Laelio, qui praecipuus auctor fabularum Terentianarum vulgo creditus est, et paterna suaque amicitia Terentio iunctus fuit. Cic. ad Att. VII, 3; de Am. 24. Iam quod ait Plutarchus an sen. ger. resp. et reip. ger. praecept. t. IX, p. 483 et 214 dictum fuisse Σκιπίωνα ὑποκριτὴν τῶν πράξεων, ποιητὴν δὲ Λαίλιον τὸν ἑταῖρον, id quidem ad Laelii consilia, quibus Scipio morem gerebat, refertur; verumtamen ex eadem fama Laelii poëtantis manat. A. M.

adolescens tragoedias actitavisset,[2] rempublicam capessivit; et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis et belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt.[3] *Augustinus de Civ. Dei* II, 10.[4]

2. *Adolescens tragoedias actitavisset.* De Aeschine et de sequente Aristodemo lege Plutarchum, vit. Reth. X, cap. 6. A. M.

3. *Saepe miserunt.* Haec dici videntur in dialogo a persona defendente artem scenicam adversus Scipionem. Quod si hunc locum ipse Scipio recitat, vituperari ab eo Graecos puto, qui scenicae arti honorem tribuerint. A. M.

4. Addit locum Maius ex Aristidis Quintiliani lib. II de Musica, sed longius arcessitum, et in ipso textu vix ferendum. I. V. L.

# EPITOME

## LIBRI QVINTI.

Conatus est, nec frustra, Villemanius noster immensos hiatus libri quinti complere (vide *la République de Cicéron*, t. II, p. 135, Paris, 1813), neque modo varias quibus hunc conflari suspicatur partes delineavit ac connexuit, verum etiam unamquamque partem, prout autumavit explicatam a Tullio, explicavit ipse, ac de singulis tam docte tamque praeclare disseruit, ut amissi libri quinti nobis paene tollatur desiderium. Quam ad luculentam dissertationem hortamur, ut recurrant quilibet Tullianos de Republica libros ad plenum nosse velint. Quae quum nos longius abripiant, satis erit ostendere quae sint praecipua libri quinti lineamenta, et quo ordine partes eius dispositae sint, ni fragmentorum adhuc exstantium indiciis fallamur.

Ineunte libro, ut ipse testatur Augustinus, luget Cicero mores priscorum Romanorum in peius ruentes ac prope omnino perditos. Vnde merito coniicitur Nostrum hic antiquas virtutes firmaque illa instituta depinxisse quae Scipionis aetate nondum desueta, contra ingruentem morum corruptelam adhuc obnitebantur; tum ostendisse virtutes illas ex communi fonte ortas, nempe e simplici vitae cultu ac rerum rusticarum studio, unde non modo publicas opes, verum etiam temperantiam, fortitudinem et patriae amorem derivare antiqui existimabant. Ita enim sentiebat P. Cato, qui sic initio operis de Re rustica: « Est interdum praestare mercaturis rem quaerere ni tam periculosum sit; et item foenerari, si tam honestum sit. Maiores enim nostri hoc sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt; furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli. Quanto peiorem civem existimarint foeneratorem quam furem hinc licet existimari: et virum bonum quum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo; verum (ut supra dixi) periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur; maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur,

minimeque invidiosus: minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt».

Laudatis autem, ac paene conclamatis antiquis virtutibus, per quas ad tantum laudis fastigium nomen romanum emerserat, vocatisque pereuntium in auxilium legibus, Cicero de reipublicae institutis disseruit, neque ita tamen, ut omnia quae ad leges pertinent excuteret, id nempe in peculiari de Legibus opere exsequutus est; verum quidquid ad iuris administrationem et ad iudiciariam potestatem attinebat, eo de Republica opere praetermitti noluit, ut satis constat ex novis fragmentis ab A. Maio repertis. Remeat Noster ad paternam illam priscorum regum administrationem, qui iudicia per se ipsi exercebant. Quum autem Laelium et Scipionem colloquentes adduceret, non potuit omittere coaevi Gracchi legem qua ex senatorio ordine ad equestrem translata fuerat exercendi iudicii potestas; enixe obstantibus Laelio et Scipione, quos firmissimos umquam habuit assertores senatoria auctoritas. Hanc quidem ibi descriptam ac defensam esse a Tullio verisimile est, quam tantis laudibus extollebat, quamque per vitam omnem tam vehementi tamque pertinaci studio prosequutus est. Tum e medio illo clarorum virorum coetu exsurgentem haud dubie ostendit civem illum prudentia et eloquentia supereminentem omnes, principem senatus et patriae, virtutibusque ac sapientia dignum qui rempublicam regeret ac tueretur. Hinc adductus est, ut quae sint in Rep. oratoris partes exponeret. Verba enim a grammaticis servata ad disputationem eiusmodi tantummodo referri possunt. Ex his autem apparet hic Scipionem in rhetores invectum fuisse, eaque adhibuisse in captiosam damnosamque eloquentiam, quae in Gorgia Platonis leguntur argumenta. Denique ex ultimo fragmento coniicitur Platonica illa sophismata, in modum ludi tantum adhibita, confutata esse, ingentesque tributas verae eloquentiae laudes.

Digitized by Google

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO V.

I.[1] . . . . . .

*Moribus antiquis res stat romana virisque:*[2]

quem quidem ille versum vel brevitate, vel veritate, tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri praefuissent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent tantam, et tam iuste lateque imperantem rempublicam. Itaque ante nostram memoriam, et mos ipse patrius praestantes viros adhibebat, et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra vero aetas quum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam

I. 1. Hic ipsa Augustini verba praeposuit Maius, quae sunt: *Quando respublica romana non iam pessima ac flagitiosissima, sed omnino nulla erat, secundum istam rationem, quam disputatio de Republica inter magnos eius tum principes habita patefecit; sicut etiam ipse Tullius, non Scipionis, nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens, in principio quinti libri demonstravit, commemorato prius Ennii poetae versu, quo dixerat, etc.*

2. *Moribus antiquis res stat romana virisque.* Idem hic versus exstat in epistola M. Aurelii imp. apud Vulcatium in Cassii vita, cap. 5. A. M.

evanescentem vetustate,[3] non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius, et extrema tamquam lineamenta servaret.[4] Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria: cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam capitis quodam modo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero[5] iam pridem amisimus.[6] *Augustinus, de Civ. Dei* II, 21.

3. *Sed iam evanescentem vetustate.* Locum a verbis *nostra vero aetas* usque huc cit. a quinto de Rep. etiam Nonius voc. *vanum*; sed mendose *ut nostra*; nam *ut* particulam recte praetermittit Augustinus. Additur tamen *iam* ante *evanescentem* apud Nonium, quae particula in Augustino desideratur. A. M.

4. *Et extrema tamquam lineamenta servaret.* Cicero hoc ipso anno, quo de Rep. opus componebat, ad Atticum IV, 16, scribens, qua in epistola de politicis ipsis libris loquitur, ait: *amisimus, mi Pomponi, non omnem modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem ac speciem pristinam civitatis: nulla est resp. quae delectet, in qua acquiescam.* Quae verba tam similia huic proœmio quinti libri sunt, ut ab illo, quod iis forte diebus scribebatur, in epistolam, aut contra ab epistola in proœmium transfusa videantur. Mores Romanorum perditos, qui ansam civilibus bellis dederunt, poëtica facundia narrat Lucanus I, 158 sqq. A. M.

5. *Re ipsa vero.* Sch. scripsit cum edd. Fragmm. Cic. *reapse vero*, ut est de Finn. V, 10, 27; de Divin. I, 37, 81. Idem cum Villem. omisit extrema loci Augustiniani verba inde ab: *Haec Cicero.* (Vide not. seq.) Ma.

6. *Iam pridem amisimus.* Addit Augustinus: *Haec Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de republica disputare.* Augustinus C. D. II, 21. Confer etiam II, 25, 2. A. M. — *Amisimus.* Augustinus C. D. II, 16: *mala morum ita magna sunt, ut his doctissimi Romanorum viri, etiam stantibus urbibus, Resp. perire confirment.* Quis non sentit, ab Augustino spectari Ciceronis hunc locum? Frustra igitur Maurini editores, dum ad Coquaeum Vivesiumque Augustini interpretes respiciunt, in margine citant locum quemdam Plautinae Persae (IV, 4, 6 sqq.), quasi Augustinus de Plauto cogitaverit. Rerumpublicarum fortunam e morum inclinationibus pendere docet etiam Plato VIII, p. 544. Sane et Carthaginis, quo tempore a barbaris

Digitized by Google

II. . . . . regale,[1] quam explanationem aequitatis;[2] in qua iuris erat interpretatio: quod ius privati petere solebant a regibus; ob easque causas agri, arvi, et arbusti, et pascui, lati atque uberes[3] definiebantur, qui essent regii,[4] colerenturque[5] sine regum opera

eversa est, mores horribiles et probe belluinos ardentibus eloquentiae suae coloribus deformat Salvianus G. D. VIII, 16, sqq. tum romani imperii corruptelas diu exsecratus, eique exitium in fine libri ominatus, *sola nos*, ait, *morum nostrorum vitia vicerunt*. A. M.

II. 1. Supplet Maius *nihil esse tam*.

2. *Quam explanationem aequitatis*. Verba facit auctor de priscis regibus, qui iudicia per se ipsi exercebant. Loquitur autem, ut credo, Manilius, cuius si ullae fuerunt partes, qua de re dubitari nequit, eas fuisse defendendi laudandique iuris necesse est; idque se facturum Manilius ipse innuit, de Rep. I, 13. A. M.

3. *Agri, arvi, et arbusti, et pascui, lati atque uberes*. Vid. Niebuhr. in Ind. Lat. v. *arvus*. Contra quem Steinack. ad h. l. ita disputat, postquam correxit *arvis et arbustis et pascuis*: » Scriptio codicis etsi aliquo modo ferri potest, minime tamen concinna est. Ferri autem illa tum demum aliquo modo possunt, si *arvi, arbusti, pascui* altero casu dici putamus; non ut adiectiva sint: quae Niebuhrii sententia ut plurimum insolentiae habet, ita nullis similium locorum auctoritatibus confirmari potest. Praestat vero maxime tertio casu, quem restitui *arvis, arbustis, pascuis*; cuius structurae ignoratio imbecillam librarii mentem, simul in eius, quod praecessit, *agri*, et casu, et terminatione defixam transversam egit. « Quem contra monet Nieb. in libello, quem inscripsit *Duplik*, etc. pag. 17, *arvus* et *arbustus* esse adiectiva, et utrumque esse in Forcellini Lexico. Ad vocem *arvus* laudat etiam Varr. de L. L. IV, 4, ubi est in cod. Flor. *a novando novalis. Ager arvus, et arationes, ab arando*. Vtrumque adj. habet etiam Gesn. in Thes. qui ad v. *arvus* laudat Plaut. Truc. I, 2, 47, *non arvus hic, sed pascuus est ager*. Censor Ienens. (Ergbl. 1824, 41, p. 325. C. R. Th.) dicit, probavisse quidem Niebuhrium, adiectiva esse illa verba, sed nostro tamen loco ea durius posita esse, neque ad morem Ciceronis. Quae nobis quamquam vera videntur, noluimus tamen a scriptione codicis recedere, quum in re ad prisca tempora spectante uti etiam potuerit verborum formis paullo insolentioribus. Ad rem conf. Niebuhr. R. G. I, pag. 258 sqq. II, p. 350 sqq. Ma.

4. *Qui essent regii*. Cod. *regi*; sed nos cum Heinr. rescripsimus *regii*, quod praestare dativo neminem non concessurum existimo. Et solet scriptor codicis simplex *i* ponere pro duplici v. c. III, 35 extr. *idem* pro *iidem*. Ma. — Reditus nimirum gratia; namque, ut observat Plinius XVIII, 3, apud Romanos diu hoc solum vectigal fuit. Vtitur autem hoc loco Cicero formulis atque appellationibus, ut puto, censoriis. Sane de his agri nominibus conferre licet Varronem, L. L. IV, 4; Isidor. Orig. XV, 13. A. M.

5. Cod. hab. *qui colerenturque*. Vult Maius *quique colerentur*.



Digitized by Google

et labore, ut eos nulla privati negotii cura a populorum rebus abduceret. Nec vero quisquam privatus erat disceptator, aut arbiter litis: sed omnia conficiebantur iudiciis regiis.[6] Et mihi quidem videtur Numa noster maxime tenuisse hunc morem veterem Graeciae regum.[7] Nam ceteri, etsi hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt, et eorum iura coluerunt. Illa autem diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit: qui legum etiam scriptor fuisset,[8] quas scitis exstare:[9] quod quidem huius civis proprium, de quo agimus . . . . .

III. Sed tamen ut bono patrifamilias colendi, aedificandi, ratiocinandi quidam usus opus est[1] . . . . . *Nonius* IX, 5.

. . . . Scip. . . . *ra*dicum seminumque cognoscere, num te offendet?[2] — Manil. Nihil, si modo opus ex-

6. *Iudiciis regiis* Scilicet a regibus ante Servium Tullium, qui primus, servatis sibi criminibus contra remp. cetera iudicia per minores magistratus exerceri voluit. Dionys. IV, 25. A. M.

7. *Et mihi quidem . . . morem veterem Graeciae regum.* Cr. in censura huius operis (Annall. Heidelbergg. 1823, 5, p. 67) scripsit *veterum*, laudatque ad rem locum Diotogenis Pythagorei de regno apud Stobaeum, Sermon. XLVI, p. 329 sq. et Aristotelis Polit. III, 14 (c. 9, p. 125, Schneider.): οἱ βασιλεῖς . . . τὰς δίκας ἔκριναν, κ. τ. λ. Mn.

8. Cur *fuisset?* l. v. l.

9. *Quas scitis exstare.* Recole de Rep. II, 14, p. 154, n. 3. A. M.

III. 1. Fragmentum hoc a Nonio e quinto de Rep. citatum vel hic collocandum est, vel inter tertium quartumque libri caput. A. M.

2. *Num te offendet?* Videtur plena sententia fuisse: *si villicus studeat naturas radicum seminumque cognoscere, num te offendet?* Hic vero necnon in Noniano praecedente fragmento loquitur, ut censeo, Scipio cum Manilio; quorum postremus quum rectorem reip. iuberet prudentissimum iuris fieri, in eoque plurimam operam ponere, respondet Scipio, id eatenus esse faciendum, quatenus vir politicus a procuranda rep. non impediatur. Quod confirmat villici et dispensatoris exemplo, quorum neutrum impedit, quominus muneris sui fines paullo liberius egrediatur, ita tamen, ut eos a quotidiana interim villicandi et dispensandi opera cessare vetet. Ad hunc Scipionis sermonem de iure pertinent illa, quae se de hac re scripsisse in libris de Rep. ait Cicero ad Att. VI, 1, quae scilicet nos retulimus in testimoniis. A. M.

Digitized by Google

stabit. — Scip. Num id studium censes esse villici?[3] — Manil. Minime; quippe quum agri cultura saepissime opera deficiat. — Scip. Ergo ut villicus naturam agri novit, dispensator literas scit;[4] uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert: sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus cognoscendis; fontes quidem earum utique perspexerit; sed se responsitando,[5] et lectitando, et scriptitando ne impediat, ut quasi dispensare rempublicam, et in ea quodam modo villicare possit: summi[6] iuris peritissimus, sine quo iustus esse nemo potest; civilis non imperitus; sed ita, ut astrorum gubernator, physicorum medicus: uterque enim illis ad artem utitur, sed se a suo munere non impedit.[7] Illud autem videbit hic vir . . . . . .

IV. . . . . *civi*tatibus, in quibus expetunt laudem optimi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. Nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est consti-

3. *Num id studium censes esse villici?* Aptis utitur auctor similitudinibus. Nam et pro Plancio, 25: *populus romanus deligit magistratus quasi reip. villicos.* Cetera ibidem cum hoc politico loco satis consentiunt. Nonnullis praeterea scientia oeconomica, id est, dispensatoris, videtur congruere cum politica, qua super re disputat Philodemus in opere de vitiis ac virtutibus, col. 7-8, citato Theophrasti oeconomico, quod opus hactenus Aristoteli inscribebamus. Platoni quoque, Politic. pag. 259, paterfamilias videtur similis politico homini aut regnanti. A. M.

4. *Dispensator literas scit.* Idcirco Celso apud Columellam I, 8, villicus illiteratus placet, et qui saepius nummos domino, quam librum, affert.

5. *Sed se responsitando.* Vocabulum proprium respondentium de iure. A. M.

6. *Summi iuris.* Quonam pacto summum ius hic a civili distinguatur, quaerent docti leguleii. Summo quidem iure agimus, quum litem e legum formula, non ex arbitri aequitate, definiri postulamus. Cf. de Leg. I, 6.

7. *Sed se a suo munere non impedit.* Ita se gessisse Africanum nostrum diximus de Rep. I, 18, pag. 54, in notis. Sic autem iubet Polybius in praeceptis artis imperatoriae IX, 20, necnon Strabo I, p. 24. Apte vero ad hunc Tullii locum Celsus in proemio ait: *nec agricolam, nec gubernatorem disputatione, sed usu, fieri.* A. M.

tuta legibus, quam verecundia; quam natura homini dedit, quasi quemdam vituperationis non iniustae timorem. Hanc ille rector rerumpublicarum auxit opinionibus, perfecitque institutis et disciplinis, ut pudor cives non minus a delictis arceret, quam metus. Atque haec quidem ad laudem pertinent, quae dici latius uberiusque potuerunt.[1]

V. Ad vitam autem usumque vivendi ea descripta ratio est iustis nuptiis, legitimis liberis, sanctis Penatium deorum Larumque familiarium[1] sedibus, ut omnes et communibus commodis, et suis[2] uterentur; nec bene vivi sine bona republica posset, nec esse quidquam civitate bene constituta beatius. Quocirca permirum mihi videri solet, quae sit tanta doc ....

VI. Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria;[1] sic huic moderatori rei-

IV. 1. *Quae dici latius uberiusque potuerunt.* Hinc vides auctorem varias scripsisse politicae scientiae technas, quibus rector reip. uti debet. A. M.

V. 1. *Larumque familiarium.* » Cod. ait A. Maius, *Larumque familiarum*: nisi mavis *familiarium*. « Posterius necessarium est, ideoque receptum ab Heinr. Sch. St. et Lehn. Solebat enim Cicero dicere *Lar familiaris*, *Lares familiares*, numquam *Lar familiae*: vid. or. pro Quint. 27, 85; in Verr. III, 11, 27; pro Dom. 41, 108. De scriptione *Larum*, quam nunc quidem praeferendam existimo, vid. quae monui ad Cic. de Legg. II, 11, 27, pag. 237, ibique in primis Schneider. Lat. Formenl. I, p. 256: de scriptione Penatium eumdem, p. 252. Ad rem v. Creuz. Antt. Romm. p. 69, qui item scribi vult *familiarium*. Obiter moneo, *sanctis* esse i. q. *sancitis*, neque vero adiectivum. Ma.

2. *Et suis uterentur.* Id nimirum sapienter contra Platonem, qui commoda omnia fecerat communia, urget Aristoteles, Reip. II, 5, evidenter ostendens, ea partim debere esse communia, partim privata; secus nullam propemodum esse civitatem; sicuti nullus concentus erit, siquis symphoniam eo redigat, ut sit unius vocis sonus; aut sermonem numerosum, ut sit pes unus. A. M.

VI. 1. *Imperatori victoria.* Sic Diotogenes Pythagoricus in libro de regno, cuius amplum fragmentum est apud Stobaeum, lib. XLVI, p. 330: κυβερνάτα μὲν γὰρ ἔργον ἐυτὶ τὰν ναῦν σώζειν· ἀνιόχω δὲ τὸ ἅρμα· ἰατρῶ δὲ τὼς νοσίοντας· βασιλέως δὲ καὶ τῷ στρατηγῷ τὼς ἐν πολέμῳ κινδυνεύοντας. Tanta autem similitudo est reliqui ejus fragmenti cum hoc Tulliano, ut lectum arbitrer a Cicerone Diotogenem. Lactantius quoque, Inst. VII,

publicae beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Huius enim operis, maximi inter homines atque optimi, illum esse perfectorem volo. *Cicero ad Att.* VIII, 11.

...Et ubi est, quod et vestrae literae illum laudant patriae rectorem, qui populi utilitati magis consulat, quam voluntati? [2] *Augustinus*, *Epist.* CIV, 7.

... Alendus est gloria... princeps civitatis... *Augustinus*, *de Civ. Dei*, V, 13; *Io. Saresberiensis*, *Polyc.* VIII, 5; *Petrus Pictaviensis*, *Epist. ad calumn. Bibl. PP. Lugd. t.* XXII, *p.* 824.

Tum virtute, labore, industria quaereretur summi viri indoles; nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo.... *Nonius* IV, 2.

Quae virtus fortitudo vocatur; in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio. *Idem*, III, 70.

VII. Marcellus [1] ut acer et pugnax; Maximus ut consideratus et lentus..... *Idem* IV, 181.

3, imitatur de more Tullium: *tamquam dominus domum, navim gubernator, auriga currum, regit.* Vtiliter legeris, quae de gubernatore ait Socrates apud Xenoph. Memor. III, 6. Magis tamen crediderim, a Tullio rectorem suum exactum fuisse ad eam formam, quam Plato in suo politico exhibet, quem virum ipse φύλακα passim appellat. Confer etiam, quae de magistratu dicit libro Legum sexto. A. M.

2. *Quam voluntati?* Non est dubitandum, quin hoc loco Augustinus intelligat Tulliani quinti libri virum politicum. Respondet enim illa epistola Nectario ethnico, cuius literae ad Augustinum mentionem habent manifestam operis de Rep. A. M.

VII. 1. *Marcellus*, etc. Ad h. l. C. Sigonius: Diversas principum virtutes inter se comparat, atque ambas utiles esse reip. videtur innuere, ferocitatem nimirum et lentitudinem. Id quod M. Marcelli et Qu. Maximi exemplo confirmat: quorum Punico bello periculosissimo alter audacia, alter cunctatione, unde etiam Cunctatoris nomen invenit, plurimum oppressae reip. profuit. Itaque de Marcello in Bruto dixit Cicero post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam praelio populum se romanum erexisse: in Catone vero, Maxi-

Qui comperit[2] eius vim, et effrenatam illam ferociam. . . . . *Idem* VIII, 55.

Quod non modo singulis hominibus, sed potentissimis populis saepe contingit. *Idem* IV, 90.

. . . Orbi[3] terrarum comprehensos. *Carisius* I, 112.

. . . Quod molestias senectutis suae vestris familiis impertire posset. *Nonius* I, 170.

VIII. Vt Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas. . . . *Seneca apud Aulum Gellium* XII, 2.

Breviloquentiam in dicendo colat.[4] *Ibid.*

Quumque nihil tam incorruptum esse debeat in republica, quam suffragium, quam sententia; non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, poena dignus sit; qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio iudicem corrumpit; quod pecunia corrumpere

mum Annibalem iuveniliter exsultantem patientia sua mollivisse. Ma.

2. *Qui comperit*, etc. Patricius ad h. l. ita: Sic Salogae liber et aliorum. Sigonius pro *comperit*, *compescit*, et pro *illam ferociam*, *illius ferociam*. Ego haud scio an legendum sit potius *compressit* pro *comperit*, intelligendum autem vel de P. Mucio Scaevola cos. qui Ti. Graccho, trib. plebis, acriter tum in senatu, tum in concione restitit: vel potius de P. Cornelio Nasica, qui privatus eiusdem Gracchi ferocitatem manu compressit, eumque occidit. Nam de Gracchi morte in his de Rep. libris fuisse mentionem testatur lib. II, cap. 21 Civit. Dei. Ma.

3. *Orbi* in sexto casu pro *orbe* scribit Rutilius apud Charisium ibidem. Num ergo apud Ciceronem quoque loquitur hic Rutilius, cuius idcirco sermonem belle imitatur auctor? A. M.— *Orbi terrarum comprehensos*. De ablativo *orbi* vid. C. L. Schneider. Lat. Formenl. I, pag. 230. Hoc fragmentum posuit Scli. post sequens: tertium autem ab hoc ex Seneca apud Gellium omisit, quia est in fragmentis dudum editis. Ma.

VIII. 4. *Breviloquentiam in dicendo colat*. Hi loci a Seneca laudati collocantur in quinto libro propter illud fragmentum quod Nonius citat e quinto, quodque a nobis postremum ponitur, in quo fragmento sermo esse videtur de rhetoribus. De Menelai eloquentia Homerus Iliad. Γ, 213; Gellius VII, 14; Cicero Brut. 13. Eloquentia principibus maxime ornamento est (Cic. Fin. IV, 22); quare princeps reip. ea debet instrui. A. M.

Digitized by Google

prudentem nemo potest, dicendo potest.[2] *Ammianus Marcellinus* XXX, 4.

Quae quum Scipio dixisset, admodum probans Mummius (erat enim nimis odio quodam rhetorum imbutus)..... *Nonius* XII, 13.

2. *Dicendo potest.* Contra rabulas, qui captiosa eloquentia iudicibus illudunt, causasque iniquas tuentur, graves poenas decernit Plato in fine libri Legum undecimi; quem aemulari hoc loco Tullius videtur. De captiosa damnosaque eloquentia legatur Plato in Gorgia, cum Cic. de Or. II, 7, et de Invent. I, 1; Sext. Emp. contra rhet. seu lib. II; Dion. LII, 15; Pollux IV, 4, 2. Denique Quintilianus declam. CCLXVIII Tullii politicam invectionem contra eloquentiam imitari videtur aut exscribere: *civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos: sive illam Atheniensium civitatem quondam late principem intueri placeat, accisas eius vires animadvertemus vitio concionantium: sive populi romani statum excutere voluerimus, nonne gravissimas seditiones, nonne turbidissimas conciones eloquentissimus quisque habuit? Nonne illi Gracchi ad evertendam remp. his velati armis succincti accesserunt? etc.* A. M.

# SCHOLION

## LIBRI SEXTI.

Platonem, Stoicae quidem sectae principem, sex libros constituisse, qui de Republica inscribuntur, scripsit Macrobius (Cf. Macrobii Comment. in Somn. Scip. lib. I, c. 1.) Constat etiam, Ciceronem totidem de Republica volumina confecisse. Perspicuum autem est, in hoc inter se utrumque interesse. Ille enim, quemadmodum respublica gubernanda sit, praecepta tradidit. Hic vero qualiter a maioribus esset instituta, disseruit. Inter se nimirum haec est servata imitationis similitudo. In suorum namque operum extremo de animae immortalitate, de caelestibus circulis, orbibus et globis uterque disputavit, sed Plato quemdam natione Pamphylum, cui nomen Er fuerat, hac ut de re loqueretur, introduxit. Is enim, ut disertissimi Macrobii (conf. l. I. pag. 4 ed. Gronov.) plana sententia est, tot in praelio, dum pro patria pugnaret, accepit vulnera, quod cunctis exstinctus esse videbatur. Post autem duodecimum diem, dum cum aliis, una secum occisis, ultimo esset honorandus igne, ipsum de animarum aeternitate, de siderum stellarumque cursu, de globorum situ, et denique de praemiis bene de republica meritis in caelo destinatis narrantem vitae restituit Platonica persuasio.

Cicero vero, quum hoc etiam idem declaraturus esset, e somno dormientem excitari, quam vita privatum reviviscere maluit. Publium namque Scipionem assumpsit, et haec omnia, quum Carthaginem petens ad quartam legionem tribunus a Manilio tum consule destinatus apud Masinissam regem hospitatus esset, quum a patre suo Paullo Æmilio; tum abavo, maiore Africano, se per quietem habuisse simulavit. Postremi igitur libri Ciceronis de Republica pars hoc opus est; potestque iis, quae antecedentia sunt, hoc pacto subnecti. Quum Laelius, P. Scipio, Philus, Manilius et alii plures eos, qui de republica bene meriti fuerant, simul commemorarent, in Nasicae denique mentionem inciderunt, conquerebaturque Laelius, nullas ei statuas in publico in interfecti tyranni

remunerationem locatas, atque respondit Scipio post alia multa haec verba: « sed quamquam sapientibus conscientia factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus, non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus lauris, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius. Tum Scipio, Patimini me, quum iam tertium diem feriati sumus..... Tandem Laelii verbis victus Scipio sic exorsus est: Quum in Africam venissem. »

# M. T. CICERONIS

## FRAGMENTA

## EX LIBRIS DE REPVBLICA.

### EX LIBRO VI.

I.....Totam igitur exspectas prudentiam [1] huius rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. *Nonius* I, 198.

Quamobrem se comparet hic civis ita necesse est, ut sit contra haec, quae statum civitatis permovent, semper armatus. [2] *Id.* IV, 64.

Eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, [3] seditio dicitur. *Id.* I, 96; *Servius ad Aeneid.* I, 149.

Et vero in dissensione civili, quum boni plus quam

1. 1. *Totam igitur exspectas prudentiam.* Victorinus proœm. ad Cicer. rhet. ait: *virtus in Rhetoricis a Cicerone dicitur, quae sapientia, in libris vero de Rep. illa virtus dicitur, quae prudentia.* Respicit igitur Victorinus vel hunc locum; vel lib. II, 40. Augustinus autem C. D. XIX, 4, 4, hunc ipsum locum tacite spectans, scribit, *quae prudentia dicitur.* A. M.

2. *Semper armatus.* De commutationibus rerump. dicturum se Cicero promisit I, 40, itemque de conservandis civitatibus II, 39. Idem Cic. Fin. V, 4, ait, Aristotelem et Theophrastum docuisse, qualem in repub. principem esse conveniret; hoc amplius Theophrastum, quae essent in rep. inclinationes rerum, etc. En quibus exemplaribus ipse Cicero usus est. A. M.

3. *Quod seorsum eunt alii ad alios.* Forte *ab aliis.* I. V. L.

multi valent, expendendos cives, non numerandos puto. *Nonius* XII, 4.

Graves enim [4] dominae cogitationum libidines infinita quaedam cogunt atque imperant: quae quia nec expleri, nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt. *Nonius* V, 13.

II. Quod quidem eo fuit maius, quia quum causa pari collegae essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. [1] *Id.* IV, 150; *Gellius* VI, 16.

.... Qui numero [2] optimatum et principum obtulit his vocibus; et gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. *Nonius* IV, 455.

.... Vt, quemadmodum scribit ille, quotidiano [3] in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. *Id.* IX, 16.

.... In his, ut meministis, [4] concursu levissimae

4. *Graves enim*, etc. Ad hoc fragmentum C. Sigonius haec adnotavit: *Libidines prudentiae, immo vero omni virtuti atque officio, inimicas fraenandas, videtur significare. Hanc etiam quaestionem tractavit in Politicis Plutarchus, qua docuit, neminem perturbatione adduci ad rempublicam administrandam debere: quod exemplo C. Gracchi perniciosum esse et reipublicae, et rectori eius confirmat.* Mn.

II. 1. *Gracchi caritas deprecabatur.* Agitur de severis censoribus Claudio et Graccho (patre turbulentorum Gracchorum), quorum prior post magistratum quum a centuriis damnaretur, alter professus est, se in exsilium cum illo iturum; qua caritate poenam collegae a populo deprecatus est. A.M.

2. *Qui numero.* Ita Non. et edd. Cic. Victor. Car. Steph. et Sylburg. Reliquae, quae ad manum sunt, habent *numeros.* Mn.

3. *Quotidiano.* Hic ablativus pro *quotidie* alibi non legitur apud Cicer. Vid. Parei Lex. Cr. p. 1655. Mn.

4. *In his, ut meministis*, etc. Sigonius ad h. l. ita: "Exemplum hoc est honoris habiti praestanti in rep. viro mortuo, quod ab eo sancte rempubl. administratam esse populus intelligeret. Est autem honor ei similis, quo P. Valerium Poplicolam et Agrippam Menenium et Q. Fabium Rullianum, viros reip. studiosissimos et eo nomine populo iucundissimos, esse affectos accepimus. Mortuis enim illis aes populi liberalitate ad funeris magnificentiam est congestum. De cuius autem hic funere intelligat, nihil

multitudinis et aere congesto funus desubito esset ornatum. *Id.* XII, 1.

Firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt.[5] *Nonius* XI, 24; *Priscianus* XV, *p.* 1010.

Oratio exstat Laelii, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia pontificum diis immortalibus grata sint, Samiaeque, ut ibi scribit, capedines.[6] *Nonius* IV, 434.[7]

habeo comperti: de recenti quidem re loqui videtur, siquidem ait: *ut meministis.* De illis autem quum alii, tum Apuleius in Apologia prima: *Poplicola, regum exactor,* et *Agrippa, populi reconciliator, quorum funus ob tenues opes a populo romano collatis sextantibus adornatum est.*„ Patricius correxit *ni his* pro *in his.* Quid vero sibi vult in ed. Sch. correctio *aëre* pro *aere?* Villem. omisit *et* ante *aere.* Ma.

5. *Matrimonia esse voluerunt.* Augustinus de bono coniugii, cap. 7: *non licet more romano nec superducere, ut amplius haberi quam unam vivam.* A. M. — *Firmiter,* etc. De hoc loco ex censoris Lips. sententia ad lib. IV referendo monuimus ad IV, 7, et de loco seq. *Oratio exstat,* etc. vid. ann. nostram ad A. M. scholion de quarti libri fragmentis libro quarto praemissum. Sigonius ad h. l. haec: "Hoc loco nescio quomodo de iure uxorio colendo videtur egisse, ac maiorum prudentiam extulisse, qui firmiter matrimonia stabiliverint, quod a Romulo fuisse institutum docet in secundo libro Historiarum Dionysius. Adeo enim firmata inter virum et uxorem connubii iura esse ab eo scribit, ut per quingentos ac viginti annos divortium nullum Romae auditum sit; qui autem primus uxori nuntium remiserit, is se liberorum quaerendorum causa id facere, sterilitatem uxoris causatus, apud censores iuraverit. Ma.

6. *Capedines.* Vexatus in codd. Nonii locus. Verba *oratio exstat,* vel *est,* absunt a Vaticanis codd. itemque a Plantin. editione. Vox *Laeli* item corrupta est, *Ledi* et *Leni;* tres tamen codices habent *Laeli,* nullus *Laelii.* Cuncti codd. pro *simpuvia* habent *si imperia;* item pro *is scribit,* habent *ibi scribit;* quod retineo. Vnus corrupte *ibit;* alter pro *lib. VI* habet *lib. III.* Vnus denique praetermittit totum exemplum. Quaestio autem eruditorum est, num hic *Laeli* sit secundus casus an quintus. Sane secundus casus ita scribitur in antiquis codd. hic autem sermonem fieri de Laelii oratione satis arguitur e Cic. N. D. III, 2 et 17 (vid. ib. p. 560 ed. nostr. et Mos. Ca.), quibus in locis appellatur de religione nobilis et aureola Laelii oratiuncula, in qua mentio erat capeduncularum Numae. Licet autem arbitrari, Ciceronem in hoc loco politico loquutum esse copiose et pro dignitate de religione, sine qua resp. perseverare non potest. Cic. N. D. I, 2; Leg. I, 7, 21. A. M.

7. Priusquam huc veniat, Maius varia ponit fragmenta quae sequuntur:

III.... Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa

" Imitatione Platonis Cicero de Republica scribens, locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam, qui, ut ait, rogo impositus revixisset, multaque de inferis secreta narrasset, non fabulosa, ut ille, assimilatione commentus est, sed solertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans, haec quae de animae immortalitate dicerentur caeloque, somniantium philosophorum esse commenta, nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas. Insinuat, Scipionem illum, qui, Carthagine subiugata, cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni, Paulli filio, futuras a propinquis insidias et fatalis metae denuntiare curriculum, quod necessitate numerorum in vita perfectae tempora coarctetur; ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno, duobus in se coëuntibus numeris, absolutam caelo animam, unde acceperat, redditurum, etc.„ Favonius Eulogius comm. ad somn. Scip. " Nonnulli nostri, propter quoddam praeclarissimum loquendi genus, et propter nonnulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem, dicunt, eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tangit in libris de Republica Tullius, ut eum lusisse potius, quam id, quod verum esset, affirmet dicere voluisse. Inducit enim hominem revixisse, et narrasse quaedam, quae Platonicis disputationibus congruebant.„ Augustinus C. D. XXII, 28: " In hoc vel maxime operis similitudinem servavit imitatio, quod, quum Plato in voluminis (de Rep.) conclusione a quodam vitae reddito, quam reliquisse videbatur, indicari faciat, qui sit exutarum corporibus status animarum, adiecta quadam sphaerarum vel siderum non otiosa descriptione, rerum facies non dissimilis significans a Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narratur.„ Macrobius in Somn. Scip. I, 1: " Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reservans, quam ingenio, repertus est. Postquam in omni reip. otio ac negotio palmam iustitiae disputando dedit, sacras immortalium animarum sedes, et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans, quo his perveniendum, vel potius revertendum sit, qui rempublicam cum prudentia, iustitia, fortitudine ac moderatione tractaverint. Sed ille Platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio; qui, quum, vulneribus in praelio acceptis vitam effudisse visus, duodecimo die demum inter ceteros una peremptos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima, seu retenta, quidquid emensis inter utramque vitam diebus egerat viderat ve, tamquam publicum professus indicium, humano generi enuntiavit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis, quasi ipse veri conscius, doleat irrisam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans, excitari narraturum, quam reviviscere, maluit.„ Id. ib. " Ac priusquam somnii verba consulamus, enodandum nobis est, a quo genere hominum Tullius memoret vel irrisam Platonis fabulam, vel, ne sibi idem eveniat, non vereri. Nec enim his verbis vult imperitum vulgus intelligi, sed genus hominum veri ignarum, sub peritiae ostentatione philosophum: quippe quos et legisse talia, et ad

**factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium ;[1] tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes,[2] nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat.[3] —Quae tandem ista sunt? inquit Laelius.[4]**

reprehendendum animatos constaret. Dicemus igitur et quos in tantum philosophum referat quamdam censurae exercuisse levitatem, quisve eorum etiam scriptam reliquerit accusationem, etc. Epicureorum tota factio, aequo semper errore a vero devia, et illa existimans ridenda quae nesciat, sacrum volumen et augustissima irrisit naturae seria. Colotes vero inter Epicuri auditores famosior et loquacitate notabilior, etiam in librum retulit, quae de hoc amarius reprehendit. Sed cetera, quae iniuria notavit, si quidem ad somnium, de quo hic procedit sermo, non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt : illam calumniam persequemur, quae, nisi supplodatur, manebit Ciceroni cum Platone communis. Ait, a philosopho fabulam non oportuisse confingi : quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona casusque excogitata novitas, et composita advocati scena figmenti, ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt? Haec quoniam, quum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgenti, et frustra arguens refellatur, etc. „ Idem cap. 2. "Scipionem haec occasio ad narrandum somnium provocavit, quod longo tempore se testatus est silentio condidisse. Quum enim quereretur, nullas Nasicae statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in haec verba: ...Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium ; tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius? Tum Scipio, Patimini me, inquit, quoniam tertium diem iam feriati sumus... et cetera, quibus ad narrationem somnii venit, docens, illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in caelo bonis rerumpublicarum servata rectoribus. „ Idem cap. 4.

III. 1. *Virtutis est praemium.* Conf. Platonem Reip. X, p. 608; Servium Aen. I, 604. A. M.

2. *Non statuas plumbo inhaerentes.* Catoniana sententia haec est. Noluit enim Cato sibi statuam poni, quod dicebat, malle se iam quaeri, cur non, quam cur sibi statua esset posita; Plut. Reip. ger. pr. t. IX, p. 263, et Apophth. t. VI, p. 750. In eamdem fere sententiam loquitur etiam Maecenas ad Augustum apud Dionem LII, 35. Confer Catonis dictum ap. Frontonem de fer. als. II. Cur statuae poni deberent bene meritis de rep. viris exponit Symmachus ep. X, 32. A. M.

3. *Et viridiora praemiorum genera desiderat.* Intelligit immortalem bonorum vitam. Iam ad hanc perpetuam;

—Tum Scipio, Patimini me, inquit, quoniam tertium diem iam feriati sumus[5] . . . . . *Macrobius in Somn. Scip.* I, 4.

IV. Quum in Africam venissem, M'. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum; nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam convenirem, regem familiae nostrae iustis de causis amicissimum.[1] Ad quem ut veni, complexus me senex collacrymavit, aliquantoque post suspexit in caelum; et, « Grates, inquit, tibi ago, summe sol, vobisque, reliqui caelites,[2] quod, antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor: ita num-

quam ipse hoc in libro tuitus erat, bonorum vitam respicit Cicero ad Att. X, 8, quum ait: *tempus est, nos de illa perpetua iam, non de hac exigua, vita cogitare.* Praeterea quod Lactantius dicit Inst. III, 12, de immortalitate, nempe ipsam solam summum esse bonum, id fortasse ex hoc sexto libro sumitur. A. M.

4. *Inquit Laelius.* Platonica admiratio sive interrogatio, quae fit Resp. X, p. 608, a Glaucone, ante quam Socrates disputationem ingrediatur de immortalitate animorum. A. M.

5. *Quoniam tertium diem iam feriati sumus.* Feriis nimirum Latinis; itaque proprie loquitur. A. M.

IV. 1. *De causis amicissimum.* Quia scilicet Masinissa ab Africano superiore in regnum fuerat restitutus, adiecta partim ditione Syphacis App. Pun. 32. Ter autem ad Masinissam ivisse Scipio videtur; primum missus a Lucullo, cuius erat in Celtiberia legatus, ad petendos elephantos et auxilia, App. Pun. 71, et Val. M. V, 2 ext. 4. Iterum, ut hic in somnio dicitur, Tertio, moriente iam Masinissa, ad eius regnum inter filios dividendum; quamquam fata Masinissae videntur Scipionis adventum praeoccupavisse, Valer. Maxim. loco praedicto. Malim tamen credere unum esse secundum tertiumque adventum; Ciceronis autem Valeriique narrationes paullulum variare. Ma.

2. *Reliqui caelites.* Ad v. *reliqui caelites*, i. e. stellae, planetae in primis, conferri potest Lactant. II, 5: *Sed quid mirum, si aut barbari, aut imperiti homines errant, quum etiam ipsi philosophi Stoici in eadem sint opinione, ut omnia caelestia, quae moventur, in deorum numero habenda esse censeant; siquidem Lucilius Stoicus apud Ciceronem sic loquitur* (de N. D. II, 21, 54): *Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quae quum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere.* A. M.

quam ex animo meo discedit [3] illius optimi atque invictissimi viri memoria.» Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra republica percunctatus est; multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, [4] quum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset.

V. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via, [1] et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus loquuti: fit enim fere, ut cogitationes [2] sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, [3] de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui) Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine eius, quam ex ipso, erat notior: [4] quem ut

3. *Ex animo meo discedit.* Ed. Asc. 1, et, ut annotavit Verb., codd. nonnulli *discessit.* Pith. *recedit.* Quod ait A. M. lectionem Graevianam *descendit* habere quodammodo patrocinium Virgilianum Ecl. I, 64, de eo patrocinio ipse viderit: nobis certe nullum plane videtur. Mn.

4. *In multam noctem produximus.* Locum citat Fronto exempl. eloc. voc. *in noctem.* A. M.

V. 1. *Me et de via.* Quod post *et* interposuit A. Maius post alios *fessum*, id abest et ab aliis codd. et a nostris, itemque ab edd. Asc. 1 (ubi etiam omittitur *et*), Ven. Grut. Verb. Ern. Heinr. Goëz. Sch. eamque vocem iam abesse volebat Lamb. Ad eam defendendam laudant Acadd. I, 1: *nisi de via fessus esset.* Hotting. recte monet *de via* esse i. q. *propter viam.* Mn.

2. *Vt cogitationes*, etc. Ad rem convenit Cic. de Div. II, 62: *Animus... quum languore corporis nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta, ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitarit.* Ed. Ald. habet *cogitatione.* Mn.

3. *Quale de Homero scribit Ennius.* Narrat hoc Cicer. Acadd. IV, 46, ex Ennio laudans versus partem *visus Homerus adesse poëta*, quem versum integrum ex principio Annalium Ennii laudat vetus scholiasta ad Horat. Epist. II, 1, 52: *In somnis mihi visus Homerus adesse poëta.* Vocem *videlicet* omittunt codd. Cr. et Vff. itemque ed. Ven. Mn.

4. *Erat notior.* Africanus minor

agnovi, equidem cohorrui; [5] sed ille, « Ades, inquit, animo,[6] et omitte timorem, Scipio, et quae dicam, [7] trade memoriae.

VI. Videsne illam urbem, quae parere populo romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere (ostendebat autem Carthaginem de excelso, et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco [1]), ad quam tu oppugnandam nunc venis paene [2] miles? Hanc hoc biennio consul [3] evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Quum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris [4] legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Grae-

natus creditur eodem anno, quo superior mortuus est. De anno illo loquitur Cato coram Scipione minore apud Tullium de Sen. 6; controversiam autem versat Pighius ad ann. V. 568 (Varr. 569). Sane minor Africanus natus erat ipso anno Varr. 569, si quidem is mortuus est anno 625, anno aetatis suae LVI. A. M.

5. *Equidem cohorrui.* Africanum commoveri solitum imaginibus maiorum visis ait Sallustius Iug. cap. 4. Ceterum hic agitur de viso. A. M.

6. *Animo.* Ad v. *ades... animo* laudat Ochsn. l. c. Or. pro Milon. 2: *Quam ob rem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite.* Mn.

7. *Et quae dicam.* Quonam pacto animae corporibus exutae loquantur, curiose edisserit Proclus, cuius prolixa verba hic quidem praetermittere necesse est; ceterum ea neque ingrata, neque inutilia forent scholasticis theologis, qui caelestem conversationem ac veluti colloquium animarum edisserere laborant. A. M.

VI. 1. *Et claro quodam loco.* Intelligendum esse circulum lacteum, ex quo loquitur Africanus, monet P. Ramus. Mn.

2. *Paene miles* dicit, quia in militia primus *honoris* gradus erat tribunatus militum. Mn.

3. *Hanc hoc biennio consul. Consulem*, ait Sigonius, accipio pro eo, qui consulare imperium habeat. Nam Scipio consul fuit biennio post ille quidem, sed non biennio post Carthaginem evertit, verum triennio, et quidem pro consule, ut in commentariis fastorum demonstratum est (p. 356 sqq. ed. H. Steph.). Mn.

4. *Et obieris legatus.* Ad h. l. Car. Sigonius: Satis constat, P. Scipionem legatum cum Sp. Mummio et L. Metello ad regum et civitatum et gentium animos perspiciendos esse missum, ut scriptum reliquit Iustin. lib. XXXVIII. Obiisse autem hanc eum legationem ante censuram, duabus rationibus adducor, ut credam; primum Ciceronis ipsius auctoritate, qui in Lucullo ait: *P. Africani historiae loquuntur in legatione illa nobili, quam ante censuram*

ciam [5] deligere iterum cos. [6] absens, bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes. Sed quum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam quum aetas tua se-

*obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse;* deinde verisimili coniectura. Non enim L. Metellum, virum consularem, ei adiunxissent, quum moris esset, uni consulari legato duos non consulares adiungere. At si post censuram misissent, L. Metellum, iam consularem, non addidissent. Hoc autem idcirco dico, ne quis temere Valerio assentiatur, qui lib. IV, cap. 3, Scipionem scribit post duos consulatus et duos triumphos hoc legationis officio esse functum. Nam quod hoc in loco Ciceronis censuram legationi praeferat, id orationis commoditas videtur vel defendere posse, vel excusare. Ochsn. ad h. l. ait, sive Cic. in hac divinatione praepostera ab ordine temporum aliquantum recessisse, sive eum loqui de posteriore quadam legatione, neque de ea, cuius mentio fit Acadd. II, 2, videlicet a.V. c. 610, quum censor fuerit a. V. c. 612. De tertia legatione loqui Plutarchum Apophth. reg. et duc. p. 200, E; et de legatione post duos consulatus totidemque triumphos Valerium M. IV, 3, 13. Ma.

5. *Graeciam.* Atqui Cic. Acad. IV, 2, Scipionem obivisse nobilem illam legationem ante censuram scribit, quod eius μνημονικὸν ἁμάρτημα iam diu coarguisse sibi videtur A. Bendinellius ad Africani vitam loc. Controv. 14, quia ceteri historici eumdem temporum sequuntur ordinem, quem nunc Cicero in Somnio. Sed en rursus alia erroris refutatio, quod nempe Scipio in hoc opere lib. III, 35, nuper (ergo post censuram) se fuisse Rhodi cum Mummio dicit; quod dictum mire congruit cum Simsonii sententia (vid. ej. Chronicon t. VI, p. 24 ed. Oxon.), qui Scipionis legationem in annum 624 coniicit. Recurrit ergo Pighii opinio, quam supra III, 35, laudavimus de triplici Scipionis legatione. A. M.

6. *Deligere iterum consul absens.* Edd. Asc. 2, Crat. Herw. Car. Steph. Ald. Ven. Tig. Lamb. Plant. Boul. Sylb. Sturm. Lugd. Wolf. Gothofr. Bern. habent *absens consul.* Expone, ait Sig. *absentem* i. e. *non petentem.* Sic enim saepe Dionysium et Livium loquutum esse ostendi in Scholiis Livianis. Qui enim dici potest Scipio tum abfuisse, quum certum sit ex Valerii l. VIII, c. 20, quaestoriis comitiis, quum Quirini fratris filium in campum deduxisset, consulem eum esse factum? Laelius quidem etiam apud Ciceronem in dialogo de Amicitia, c. 3, Scipionem numquam petiisse consulatum confirmat. Cf. Liv. Epitom. lib. LVI, Ernest. Cl. Cic. Delectus fuit videlicet consul ad conficiendum bellum Numantinum. Vid. Appian. Hisp. 76-78; Flor. II, 18 ib. intt. Videlicet hoc factum est quarto decimo post deletam Carthaginem anno. Ma.

ptenos octies solis anfractus reditusque [7] converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, [8] circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur; tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, [9] si impias propinquorum manus effugeris.»

Hic quum exclamasset Laelius, ingemuissentque ceteri vehementius, leniter arridens Scipio, —Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, et parum rebus; [10] audite cetera.

7. *Solis anfractus reditusque.* Solis anfractum, ait Vinetus, et reditum annum vocat; *anfractum* propter zodiaci obliqui circuli ambitum, quem sol 365 diebus cum quadrante confecit, quod tempus annum vocant: reditum vero, ait Macrobius, quia eadem signa per annos singulos certa lege sol metitur. Sed de universo loco consulendus Macrobius in Somn. Scip. I, 5 sq. Cic. de N. D. II, 40: *Sol... modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit.* Ma.

8. *Habetur.* Septenarius dicitur plenus ob eius praestantiam ap. Veteres celebratam; octonarius, quia par. A. M. — *Quorum uterque plenus.* Cod. Vff. *quorum uterque alter altera de causa plenus habetur.* Longa est et contorta huius loci apud Macrobium l. c. explicatio. Nos nonnisi duo Platonis loca ex Timaeo adscribemus, nam Platonicus est locus, p. 39 Steph. p. 39 Bekk. Εστι δ' ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι δυνατὸν, ὡς ὃ γε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε, ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχη σχῇ κεφαλὴν τῷ τοῦ ταὐτοῦ καὶ ὁμοίως ἰόντος ἀναμετρηθέντα κύκλῳ. Et paullo superius: μεὶς δὲ ἐπειδὰν σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον ἥλιον ἐπικαταλάβῃ. Videlicet septenarium plenum dicit ambitu lunae, quae fit quater septenis fere diebus, ut octonarium perfecto orbium motu, vel quia absolvit numerum caelorum, qui moventur, qui octo sunt, quia absolutus perfectusque annus tunc denique completur, quum se octo illi ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt. Ma.

9. *Dictator Rempublicam constituas oportet.* Scipionis ambitionem notat Cicero Off. I, 30. A. M.

10. Admisit Mos. coniecturam *et rumpatis visum*, qui haec ad h. l.: *et rumpatis visum. Audite cetera.* Hanc ego Heinrichii amplexus sum coniecturam, quamquam non satis intelligo, quomodo, si ita scripsit Cicero, oriri potuerit lectio codd. antiquorum *et parum rebus*, vel recentiorum *et*

Digitized by Google

VII. « Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservarint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur. Harum rectores et conservatores hinc profecti,[1] huc revertuntur.[2] »

*pax sit rebus.* Priorem habent ex nostris libris cod. Mon. edd. Lamb. Plant. Verb. Wolf. Ern. Sch. Reliqui habent posteriorem, nisi quod Goëz. suam coniecturam: *et pares sitis rebus*, parum illam probabilem, in contexta recepit, Lehnerus vero Buherii coniecturam, quam A. Maius Niebuhrii esse ait, *et parumper audite cetera*, ut est Tusc. V, 24, *isque animo parumper et cogitatione fingatur*. Lamb. existimabat *parum rebus* esse: parum rebus temporis tribuite: qua ellipsi nihil esset durius. Hieron. Wolf. *pax sit rebus* explicat: pacati estote et missam facite sollicitudinem vestram: vel: quidquid erit, bene vertat, vel, εὐφημία ἔστω. Neque vero ei satisfacit lectio. Gronovius coniecit: *et, per avum, de his audite cetera*. Grutero placebat *pax sit rebus*, quod legit etiam Th. Gaza, ut videmus ex versione eius graeca. Sed recte monet Goëz. illam scriptionem bibliorum versioni vulgatae, neque vero Cic. convenire. Graevius coniecit: ...*excitetis*: *pax!*... *verum audite cetera*: quod comoediae potius conveniret, et est ap. Plautum Mil. Glor. III, 1, et Terent. Heaut. IV, 3. Clericus neminem assentientem habuit coniiciens, de arte Crit. II, p. 340, *ne me e somno excitetis his pavoribus*: neque magis Heumannus, corrigens: *his clamoribus*. Sch. ait: "mihi dubium non est, quin vera lectio sit: *pax sit rebus*, h. e. *omittite res ipsas*, nisi forte malis: *parcite rebus*, ut dicitur *parce verbis*.„ Nobis illud valde dubium est, hoc non malumus. *Rumpere somnos* dixit Lucanus III, 25; quidni Cicero in extrema hac operis parte, quae habet colorem poëticum, poëtice loqui potuerit dicens *rumpere visum?* Quid? quod ipse color poëticus sive correctioni, sive corruptioni ansam dare potuit? Ma.

VII. 1. *Hinc profecti*: Ad rem haec adnotavit Gerh. Vossius: Cicero cum Platone sentiens dicit omnes eos, qui rebus publicis bene praefuerint, post suum ex hac vita discessum, recta in caelum, veluti domicilium germanamque suam patriam, redire, ex qua in hoc orbis theatrum, tamquam in exsilium, missi sunt. Est siquidem animorum origo caelestis (secundum illos) non ex terra, quos procreator ille mundi (ut dicit Cicero) e sua mente et divinitate genuit. Hoc ipsum et Tusc. Quaest. V sensisse videtur, dum ait 13-38: *Humanus... animus decerptus ex mente divina, cum alio nullo, nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest, etc.* Ma.

2. *Huc revertuntur*, Hunc locum le-

Hic ego, etsi eram perterritus non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveretne ipse, et Paullus pater, et alii, quos nos exstinctos arbitraremur. « Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt; [3] vestra vero quae dicitur vita, mors est: [4] quin tu adspicias ad te venientem [5] Paul-

gebat Nectarius, uti constat ex eius epistola inter Augustinianas 103, qua in epistola non semel Ciceronem de Rep. exprimit. Sic igitur Nectarius: *De patria bene meritis viris doctissimi homines ferunt, post obitum corporis in caelo domicilium praeparari, ut promotio quaedam ad supernam patriam praestetur his hominibus, qui bene de genitalibus urbibus meruerunt: et hi magis cum Deo habitent, qui salutem dedisse aut consiliis, aut operibus patriae docceantur.* A. M.

3. *Evolaverunt.* Ad rem faciunt quae ad h. l. annotaverunt Olivarius et Vinetus: quorum ille: Haec sunt plane Socratica. Ipse Socrates in Phaedone Platonis, bibiturus cicutam, inter alia, quae de anima disputavit, illud adduxit, corpus animi esse carcerem: agere in eo animum dixit non sponte, sed vi quadam: non esse locum illum animi naturalem, sed puriorem, videlicet caelum; mortem solutionem esse a corpore et reditum ad caelestia. (Sed Platonis de anima sententiam omnium optime explicavit Wyttenbachius in disp. de vett. philoss. sentt. de vita et statu animorum post mort. corp. pag. 44-58, vel in ej. ed. Phaedonis, pag. 15-48). Hic: Seneca ad Helv.: *Corpusculum hoc, custodia et vinculum animi, huc atque illuc iactatur.* Cicero autem haec hausit ex Socrate Platonico, cui corpus δίσημα appellatur et δισμοτήριον. Sunt vero, qui putent, δῆμας (corpus) ex eo esse dictum, quod sit δεσμός, i. e. vinculum animi, corporique quod sit συνδεδεμένη ψυχή. Neque multum abiit etymologia, cuius meminit Eustathius ad Il. VII, δῆμας δῶμα quoddam esse animi. Quod autem corpus Graecis dicitur σῶμα id Socrates in Cratylo et Gorgia dictum putat, quasi animi σῆμα, i. e. monumentum atque sepulchrum. Alii ibidem σῶμα dictum aiunt ἀπὸ τοῦ σώζεσθαι, quod servetur (custodiatur) animus in corpore, sicut maleficus in carcere et vinculis, donec debitas poenas persolverit. Inde ab h. l. usque fere ad finem capitis interrumpitur cod. Cr. nam excidit folium unum. Pro *evolaverunt* ed. Ven. habet *evolavere*. Ma. — Consentit cum de Sen. cap. 21 sqq.

4. *Mors est.* His verbis libere utitur Augustinus C. D. XII, 20, XIII, 10. Rem iuxta erroneam quorumdam sententiam explicat Macrob. ad Som. I, 10. Conferatur Cicero apud Augustinum lib. V, ff. 78, contra Iul. Pelag. Item de Sen. 21. Tum Plutarchus consol. ad Ap. tom. VI, pag. 437 sqq. denique Lactantius Inst. III, 18. A. M.

5. *Quin tu adspicias ad te venientem.* Quo pacto venientem? Proclus cum Porphyrio lucem sit esse vehiculum animarum. A. M.

Digitized by Google

lum patrem. » Quem ubi vidi, equidem vim lacrymarum profudi; ille autem me complexus, atque osculans, flere prohibebat.

VIII. Atque ego ut primum, fletu represso, loqui posse coepi, « Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris, quin hinc ad vos venire propero? [1] » — «Non est ita, inquit ille: nisi Deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, [2] istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. [3] Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium [4] vides, quae terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis; quae globosae et rotundae, [5] divinis animatae mentibus, circos suos or-

VIII. 1. *Quin hinc ad vos venire propero?* Notissima est Stoicorum sententia, qua statuebant sapientem aliquando, εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ e vita posse decedere, immo debere. V. Lips. Manuduct. ad Stoic. Philos. III, 22, p. 808-813, ed. Opp. Vesal. tom. IV. Ad verba convenit Horat. Od. II, 17, 6: *Ah! te meae si partem animae rapit Maturior vis, quid moror altera?* Ad rem conf. quae praeter Lipsium congessit Gatak. ad Anton. III, 1, p. 62 sq. ed. Traj. 1697, f. m. Ma. — Quamlibet animam flagrare cupiditate conscendendi ad illa superiora, ait apud Proclum oraculi cuiusdam auctoritas: Πάσας μὲν γὰρ ἔχει γλυκερὸς πόθος, ὥσκειν Ολυμπον Αθανάτοισι θεοῖσι συνέμπορον αἰὲν ἔχωσιν· Οὐ πάσαις δὲ θέμις ἐπιβήμεναι τῶνδε μελάτρων, κ. τ. λ. A. M.

2. *Quod conspicis, istis te corporis*, etc. Confer de Rep. lib. I, 13, III, 9. Lege Macrobium ad Somn. I, 14. A. M.

3. *Huc tibi aditus patere non potest.* Contra eos qui mortem sibi consciscunt invehitur Servius Aen. XII, 603, cum Virgilio, pontificalibus libris, Cassio Hemina et Varrone; Macrobius autem ad Somn. I, 13, cum Platone atque Plotino. Lege etiam M. Aurelium de vita sua III, 5, et Lactant. Inst. III, 18. A. M.

4. *Quem in hoc templo medium.* Ed. Rob. Steph. *in hoc templo medio.* Ven. *in medio hoc templo.* Idem aliis verbis dixit Tusc. I, 28: *globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco.* Infra cap. 18 est: *terra... complexu medium mundi locum.* A. M.

5. *Quae globosae et rotundae.* Ed. Asc. 1, *rotundae et globosae.* Ad rem P. Ramus haec: Stellas globosas esse Aristoteles existimat, tum quia nusquam progrediantur, nec aliam idcirco

besque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum[6] assignatum a Deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole, et pietatem; quae quum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in caelum, et in hunc coetum[7] eorum, qui iam vixerunt,[8] et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides.»

IX. Erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens,[1] quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis:[2] ex quo omnia

formam requirant: tum quia veri simile sit, lunae reliquas stellas forma similes esse. Stoici eadem ratione tributam sideribus istam formam crediderunt, ut II de N. D. Cicero, qua mundo universo: quia nil sit ea figura pulchrius, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque nil asperitatis habeat, nil offensionis, nil incisum angulis, nil anfractibus, nil eminens, nil lacunosum, c. 18-17. De stellarum divinitate, quas h. l. *divinis animatas mentibus* dicit, vid. Cic. de N. D. II, 15, ib. interprr. Mr.

6. *Ne munus humanum.* Cic. de Sen. 21: *Nam dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur.* Fragm. Hortens. Ed. Ern. min. pag. 1182, Sch. p. 111: *magna spes est... si hoc, quod sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore.* Mr.

7. *Et in hunc coetum.* De animarum coetu seu panegyri Proclus: τίς οὖν πανήγυρις ἐν ταύταις; ἡ πανήγυρις τὰς ἐκ τοῦ παντὸς αὐτῶν φοιτήσεις, εἰς τὴν κοινὴν χώραν τὴν ἑστίαν τῆς γεννήσεως παρίστησιν. Tum multis interiectis disputat de mutua animarum agnitione et visu. A. M.

8. *Qui iam vixerunt.* Formula Romana de iis, qui exstincti sunt. Lege Plutarchum in Cicerone, c. 22. A. M.

IX. 1. *Inter flammas circus elucens. Flammae* sunt sidera. Ad rem faciunt, quae Manilius I, 756 sqq. de via lactea canit: *An fortes animae, dignataque nomina caelo Corporibus resoluta suis terraeque remissa Huc migrant ex orbe, suumque habitantia caelum Aethereos vivunt amos, mundoque fruuntur?* Mr.

2. *Orbem lacteum nuncupatis.* "Sciendum est (inquit Macrobius ad Somn. I, 4) quod locus, in quo sibi esse videtur Scipio per quietem, lacteus circulus est, qui galaxias vocatur.„ Quid ita? quia scilicet Veteres putabant somnia habitare in galaxia.

Digitized by Google

mihi contemplanti, praeclara cetera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas numquam ex hoc loco vidimus; et eae magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus: ex quibus erat illa minima, quae ultima caelo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Iam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, poeniteret. [3]

X. Quam quum magis intuerer, « Quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? nonne adspicis, quae in templa veneris? Novem tibi [1] orbibus, vel potius globis connexa sunt omnia: quorum unus est caelestis, extimus, [2] qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, [3] arcens et

Praeclaram de hac re doctrinam tradit Proclus: δῆμον δὲ ὀνείρων, ὡς φησὶν ἐκεῖνος (Homerus), τὸν γαλαξίαν· καὶ γὰρ τὸν Πυθαγόραν δι' ἀπορρήτων ᾄδην τὸν γαλαξίαν καὶ τόπον ψυχῶν ἀποκαλεῖν, ὡς ἐκεῖ συναθροιζομένων· διὸ παράτισιν ἔθνεσι γάλα σπένδεσθαι τοῖς θεοῖς τοῖς τῶν ψυχῶν καθαρταῖς· καὶ τῶν πεσουσῶν εἰς γένεσιν εἶναι γάλα τὴν πρώτην τροφήν. Cum Proclo consentit partim Macrobius ad Somn. I, 12. A. M.

3. *Poeniteret.* Hoc sensu, ut sit i. q. puderet, usus est hoc verbo Noster et alibi et Philippic. I, 13-33: *Num huiusce... te... gloriae poenitebat?*

X. 1. *Novem tibi orbibus.* Facile quidem careat oratio dativo *tibi*. Ponitur autem, ut *mihi* in Parad. V, 2: *an ille mihi liber, cui mulier imperat?* Qua de re vide praecipientem Ruddimann. Inst. Gr. Lat. II, p. 127 et 370. Quos intelligat novem orbes graphice (sit venia verbo) depictos vide in Macrobii editione Bipontina, t. I, ad p. 106; conf. Cic. de N. D. I, 13-34. Pro *connexa* in aliis est *convexa*. Mn.

2. *Caelestis, extimus.* Cic. de Div. II, 43-91: *Docet enim ratio mathematicorum, quanta humilitate Luna feratur, Terram paene contingens, quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo distet a Sole, cuius lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria intervalla, infinita et immensa, a Sole ad Martis, inde ad Iovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad caelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est.* Mn.

3. *Summus ipse deus.* Laudant ad h. l. Hotting. et Ochsn. Ciceronem de N. D. II, 25; II, 22; II, 40; Acad. IV, 41; de Divin. I, 11; Herodot. I, 81. Adde de N. D. I, 13-34: *Vnum, qui ex omnibus sideribus, quae infixa caelo sunt, ex disperis quasi membris simplex sit putandus deus*; ib. 14-37:

continens ceteros; in quo infixi sunt illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni; cui subiecti sunt septem,[4] qui versantur retro, contrario motu, atque caelum. Ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant; deinde est hominum generi prosperus et salutaris[5] ille fulgor, qui dicitur Iovis; tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis; deinde subter mediam fere regionem sol obtinet,[6] dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret[7] et compleat. Hunc ut comites consequuntur alter Veneris,[8]

*Cleanthes autem... tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum, atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat.* Quod autem Cicero novem orbes dicit, quum octo plerumque apud Veteres esse dicantur, ideo dicere potuit, quod addidit *globis*, eorumque nonum Terram intelligit. Mn.

4. *Cui subiecti sunt septem.* Ad rem conferri potest Ovid. Metamorph. II, 70 sqq. *Adde, quod assidua rapitur vertigine caelum, Sideraque alta trahit celerique volumine torquet. Nitor in adversum: nec me, qui cetera, vincit Impetus: et rapido contrarius evehor orbi.* Mn.

5. *Prosperus et salutaris.* Locum e sexto de Rep. citat Priscianus lib. VI, p. 693. Cur autem salutaris Iupiter in ethnicorum theologia? quia lucis videlicet auctor, unde ei nomen Diespiter. Lege Macrobium Sat. I, 15, et ad Somn. I, 19. A. M.

6. *Regionem sol obtinet.* Proclus: Καίτοι γε οἶδα καὶ αὐτὸς ὅτι καὶ τοῖς μέσον τῶν ἑπτὰ τὸν ἥλιον εἰποῦσιν ἀστρονόμοις, οὐ πάνυ δι' ἀναγκαίων τοῦτο δέδεικται λημμάτων· ὅπως δὲ ὅλως ἐπεχείρησαν, εἴπομεν ἐν τοῖς εἰς Τίμαιον ἱκανῶς. (Dissentit quippe Cicero a Platone in stellarum ordine, uti loquitur Macrobius ad Somn. I, 19). Pergit Proclus dicere, priori sententiae favere Chaldaeos libros que theurgos et divina oracula, cum Platone autem consentire Aristotelem et Calippum astronomum. A. M.

7. *Vt cuncta sua luce illustret.* Mos. conj. *collustret*, qui haec ad h. l. Ita dedi cum Heinr. ex coniectura Lambini. Dicit enim Cic. de N. D. II, 36-92: *Sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior atque amplior quam terra universa*: de Div. II, 43-91: ... *Luna... distet a Sole, cuius lumine collustrari putatur*: de Divin. I, 11-17: *Iupiter... totum collustrat lumine mundum.* Codd. nostri et edd. veteres cum Bern. habent *lustret*, reliquae inde a Grutgriana *illustret*, quod etiam Lamb. in cod. vet. reperit. In ed. Asc. 1 est *compleat et lustret.* Mn.

8. *Alter Veneris.* De Veneris ma-

alter Mercurii cursus; in infimoque orbe luna, [9] radiis solis accensa, convertitur. Infra autem iam nihil est, nisi mortale et caducum, praeter animos generi hominum munere deorum datos; supra lunam sunt aeterna omnia: nam ea, quae est media et nona tellus, neque movetur, [10] et infima est, et in eam feruntur omnia suo nutu pondera. »

XI. Quae quum intuerer stupens, ut me recepi, « Quid? hic, inquam, qui est, qui complet aures meas, tantus et tam dulcis sonus? [1] » — « Hic est, inquit ille, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione [2] distinctis, impulsu et motu

gnitudine errorem memorat Proclus cum historico Carpo τόνγε τῆς Ἀφροδίτης τινὲς μείζονα φασὶν εἶναι τῆς γῆς, ὡς ἱστόρησεν ὁ Κάρπος. A. M.

9. *In infimoque orbe luna.* Lunam fontem naturae omnis dicit Proclus: εἰ δὲ καὶ προσεχῶς εἰς τὴν σεληνιακὴν ἀνήρτηται σφαῖραν, ἐν ᾗ τῆς γενέσεως αἰτίαι πᾶσης. A. M.

10. *Neque movetur, et infima est, et in eam*, etc. Memorabilis est Ciceronis locus Acadd. II, 39, quem iam laudavit Vinetus, tempore Copernici: *Nicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, stellas, superaque denique omnia stare censet, neque, praeter terram, rem ullam in mundo moveri: quae quum circa axem summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae, si, stante terra, caelum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paullo obscurius.* Pro *est media* cod. Vff. *media est.* Mn.

XI. 1. *Et tam dulcis sonus.* Haec sunt a Platone, Reip. X, p. 617, qui in sphaeris Sirenas collocat canentes, itemque Parcas illarum concentui respondentes. Proclus toto caelo Musas cantantes exhibet, Μουσῶν δὲ τὸν ὅλον οὐρανὸν συνεχουσῶν, συμφωνίαν εἶναι τῶν ἐναντίων κινήσεως, καὶ ὁμολογεῖν τῇ ἑτέρᾳ τὴν ἑτέραν. Hinc Apollo, sive sol medio caelo situs, merito Musagetes appellatus est. Significat autem haec harmonia concordiam politicam, quod et Proclus innuit, et noster Cicero, lib. II, 42, eodem exemplo utitur. De siderum musica ratione Pythagoras apud Plinium II, 22; apud Censorinum, cap. 13, et denique apud Cassiodorum, de Art. liberal. cap. 5. — Conf. Cic. de Nat. D. II, 46, 119: *Quarum* (stellarum) *tantus est concentus ex dissimillimis motibus*, etc. Macrobius pro *coniunctus* legebat *disiunctus*. Ed. Asc. 1 habet *coniunctis*. Mn.

2. *Sed tamen pro rata portione.* Mos. *pro rata parte, ratione dist.* qui haec ad h. l. lta dedimus cum Heinr. ex Macrobio, codd. Cr. Vff. ( nisi quod in hoc est *rara* ) Mon. ( nisi quod hic habet *partium* ) edd. Venet. Asc. 1 Bip. Ernest. Sch. Sed Sturn. et Goez. ut cod. Mon. *pro rata partium ratione*: in reliquis est *pro rata portione dist.* Ad nostram lectionem

ipsorum orbium [3] conficitur; qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt, et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille caeli stellifer cursus, cuius conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono; gravissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra, nona, immobilis manens, ima sede semper haeret, complexa medium mundi locum.[4] Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, [5] septem efficiunt distinctos in-

monet Ern. « Hoc sine dubio vitiosum est: in corrigendo non consentiunt viri docti: mihi videtur excidisse *et*. Pro *rata parte* idem est ac pro portione, ut Tuscul. I, 39; sed idem est *ratione rata*: itaque legendum: *pro rata parte et ratione*. Lehnero quoque ea lectio, quam nos recepimus, vitiosa visa est. Vtrique respondeat Gronovius: Quid, quaeso, inquit, in his verbis potest agnosci corruptum? Mihi quidem haec lectio contigit in omnibus codicibus, non modo in hoc somnio, sed etiam in Macrobio (in Somn. Scip. II, 4) videre. An non egregie dicit, esse quidem haec intervalla imparia, sed non indigeste et incondite sic variata, verum distincta *pro rata parte*; neque id quoque sic obvenisse temere, sed *ratione*, certe illas ratas partes separatas tam accurate, ut ratio et res exigeret? » — C. Lang. in cod. vet. reperit *pro partium ratione distincti*, idque probat. Mn.

3. *Impulsu et motu ipsorum orbium*. Vinetus ad hunc locum ita: Plato X de Rep. singulis orbibus singulas Sirenas insidere dixit, quae cum suis orbibus simul versentur et canant. Alii Sirenas istas non audiverunt, neque volunt orbium esse istum sonitum, sed astrorum ipsorum, quae in orbibus infixa convertuntur. Vide Arist. II de Caelo, cap. 9; Plin. Hist. Nat. II, 3. Mn.

4. *Mundi locum*. Locum hunc e sexto de Rep. citat Boethius de musica, I, 27. M.

5. *Vis est duorum*. Erasm. Rot. ad h. l. haec: Qui addiderunt *Mercurii et Veneris*, videntur terrae quoque dedisse suum sonum. Quamquam totum hoc de concentu orbium commentum dictu iucundius est; quam vero similius. De terra certe non sensit Cicero, quam unam facit immobilem, docens reliquorum orbium sonos ex agitatione motuque cieri. Hoc isti parum animadvertentes, ne sint soni novem, eamdem vocem tribuerunt Veneri et Mercurio, quod in organis musicis aliquoties fit, ut duae chordae reddant eumdem sonum. Iam quod Cicero loquitur de septenario, quum orbes sint octo, bifariam potest explicari. Primum ut summa acuta et ima gravis accipiantur pro eadem, propter summam consonantiam, veluti fit in Magade

Digitized by Google

tervallis sonos: qui numerus rerum omnium fere nodus est. [6] Quod docti homines nervis imitati atque cantibus,[7] aperuere sibi reditum in hunc locum: sicut alii, qui praestantibus ingeniis in vita humana divina studia coluerunt. Hoc sonitu oppletae aures hominum

(instrumento musico viginti chordarum. Vid. Schn. Lex. Gr. v. μάγαδις). Deinde ut in Ciceronis sermone *septem* referamus non ad sonos, sed ad intervalla, efficiunt sonos distinctos septem intervallis. Siquidem in διὰ πασῶν octo quidem voces sunt, sed intervalla nonnisi septem. Porro, quod M. Tullius ait eamdem esse vim *modorum* in illis octo, non sentit, omnes idem sonare, sed ad harmoniam absolvendam pariter agere. In quo differunt omnes a terra, cui talis vis non adest. Quid autem sequutus Theodorus verterit διττὴ, non satis queo divinare, nisi forte sensit de duplici motu sphaerarum, non de sonis. Quamquam in his quid attinet torqueri, quum ipse sermo graecus non satis cohaereat. Et fieri potest, ut Theodorus aliud scripserit, quam legimus. Si tollantur ea verba, quae satis apparet ab erudito quopiam addita, demonstravimus nihil esse scrupuli. Haec Erasmus. Lehnerus item abesse mavult verba *M.* et *V.* dicens malle se cum Graevio ad *duorum* intelligere *sonorum acuti et gravis*. Gruterus autem recepit illa nomina, obsequutus sum, dicens, Palatino sic habenti. Eiiciunt alii *Mercurii et Veneris*, quae ex aliquot MSS. nostris absunt. Sed non video cur haberi debeant pro glossa. Sine eis enim locus omnibus est obscurissimus, nisi astronomis. Recentius vulgati praeferunt *duorum Mercurii et Veneris modorum*, sed ea postrema vox abest et nostris, et Gulielmianis omnibus. Eum ego cum Ochsn. sequendum esse existimavi. Mn.

6. *Omnium fere nodus est.* In edd. nonnullis legitur *modus est*. Lectionem *nodus* planissime confirmat locus Macrobii in Somn. Scip. I, 6: *Haec eo dicta sunt, ut aperta ratione constaret, neque planitiem sine tribus, neque soliditatem sine quatuor posse vinciri. Ergo septenarius numerus geminam vim obtinet vinciendi, quia ambae partes eius vincula prima sortitae sunt, ternarius cum una medietate, quaternarius cum duabus. Hinc in alio loco eiusdem somnii Cicero de septenario dicit: qui numerus rerum omnium fere nodus est.* Mn. — Locum hunc, vel in praecedentibus similem, se legisse demonstrat Hieronymus, ep. XLVIII, 19, ubi ait: *An forsitan Pythagoram et Archytam Tarentinum, et Publium Scipionem in sexto de Rep. de impari numero proferam disputantes?* A. M.

7. *Quod docti homines nervis imitati atque cantibus.* Cod. VII. *imitati nervis*. Orpheum et Amphionem h. l. intelligi recte monet Hotting. ad h. l. ad quem Vinetus haec annotavit: Quintil. I, 10: *Claros nomine sapientiae viros nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, quum Pythagoras atque eum sequuti acceptam sine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipsum eius ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata.* A septem chordarum numero ἑπτάχορος

obsurduerunt; nec est ullus hebetior sensus in vobis: sicut ubi Nilus ad illa, [8] quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem adversum nequitis, eiusque radiis acies vestra sensusque vincitur.» Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem.

XII. Tum Africanus, « Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quae si tibi parva, ut est, ita videtur, [1] haec caelestia sem-

δον Graeci dixerint instrumentum musicum, cuius inventor videsis an sit Mercurius apud Lucianum, an Apollo apud Macrobium, Saturn. I, an Terpander apud Severinum l. de music. Veteres hoc heptacordo usi sunt, ut video, et animadverterunt Argivi ac Lacones in eos, qui alios nervos addiderunt. Ob id enim Lacones Timotheum musicum exegerunt, teste Severino et Plutarcho de Musica et Lacon. Apophth. (Conf. Cicer. de Legg. II, 15, 39, ib. ann. p. 279, 658, ed. nostr. et Cr.) Macrobius et Severinus putant isto septenario chordarum numero septem planetarum motus intellexisse priscos. Africanus septem sonos octo orbium accipit. Ma.

8. *Sicut ubi Nilus ad illa.* Ad rem facit, quem laudat Hotting. Seneca; Nat. Quaest. IV, 2, ubi est: *Nilus.... Aethiopiam arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, praelabitur. Excipiunt eum Cataractae, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas exeisasque pluribus locis rupes Nilus insurgit et vires suas concitat... Tandemque eluctatus obstantia in vastam altitudinem subito destitutus cadit cum ingenti circumiacentium regionum strepitu. Quem perferre gens ibi a Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, et ob hoc sedibus ad quietiora translatis.* Add. Ammian. Marcellin. XXII, 34, 36; Plin. Histor. Nat. V, 9; Vitruv. VIII, 2; Herod. II, 17. Ma. — Ante oculos habuit hunc locum Poggius Florentinus in Epistola de balneis prope Thuregum, fol. 69, edit. Argent. 1510, ubi de cataracta Rheni prope Scaphusiam loquens, Tum mihi, ait, venit in mentem eorum, quae feruntur de Nili descensu tam praecipiti. Nec mirum accolas circum vicinos propter illius strepitum ac fragorem fieri surdos putari, etc. Cr.

XII. 1. *Quae si tibi parva, ut est, ita videtur.* In hanc sententiam disputat Plinius, Histor. Natur. II, 68, pag. 107 Hard. ubi postquam dixit, terram caeli punctum esse, ita pergit: *Haec est materia gloriae nostrae, haec sedes: hic honores gerimus, hic exer-*

per spectato; illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum,[2] aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris et angustis in locis:[3] et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interiectas: hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos[4] stare vobis: a quibus exspectare gloriam certe nullam potestis.

XIII. Cernis autem eamdem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis; e quibus

*cemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuamur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque caedibus laxiorem facimus terram. Et, ut publicos gentium furores transeam, haec, in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo adfodimus; ut qui latissime rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? vel quam ad mensuram avaritiae suae propagaverit, quam tandem eius portionem defunctus obtineat?* In cod. Vff. est: *parva ita ut est videtur.* Mn.

2. *Tu enim quam celebritatem sermonis hominum.* Ad h. l. Patricius, Vereor, inquit, demendo. Legendum fortassis primum: *Ibi enim quam celebritatem.* Deinde: *sermonibus hominum.* Nisi forte totum sic legendum est: *Quam enim tu celebritatem sermonibus hominum, etc.* Sed his non opus est mutationibus. Ad seqq. *quam exp. gloriam* Lambinus: Nihil muto, neque quidquam immutatum est in cod. Memmiano, cum trib. cod. antiquis comparato, quamvis Langius ediderit *quam expetendo.* Ego *quam* cum accentu lego, pro *quam valde* seu *quantopere.* Vinetus autem sic explicat locum: *Quam, o Aemiliane, potes consequi gloriam, quae digna sit, quae expetatur?* Tum cod. Mon. habet *consequi gloriam.* Ad sententiam conf. Acadd. IV, 41, 127: *cogitantes .... supera atque caelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus.* Mn.

3. *Et angustis in locis.* Confer Senecam, Quaest. Natur. praef. ubi est: *nec potest ante contemnere porticus et lacunaria ebore fulgentia et tonsiles silvas et derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, et terrarum orbem superne despiciens, angustum, et magna ex parte opertum mari, etiam qua exstat, late squalidum et aut ustum, aut rigentem etc.* A.M.

4. *Obliquos,.. aversos,... adversos...* Pro *aversos* est *transversos* in codd. nostris, et edd. Venet. Asc. 1. Marg. Tig. Plant. Sylb. Marg. Boul. Wolf *Versos* scribitur in edd. Asc. 2, Crat. Herw. Sturm. Lugd. *traversos* edidit Lamb. *Transversos* reperit etiam Car. Stephan. in cod. veter. Gruterus ait in uno Palatino non esse verba *partim aversos.* Mn.

duos [1] maxime inter se diversos,[2] et caeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides; medium autem illum, et maximum, solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus; hic autem alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior,[3] parva quaedam insula est,[4] circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine quam sit parvus, vides. Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnatare? Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis, ultimis aut aquilonis austrive partibus, tuum nomen audiet? Quibus amputatis, cernis profecto,[5] quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam loquentur diu?

XIII. 1. *E quibus duos.* Frigidas intelligit zonas. De zona frigida et torrida, utraque a Veteribus inhabitabili credita, vid. interprr. ad Horat. I, 22, 17-12, et ad Virg. Georg. I, 233. Ma.

2. *Inter se diversos. Diversus* Ciceroni saepius est i. q. *oppositus* vel *contrarius*; veluti de Lege Agr. II, 32, 87: *Corinthus.... duo maria, maxime navigationi diversa.... coniungebat.* Or. pro lege Manil. 4, 9. Ma.

3. *Angusta verticibus, lateribus latior. Verticibus* ad longitudinem, quam dicimus, *lateribus* ad latitudinem terrarum spectat; illam quidem ab aequatore polum versus, hanc ab oriente ad occidentem et v. v. intelligit. Ma.

4. *Insula est.* Ad hunc vocis *insulae* usum conf. Cicero de N. D. II, 86: *Sin autem his consulunt (dii), qui quasi magnam quamdam insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus; etiam illis consulunt, qui partes eius insulae tenent, Europam, Asiam, Africam.* Ma.

5. *Cernis profecto.* Commode laudat Oschn. ad h. l. Sen. Epist. XCI, 17: *Alexander Macedonum rex discere geometriam, infelix! coeperat, scituras, quam pusilla terra esset, ex qua*

XIV. Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscuiusque nostrum a patribus accepta posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque [1] terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, [2] non modo aeternam, [3] sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, quum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt viri.

XV. Quum praesertim apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni [1] memoriam consequi possit. Homines enim [2] popula-

*minimum occupaverat. Ita dico, infelix, ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se gerere nomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* Mr.

XIV. 1. *Tamen propter eluviones exustionesque.* Ad vv. *eluviones exustionesque* Hotting. laudat Senecam, de Consol. ad Marc. cap. 26, et Ochsnerus, Cicer. de N. D. II, 46; Ovid. Met. I, 256 sqq. Tu vero conf. instar omnium Iac. Thomasii Exercitationem de Stoica mundi exustione, p. 1-22, praemissam eiusdem Dissertt. ad Histor. Stoicae Philosophiae. Lips. 1682, in-4. De κατακλυσμῷ et ἐκπυρώσει ex Stoicorum sententia vide etiam disputantem I. Lipsium Physiolog. Stoic. II, Diss. XXI-XXIII, p. 953-992, ed. Opp. Lipsii Vesal. tom. IV. In primis hic conferri potest Polyb. VI, 5, 5: Οταν ἡ διὰ κατακλυσμούς, ἡ διὰ λοιμικὰς περιστάσεις, ἡ δι' ἀφορίας καρπῶν, ἢ δι' ἄλλας τοιαύτας αἰτίας φθορὰ γένηται τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους... οἷας ἤδη γεγονέναι παρειλήφαμεν, καὶ πάλιν πολλάκις ἔσεσθαι ὁ λόγος αἱρεῖ. Quem locum laudavit Lehn. Cod. VII. habet *tanto tempore necesse est.* Mr.

2. *Necesse est.* Haec item sunt a Platone. Conf. Euseb. praefat. ad I Chron. A. M.

3. *Non modo aeternam, sed ne diuturnam quidem, etc.* Ita ex omnibus libris nostris nonnisi cod. Mon. edd. Grut. Verb. Ernest. Sch. A. Mai: Lehn. Heinr. Reliqui omnes et scripti et editi *non modo non.* Qua de re accuratius praecepimus supra ad lib. II, 15. Mr.

XV. 1. *Nemo unius anni.* Sch. ad h. l. recte monet, intelligendum esse *magni illius anni* memoriam, quem paullo post ait *vere vertentem annum* appellari posse, in quo vix dicere audeat, quam multa saecula hominum teneantur. Huc vero pertinet locus Ciceronis ex Hortensio, p. 1176 edit. Ern. min. p. 104 ed. Sch. *annum magnum esse voluerunt omnibus planetis in eumdem recurrentibus locum, quod fit post XII millia nongentos quinquaginta quatuor annos.* Mr.

2. *Homines enim populariter.* In ed.

riter annum tantummodo solis, id est, unius astri reditu metiuntur: quum autem ad idem,[3] unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eamdemque totius caeli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus[4] appellari potest; in quo,

Asc. 1 est *Homines autem* omisso *populariter*: in cod. Vff. scribitur, *Homines enim loquuntur annum*, etc. Turnebus coniecit *ioculariter*, quod receptum est in edd. Lambin. Plant. Wolf. In nonnullis libris est *loquelariter*, quod defendere studebat Gruterus. Cui Sch. obloquens, » Quidquid, ait, dicat Gruterus, lectio *loquelariter* prorsus inepta est, et *populariter* unice verum, quod idem est ac *communi hominum usu*, quibus verbis de eadem re utitur Macrobius in Somn. Scip. II, 11, ubi h. l. tractat; q. v. « Lectionem *ioculariter* equidem non ineptam dixerim, sed aptam nequaquam. Cic. de Legg. I, 6, 19: *quoniam in populari ratione... nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit*: de Finib. II, 6, 17: *rhetoricam... necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem.* Ma.

3. *Quum autem ad idem.* Vinetus ad h. l. ita: *ad idem* est εἰς τὸ αὐτὸ Graecorum, significatque ad eamdem partem, locum, punctum (caput, principium, signum O). Huius autem alterius anni multi meminerunt, quem magnum vocant, Macrobius mundanum. Stoicis apud Cicer. II de Natur. Deor. (20, 51): *Quarum ex* (pessimo operarum errore in mea edit. min. p. 440, expressum est *est*) *disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, quum solis et lunae, et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. Quae quam longa sit, magna est quaestio.* Tacitus in dialogo de Oratoribus, cap. 16; Serv. ad Aen. I, v. 273, ad Aen. III, vers. 284; Censorin. de Die natali, cap. 18. Ma.

4. *Tum ille vere vertens annus.* Vocem *vere* omittunt codd. Cr. et Vff. et ed. Ven. Vinetus ad h. l. haec: *Vertens annus* Censorino est annus solis dierum 365, et sex fere horarum, ut et Cicer. de N. D. II, (20) *anno fere vertente signiferum lustrat orbem*, de stella Mercurii. Et in literis Marci Antonii, Philipp. 13: *Appartuisse numen deorum intra finem anni vertentis.* Qui ideo *vertens annus* dictus est, eodem Censorino et Macrobio auctore, quod id sit temporis spatium, quod peragitur, dum sol ad id signum denuo vertit, ex quo digressus est. Verum non solum *annus*, sed et *mensis vertens* dicebatur. Plautus, Persa: *numquam hercle hunc mensem vertentem, credo, servibit tibi.* Vitruv. IX: *Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens, transit. Ita duodecim signorum intervalla pervagando, quum redit ad id signum unde coeperit, perficit spatium vertentis anni.* Sed dies quoque, qui perpetuo revertuntur, vertentes appellavit Ausonius de nominibus dierum: *Nomina quae septem vertentibus apta diebus Annus habet, totidem errantes fecere planetae.* Africanus vero censet, annum magnum dici rectius annum vertentem, tam-

vix dicere audeo, quam multa saecula hominum teneantur. Namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est, quum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit; ita quandoque eadem parte sol, eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellisque revocatis, expletum annum habeto: huius quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conversam. [5]

XVI. Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, [1] in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris; quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem et aeternam domum contueri; neque te sermonibus vulgi dederis, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum; suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur,

quam verum et plenum, quam qui annus vulgo appellatur, unius astri reditus: quum hic omnium astrorum cursus sit perfectus. Mn.

5. *Scito esse conversam.* Annus mundanus complectitur popularium annorum quindecim millia, ut physici aiunt apud Macrobium ad Somn. II, 11. Is nunc incipere fingitur a Romuli obitu, a quo ad somnium Scipionis sunt anni quingenti et septuaginta tres; quae nondum est pars vigesima praedicti anni mundani. A.M.

XVI. 1. *Si reditum in hunc locum desperaveris.* Servavi lectionem librorum tantum non omnium (nam nonnisi edd. Herw. et Goth. habent *speraveris*), quamquam eam probare nullo modo possum. Supra dixit, eos re vera vivere, qui ex corporis vinculis in caelum, quasi patriam suam, evolaverint: neque quidquam dubitans Scipio minor responderat: *quid moror in terris?* Eum nos nunc credamus a Scipione maiore ita existimari immutatum, ut desperet reditum in locum eum caelestem? Sed *speraveris* non correxerim, nam inde vix, si hoc fuisset a Cicerone scriptum, corruptio orta fuisset. Proclive item est corrigere *non desperaveris*: sed si *non* Ciceronis esset, cur vel ultima eius vestigia evanuissent in libris veteribus? Equidem suspicor scriptum fuisse TVTESPERAVERIS (*tute speraveris*). Quod si aliquando casu excidit *tu*, facillime et necessario, ut videri poterat, ex *tesperaveris* fieri potuit *desperaveris*: cuius quidem lectionis explicationes varias, contortas fere omnes, quum neque ad sensum, neque ad linguae leges satisfacere vi-

ipsi[2] videant; sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides; nec umquam de ullo perennis fuit; et obruitur hominum interitu; et oblivione posteritatis exstinguitur.»

XVII. Quae quum dixisset, «Ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patriis, et tuis, decori vestro non defui; nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo vigilantius.»—Et ille «Tu vero enitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc:[1] nec enim tu es, quem forma ista declarat; sed mens cuiusque, is est quisque;[2] non ea figura, quae digito demonstrari

deantur, omittere satius est visum. Noster vero non semel *tute* scripsit pro *tu*: v. c. de Orat. I, 22, 99: *ut tute paullo ante dixisti*: Epp. ad Att. XIV, 17: *quemadmodum tute scribebas*. Mr.

2. *Ipsi videant*. Hac constructione saepius usus est Noster; bis in eadem periodo de Orat. I, 58, 246: *Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant: quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant; deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, etc.* Mr.

XVII. 1. *Sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc*. Ad sententiam comparat Ochsn. Tusc. I, 22: *neque nos corpora sumus: neque ego tibi haec dicens, corpori tuo dico*. Mr.

2. *Sed mens cuiusque, is est quisque*. Vinetus ad h. l. haec: Socrates apud Platonem Alcibiadi suo probat, hominem neque solum corpus esse, nec simul corpus cum mente, sed solum mentem. Idem in Axiocho postquam, inquit, soluta semel compage, mens in propriam suam sedem restituta fuerit, relictum corpus, quod terrenum est, et rationis expers, non est, quod dicitur, homo: ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχή, ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ. Arnobius adv. Gentes, II, dictam Ciceroni animam mentem appellans: *Porro autem, inquit, conspicimus homines, id est, animas ipsas (quid enim sumus homines, nisi animae corporibus illigatae?) etc.* Lactantius eius, ut audio, discipulus, Inst. Div. II: *Hoc enim, quod oculis subiectum est, non homo, sed hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi, neque adspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc, quod videtur.* M. autem Varro apud Augustinum, de Civ. Dei XIX, cap. 3, nec animam solum, nec solum corpus hominem esse arbitrabatur. Mr.

potest. Deum te igitur scito esse;[3] siquidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, et moderatur, et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus: et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

XVIII. Nam quod semper movetur,[1] aeternum est.[2] Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde,[3] quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod sese movet, quia numquam deseritur a se,[4] numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est mo-

3. *Deum te igitur scito esse.* Conf. Ciceronem, Tusc. I, 23, 25. Sunt autem ea, quae sequuntur, de animi immortalitate e Platonis Phaedro, ut docet ipse Cicero, Tuscul. I, 22, quem locum ego posui in testimoniis n. 16.

XVIII. 1. *Nam quod semper movetur* etc. De hoc loco ex Phaedro Platonis, pag. 245 Steph. pag. 28 sq. Bekk. expresso, accurate egit Muretus Varr. Lectt. VIII, 3, pag. 174-176, tom. II opp. ed. Ruhnken. quod caput ad calcem huius operis describi curavimus. Totum autem hunc Platonis locum repetiit Cic. in Tusc. I, 23, 53-55, paucissimis vel nullis potius factis mutationibus; quare et haec loca sibi invicem ad emendandum inservire possunt, et, qui in Tusculanas scripserunt commentarios, iidem nostro loco et corrigendo, et interpretando adhibendi. Primum autem huc esse positum locum, ipse eo loco testatur Cicero dicens: *ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita est in sexto libro de Republica.* Mox cod. Cr. habet *aufert* pro *affert.* Mn.

2. *Aeternum est.* Exprimit hunc locum Lactantius, Inst. VII, 8, et de Op. dei 17. A. M.

3. *Quodque ipsum agitatur aliunde.* Commode adhibet Ochsn. locum de N. D. II, 12, 32, ubi est: *Audiamus enim Platonem, quasi quemdam deum philosophorum: cui duo placet esse motus, unum suum, alterum externum: esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hisque principium motus esse ductum putat.* Mn.

4. *Quia numquam deseritur a se.* Ita dixit de Senect. 21, 78, p. 449 ed. Gernh. q. v. *quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus.* Mn.

vendi.[5] Principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam: nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit; si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori; vel concidat omne caelum, omnisque natura[6] consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, quae a primo impulsa[7] moveatur. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem animal est, id motu cietur interiore, et suo: nam haec est natura propria animi,[8] atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque nata certe est, et aeterna est.

5. *Principium est movendi.* Gerundium passive positum rarioris est usus, neque vero reprobandum. Laudant Hott. et Ochsn. Iustinum XVII, 3; Sallust. Iug. cap. 62, ib. Cort. Ruhnk. ad Velleium Paterc. II, 15; Corn. Nep. Att. 9, 2, *spes restituendi*: ubi vid. Stav. p. 261 ed. Bardil. His adde ex Cicerone de Senectute 23, 34: *Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit.* Acadd. II, 31, 101: *multa... non... habere insignem illam et propriam perspiendi notam.* Mn.

6. *Omnisque natura consistat necesse est.* Codd. Cr. et Mon. *natura et consistat*, et ita exhibent edd. Ven. Wolf. Verh. Ern. Bip. Goëz. Sch. In ed. Plant. est *omnique terra et consistat nec. est.* Idem locus in Tusc. a F. A. Wolfio editus est *omnisque terra consistat n. e.* a Davisio *omnisque terra et cons. nec. est*, a Verh. et Camerar. *omnisque natura cons. nec. est.* Videlicet si legis apud Plat. πᾶσαν τε γῆν scribendum erit *terra*; si cum Bekkero ex multis codd. legis γένεσιν, scribes, quod est in optimis antiquissimisque libris et legit etiam Gaza, *natura*. Quod autem dedit Bekk. ex codd. id iamdudum corrigendum esse coniecerat Vinetus in annot. ad h. l. Vid. etiam h. l. annot. Davisii in Tusc. l. c. In cod. Mon. verbo *necesse* superscriptum est *principium*. Mn.

7. *Impulsa.* Dedit *impulsu* Moser.

8. *Nam haec est natura propria animi.* Tusc. habent *propria natura*,

Digitized by Google

XIX. Hanc tu exerce in optimis rebus: sunt autem optimae curae, de salute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus, velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit:[1] idque ocyus faciet, si iam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras,[2] et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur;[3] nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeculis,[4] revertuntur.[5] »

et ita cod. Mon. In ed. Herw. est *proprie*. Habent *propria natura* etiam edd. Wolf. et Plant. Tum plurimi libri pro *animi* contra usum Ciceronis habent *animae*; Cic. enim non solet ponere *animam* pro *animo*. Habent autem probam lectionem Tusc. et codd. nostri, itemque edd. Ven. Ern. Bip. Goëz. Sch. A. Mai. Heinr. Lehn. Verum iam Vinetus vidit, qui ita ad h. l. *Animi* non *animae* antiqui codices, etiam ii, in quibus *anima* pro *animal* scriptum fuerat. (Eo loco Vrsinus ex MS. praeferebat *animans*). Quum enim *animam* vulgo dicimus, quaerunt sermonis latini studiosi, an aliter appellarit Cicero, quam *mentem* et *animum* secunda inflexione. Quae autem sequuntur feminina vocabula, *quae, una, nata, aeterna*, est *vis*, quae illis genere concordet, neque inepte, puto, natura et vis animi aeterna dicta fuerit, pro ipso animo aeterno. Mn.

XIX. 1. *Velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit.* Ad rem facit locus ex Hortensio Ciceronis, quem servavit Augustinus lib. XIV, c. ult. Trin. ed. Schütz. p. 111, ed. Ern. min. pag. 1182: *aut si, ut antiquis philosophis, hisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus: sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis atque erroribus, hoc illis faciliorem adscensum et reditum in caelum fore.* Mn.

2. *Eminebit foras.* Ita supra III, 7: *Iustitia foras spectat et projecta tota est atque eminet.* Mn.

3. *Corporibus elapsi circum terram ips. volutantur.* Nescio quomodo me male habet hoc *circum terram volutari.* Equidem nihil muto in omnium librorum consensu; sed ut fatear, quod est, velim reperiri in aliquo libro *volitant* et *vagantur*, quae iunxit Auctor ad Herenn. IV, 39, 51. Neque aliud quid suadet locus Lactantii, quem laudat Ochsn. Inst. II, 2, 6: *Vulgus existimat, animas circa tumulos et corporum suorum reliquias oberrare.* Sed manum inhibet Plato, ab eodem

## Ille discessit; ego somno solutus sum.

laudatus, in Phaedone, pag. 81, c. ἡ τοιαύτη ψυχὴ ... περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη: ubi vid. Fischer. p. 340; Heindorf. p. 110, et in primis Wittenbach. pag. 209 sq. qui legit καλινδουμένη. Mn.

4. *Exagitati saeculis.* Commode adhibet Ochsn. Tusc. I, 30: *iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum.* Ed. Ven. habet *exagitatis.* In ed. Asc. 1 scribitur *saeclis*, pro quo cod. Mon. a sec. m. egregie habet *periculis.* De animarum reditu et universe de earum migratione vid. Creuzeri Symb. et Myth. tom. III, p. 424 sqq. Epitom. nostr. p. 670 sqq. Mn.

5. *Revertuntur.* Locum hunc respicit, seu potius emendat, Lactantius Inst. VIII, 10 et 20. Proclus, seu Plato, animas bonorum in easdis vagari facit, malorum autem in terris, vel sub terris, mille annis donec iterum (qui est solemnis error παλιγγενίσιως) ad nativitatis λειμῶνα revocentur, de quo Empedocles apud eumdem Proclum ἔνθα κότος τε φόνος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κλήρων. (Ita scripsit A. Maius. Sed Sturzius in Empedocleis: ἔνθα φόνος τε κότος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κηρῶν. Vid. pag. 515, v. 19, et annotatt. p. 542 sq. Mn.) De millenario temporis spatio sic Proclus: ἔοικεν ἡ χιλιὰς χρόνος εἶναί τις περιοδικὸς ἀπὸ γενέσεως ἐπὶ γένεσιν ἄγων τὰς ψυχάς, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸ τῆς τελείας ἀποκαταστάσεως, κ. τ. λ. A. M. — *Ego somno solutus sum.* Post somnium narratum, statim fere dialogum absolutum fuisse arbitror, paucis verbis adiectis. Sic enim et Plato post Eris fabulam confestim opus concludit. A. Maius. — *Ego somno solutus sum.* Totum hoc *Somnium Scipionis*, quo per tot saeculorum decursum innumeri viri docti animum mentemque, ut vero Ciceronis fragmento, exhilararunt et paverunt, nuper fuisse impugnatum ab Henr. Kunhardto, Lubecensi (in Seebodii libro menstruo, qui inscribitur: *Kritische Bibliotek für das Schul- und - Unterrichtswesen* 1820, p. 474-482, 558-565, 649-653, 1000-1007), sciunt, ut opinor, ii, quibus tales res curae cordique sunt. Sed nondum, quod equidem sciam, extitit, qui illius viri rationes sive probaret, sive reprobaret publice. Alterutrum ego meum munus esse existimans iam proposueram animo, Excursum addere, eumque longiorem, quo, quae ille posuisset, examini subiicerem. Sed mox abieci hoc consilium, quum viderem, in illam scriptionem ne id quidem cadere, quod de alia quadam dixit aliquando Wittenbachius: *dum lego, assentio; quum librum de manibus depono, nescio quomodo tota illa assensio dilabitur.* Quamquam enim inscripsit libellum suum: *De Somnio Scipionis aut subiecto, aut Ciceronе indigno*, probatumque ivit, *aut nullam, aut certe minimam huius opusculi partem, Ciceronis calamo esse exaratam, sed rhetorem aliquem non optimae indolis, quam in fragmentorum fine deprehenderit lacunam, pro sui ingenii modulo explesse*, quamquam denique eos tantum defensuros libellum existimare videtur, *qui vel obstinato animo veritati repugnent, vel ad sentiendam elegantioris orationis venustatem paullo sint hebetiores*: ego tamen dicere audeo, rationibus talibus, quales attulit, eodem iure cuiusvis veteris scriptoris libros impugnari posse. Quae enim dicit absurda, partim ipsi tantummodo, neque aliis hominibus absurda videbuntur (veluti

cap. 3 init.), partim non recte intellexit (v. c. cap. 2): quae vix latina, vel plane non latina esse dicit, ea vel proba sunt, vel, si paullo insolentiora, tamen non sine exemplo, vel excusantur stylo paullo sublimiori, vel denique facillima emendatione integritati restituuntur. Et si qua sunt, quae vel probari, vel excusari nequeant, quae vel nulla, vel paucissima esse contendo; ea non sunt eiusmodi, ut Ciceronis esse non possint. Quis quaeso umquam illos de Natura deorum libros Ciceroni abiudicare ausus est? Et insunt tamen, quae eodem iure vituperare possis, quo K. vituperavit haud pauca. Veluti, quae inest in libro II, operosa mundi et naturae, et corporum humanorum descriptio, nonne nimis longa, taediosa et a librorum istorum proposito aliena videri potest? Sed nemo inde iure haec non Ciceronis esse dixerit. In iis, quae parum sibi intellecta vituperat K. in primis est caput 5, et idem fere de capite 6 dixerim. Quia enim parum perspectas habet veterum de sphaerarum, quam dicunt, harmonia et de zonis sententias, de quarum veritate iam non quaerimus, absurda vel contorta dicit ea, quae Cicero disputat. Denique (taedet enim singula pertractare) quod ad sermonem attinet, per singulas commentarii nostri partes, non nominato adversario, satis, ut opinor, demonstravi, eum optime cum reliquorum Ciceronis librorum sermone convenire. Quid? quod ipse K. totum fere caput primum, itemque octavum nonumque intacta reliquit, videlicet quae colorem habeant satis Ciceronianum. Sed missum faciamus hoc criticae, quam dicunt, superioris specimen, cuius infirmitatem utinam mox repertus plenior horum librorum codex manu scriptus illius scriptionis auctori melius, quam omnia argumenta, demonstret! Ms.

# FRAGMENTA

..... A qua isti avocant[1] ..... *Fronto*, *voc.* Avocat.

Vitam Lugeo. *Id. voc.* doleo.

Idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret.[2] *Nonius* IV, 232.

Nitito. *Diomedes* I, *p.* 330.

Excellunt. *Idem*, *ibid. p.* 371.

. . . . . *Nec doctissimis,*
*M'. Persium haec legere nolo, Iunium Congrum volo.*
*Plin. N. H. Praef.*

Et quamquam optatissimum est, perpetuo fortunam quam florentissimam permanere; illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum quum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. *Ammianus Marc.* XV, 5.[3]

1. *A qua isti avocant.* Puta: *a qua rep. administranda isti Epicurei viros sapientes avocant.* Ideoque fragmentum videtur pertinere ad operis exordium. A. M.

2. *Sed etiam cogeret.* Num pertinet ad primam operis lacunam, ubi auctor loquutus fuerat de laboribus, quos reip. causa clari homines pertulerunt usque ad devexam senectutem, quamvis natura ad quietem non invitaret solum, sed etiam cogeret? A. M.

3. Hunc locum a Tullio se sumere diserte ait Ammianus; opus tamen silet, unde haurit. Videtur autem id frustum aptissime quadrare ad secundam primi de Rep. libri lacunam ante caput 1, in qua Tullius de suo cala-

Aliud civitas non est, quam concors hominum multitudo.[4] *Augustinus*, *de Civ. Dei* I, 15.

Hercules, qui ob virtutem clarissimus, et quasi Africanus inter deos habetur . . . . . [5] *Lactantius*, *Inst.* I, 9.

*Si fas endo plagas caelestum escendere cuiquam,*
*Mi soli caeli maxima porta patet.*

Est vero, inquit, Africane; nam et Herculi eadem ipsa porta patuit. *Seneca Epist.* 108; *Lactantius* I, 18.[6]

..... Foedifragos Afros.[7] *Interpres Cruquianus ad Horatium*, *Od.* IV, 8, 17.

mitoso exsilio deque felici reditu in patriam loquutus fuerat. Et quidem locus haud valde absimilis, aliis licet verbis, exstat apud Ciceronem (nimirum in orationibus spuriis. Mn.) post red. ad Quir. 1, et ad Pontif. 32. Verumtamen Ammianus videtur omnino Ciceronem exscribere ad verbum. Ammiano autem innotuisse opus de Rep. constat e testimoniis. A. M.

4. *Quam concors hominum multitudo.* Num haec verba pertinent ad lacunam libri I, post caput 25? Num potius sunt verba Augustini? A. M.

5. *Ob virtutem clarissimus, et quasi Africanus inter deos habetur.* De Hercule in caelum recepto recole omnino Ciceronis fragmentum politicum ap. Lactantium I, 18, a me in testimoniis positum, n. 30. Commoda autem est Servii observatio ad G. I, 34, nempe Scorpii signum credi supra Romam positum, Herculemque ivisse ad deos per signum Scorpii. Ergo eadem via Africanus et Hercules (ut ait loco citato Cicero) iverunt in caelum; quamquam Africanus quidem minor Romae, sed maior in Campania exstinctus est. Cicero etiam Tusc. IV, 22, commemorato Africano, addit Herculem sublatum fuisse sua fortitudine in caelum. A. M.—Collocandum est hoc frustum in libro III, 28, ante locum de Herculis et Romuli apotheosi. Videntur enim Laelii verba Scipioni amico blandientis. Certe ea melius huic dialogo de Rep. quam Lactantii oratione conveniunt, apud quem mihi saue videtur tropus audacior, si forte ab eo procuditur. A. M.

6. Haec a versibus Ennii hucusque omisit Maius. I. V. L.

7. *Foedifragos Afros.* Dialogorum Tullianorum nomine libros fere de Rep. intelligi, saepe a me dictum est. Et quidem Horatius atque eius interpres ibi loquuntur de Carthaginis eversore Scipione. Etsi autem Cicero Off. I, 12, dicit *Poenos foedifragos*, opus quidem de Officiis caret dialogo,

**Fanni, causa difficilis laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.**[8] *Servius ad Aen.* VI, 877.

tum varietas est *Poenos* pro *Afros*: quare vel locus alius videtur, vel certe, quod valde suspicor, pro *in dialogis* interpres dicere debuit *in officiis*. A. M.

8. *Sed spes est.* Hunc locum citant, praeter Servium, etiam Hieronymus epp. CXXVIII, CXXX, et Quintilianus Inst. IX, 3, ff. 319: sed ille quidem libere, hic autem perverse et brevius, *non enim tam spes laudanda, quam res est.* Locum vero pertinere ad libros de Republ. qui κατ' ἐξοχὴν *dialogi* dicuntur, probabiliter demonstrat Schottus nod. Cic. III, 5, consentiuntque Vallarsius ad Hieronymum, et Burmannus ad Quintilianum. Quod autem Schottus verba haec pertinuisse putat ad eam operis partem, in qua de educatione actum fuit, id mihi secus videtur, praesertim quia diei secundi dialogo Fannius non interfuit. Meam igitur mihi liceat coniecturam exponere. Videntur mihi verba haec Scaevolae colloquentis cum Fannio laudantisque indolem Crassi, qui fuit ipsius Scaevolae gener (Cic. de Or. I, 7), quique tantus orator evasit. Id autem fieri non potuit nisi fere in quinto libro, tertio die, quum artis oratoriae mentio fuit. Iam, si recta coniectura est, imitatio Platonis fit, qui quasi in extrema pagina Phaedri laudandum a Socrate adolescentem Isocratem curat, cuius rei ipse Cicero meminit Or. cap. 13, et de Opt. Gen. Or. 6. Quin adeo idem Cicero in fine dialogorum de Oratore dat operam, ut Hortensii indoles, tum adhuc adolescentis et spe magis, quam re, oratoris, laudetur a Catulo eiusdem socero, necnon a Crasso oratore sene. A. M.

# EXCVRSVS

## AD CIC. DE REPVBL. VI, 18.

### *Collatio loci cuiusdam e Phaedro Platonis cum eiusdem loci interpretatione Ciceroniana.*

Nobilem illum Platonis e Phaedro locum, ubi animorum immortalitas necessaria ratione probari creditur, Cicero, ut notum est, in libris de Rep. et in primo Tusculanarum Disputationum interpretatus est. Mihi autem hoc loco decretum est, cum Platonis verbis, Ciceronis interpretationem, quam diligentissime potero, contendere; puto enim, quum apud utrumque nonnulla haud satis emendate legantur, ex hac collatione aliquid emersurum. Plato: Πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον, ἀθάνατον. Cicero, omissa propositione, *Nam quod semper movetur, aeternum est.* In quo illud observatione dignum puto, quod ἀθάνατον vertit *aeternum*. Quamvis enim Plato animos non immortales modo faciebat, verum etiam aeternos; neque quidquam apud philosophos immortale sit, quod non sit etiam aeternum: tamen haec vocabula vulgo distingui solent, quum Cicero plane pro eodem accipiat. Plato: τὸ δ' ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. Cicero: *Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi quoque finem habeat necesse est.* Praeclare omnino reddita haec pars videtur. Quum autem illa eiusdem verbi repetitio, quae in graeca oratione nihil habet insuavitatis, in latino sermone parum elegans, neque satis dilucida fore videretur, varietate vitavit hoc incommodi, *motum afferre* dicens pro movere, et *agitari* pro moveri. Sed et illud ἔχον, in quo colligendi vis inest, ita expressum est, ut nihil melius optari queat. Plato: μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. Cicero: *Solum igitur, quod sese movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit. Quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi.* In quibus illa praecipue annotanda duco: ἅτε, commode verti *quia*, et κινήσεως, *movendi*. Plato: ἀρχὴ δὲ ἀγένητον· Cicero: *Principii autem nulla est origo.* Eleganter: neque enim poterat una voce dicere ἀγένητον, quum *ingenium* sit ἔμφυτον. Plato: ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός. Cicero: *Nam ex principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest.* Ανάγκη γίγνεσθαι dixit simpliciter *oriuntur*, et illud τὸ γιγνόμενον omisit. Plato: εἰ γὰρ ἐκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. Cicero. *Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde.* Videtur ergo apud Platonem legisse: εἰ γὰρ ἐκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἀρχὴ γένοιτο. Quod mihi, ne quid dissimulem, verius videtur. Aristoteles quoque principiorum tres proprietates esse voluit, ut ne gignerentur ex aliis, ut ne ex se

Digitized by Google

invicem, et ut ex ipsis cetera gignerentur. Plato: ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι· ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. Cicero: *Quodsi numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur: nec ex se aliud creabit* (in quibusdam libris legitur *recreabit*): *si quidem necesse est, a principio oriri omnia.* Plato: Οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ, τὸ αὐτὸ κινοῦν. Cicero aliquanto liberius: *Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur.* Plato: τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν. Cicero: *Id autem nec nasci potest, nec mori.* Legit igitur apud Platonem, οὔτε γίγνεσθαι, οὔτ' ἀπόλλυσθαι. Et sane is ordo melior, et magis naturae consentaneus videtur. Plato: ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν (Bekk. γένεσιν ex codd.) συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ ῥήπαττε αὖθις ἔχειν στῆναι (Bekk. delet στῆναι repetitum) ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. Cicero: *Vel concidat omne caelum, omnisque natura, et consistat necesse est: nec vim ullam nanciscatur, qua, ut a primo, impulsa moveatur.* Qua in parte id primum animadvertendum est, voculam *et* quae in vulgatis Ciceronis libris non est, in veteribus legi: et necessariam videri. Deinde quum Plato dicat πᾶσάν τε γῆν, non est, ut opinor, dubitandum, quin apud Ciceronem legendum sit non *omnisque natura*, sed *omnisque terra.* In verbis autem Platonis delendum videtur illud secundum στῆναι, quod neque Cicero agnoscit, et sententia repudiat. Postremo quum in quibusdam Ciceronis libris ultima pars ita legatur, *Qua primo impulsu moveatur*, testificor, veterem scripturam a me repraesentatam esse: neque dubitare me, quin ea vera sit. Αὖθις autem reddidit Cicero, *ut a primo.* Plato: ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτο αὐτὸ (Bekk. τοῦτον αὐτὸν ex codd.) τις λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. Cicero: *Quam pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moveatur* (in aliis libris *quod se ipsum moveat*) *quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget?* Cuius periodi posteriorem partem si Cicero ita legit, ut hodie legitur (neque aliter legisse puto), nae ille mirificus in ea convertenda fuit. Hoc enim dicit Plato: si quis ita definiat animum, ut dicat, animum esse id, quod se ipsum movet, eam definitionem numquam auctori suo incussuram pudorem. Nam οὐσίαν et λόγον, et paullo post φύσιν vocat id, quod Aristoteles τὸ τί ἦν εἶναι. Ea vero sententia quomodo e Ciceronis verbis efficiatur, deus aliquis viderit. Plato: πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον· ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ (B. αὐτῷ ex codd.) ἐξ αὐτοῦ, ἔμψυχον, ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς· ubi non dubito, quin legendum sit αὐτῷ ἐξ αὐτοῦ. Cicero: *Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est* (in quibusdam libris *quod autem est animatum*), *ut motu cietur interiore et suo: nam haec est propria natura animae* (in quibusdam libris *animi*) *atque vis.* Invertisse videtur Cicero ordinem τῶν προτάσεων, id est, fecisse ἐξ ὑποκειμένου κατηγορούμενον, καὶ ἀνάπαλιν. Plato: εἰ δέ ἐστι (B. δ' ἔστι) τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν, ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Cicero: *Quae si est una ex omnibus, quae sese moveat, neque nata certe est, et aeterna est.* (Ex Mvreti Varr. Lectt. lib. VIII, cap. 3.)

5787613

Digitized by Google

# INDEX RERVM

QVAE

IN HOC DECIMOQVARTO VOLVMINE

CONTINENTVR.


Excerpta ex Creuzeri praefatione . . *pag.* 7
Moseri Introductio in libros De Legibus . . 10
Summaria trium librorum De Legibus . . . 21
De Legibus liber primus . . . . . 37
liber secundus . . . . . 99
liber tertius . . . . . 183
Fragmenta quaedam De Legibus . . . . . 228
Parisiaci Editoris praemonitio Libris De Republica praeposita . . . . . 231
Moseri praefatio . . . . . 235
Angeli Maii praefatio . . . . . 246
Testimonia vetera Operis de Republica . . . 286
De Republica liber primus . . . . . 305
liber secundus . . . . . 425
liber tertius . . . . . 495
liber quartus . . . . . 535
liber quintus . . . . . 557
liber sextus . . . . . 569


---

Pag. 354, not. 10, pro *Sic interpungere suasit*, legendum: *Hanc distinctionem proposuit.*

---

VOLVMINIS DECIMIQVARTI FINIS.

---

*Facultate obtenta.*

1.3. 32

Digitized by Go

1.3.32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google